VALENTINI ROSE

DE ARISTOTELIS LIBRORUM

ORDINE ET AUCTORITATE

COMMENTATIO.

Rose
De Aristotelis
Librorum

BEROLINI A. MDCCCLIV

TYPIS ET IMPENSIS GEORGII REIMERI.

Librorum falsis auctoribus aut errore aut consilio suppositorum feracissimum in universa Graecarum literarum historia fuisse seculum illud et maxime seculi initium quod interfuit inter Aristotelis et Alexandri mortes regnumque tertii Ptolemaei (circa Olymp. 115—140), et exemplis quam plurimis doceri potest et per se veri est simillimum. Praecedebat enim aetatem hanc Alexandrinam criticam historiaeque intentam et qui eius quasi pater est Aristotelem philosophum ut ita dicam historicum aetas rhetorica et politica in Platone philosopho oratore finita, cuius aetatis et ipsa sapientia non solum ceterorum sophistarum sed Socraticorum etiam omnium oratoriam habet speciem finemque fere politicum, et omnis fere ratio ἐπίδειξις est ut ad agendum inveniendumque potens ita imitatorum et aemulatorum fecunda librorumque parens sine nomine auctoris nullo aequalium studio critico defensi circumlatorum eique maxime qui in quoque genere summus esset tributorum. Quos omnes arripiens rudis in discernendo doctrina et colligendi primum avida ipsa hac colligendi cupiditate et studio, quum aucta esset colligentium et vendentium diligentia veri incuriosa, augebat librorum falsa coniectura inscriptorum numerum, propensa praeterea hominum opinione ad veterum auctorum admirationem ita ut facili negotio fidem assererent libris quorum auctores dedita opera et ipsi admiratione magis quam dolo malo commoti recentes sectarum opiniones referrent in antiquorum nominum fabulis ornatorum gloriam propriosque libros argumento sententiaque similes commendarent. Nec absimilis est iam inde ab Aristotele philosophiae historiam enarrantium ratio, scilicet ut sententiarum cognatione freti verba quibus diversis magisque adaequatis omnis fere philosophiae processus continetur negligerent. Accedebant deinde veterum non solum poetarum et historicorum sed etiam medicorum et philosophorum in usum posteriorum factae sive recensiones sive abbreviationes

excerptarumque sententiarum collectiones, quae auctorum quibus debebantur nomina plerumque aut servarent aut resumerent. Vera autem fraudis exempla ex malitiosa sectarum contentione invidiaque profecta apud Graecos quoque multo rariora fuerunt quam putant et fere semper ab ipsis veteribus detecta narrataque, ita ut a Davide Armeno in nota illa quam e priorum interpretum scholiis descripsit de librorum subditiciorum causis accurata disputatione iure haec omitteretur.

Factum est igitur ut excellentium omnium ante Alexandriam conditam auctorum opera doctorum studio collecta iam in ipso seculo primo Alexandrino et inde a bibliothecae conditae initiis falsorum ingenti copia mixta haberentur ipsiusque bibliothecae primordia sint primordia pseudepigraphiae. De orationum quae sub oratorum Atticorum nominibus falso ferebantur ingenti numero Dionysius narrat. Ad quarum exemplum proxime accedit hominum studium dialogos Socraticos, quorum plerumque subditorum praeter clarissimorum Antisthenis Aeschinis libros et ipsos falsis plurimis commixtos ingens Diogenis Laertii tempore ferebatur praeter Platonem et Xenophontem collectio cuius ille singulos tomos passim recenset, sub titulis veterum Socraticorum edentium sive Socratis amicorum vel eorum qui numquam sine dubio libros scripserunt velut Critonis Simonis Glauconis Simmiae quoque et Cebetis, cuius quae nunc quoque fertur tabula Teletis fortasse tempore scripta, sicut simile fragmentum *περὶ συγκρίσεως πλούτου καὶ ἀρετῆς* (Stob. Flor. 91, 33), indeque a seculo post Chr. altero veterum testimoniis nota huic rei potest esse documento non minus quam quorum eadem ratio est falsi Antisthenis *λόγοι* ex operum eius editionis tomo primo (D. L. 6, 15) servati *Αἴας* et *Ὀδυσσεὺς* (Reiske, Oratt. Gr. VIII. p. 52—63 una cum falsis Gorgiae et Alcidamantis p. 64—121). Nec magis de Aristippo Euclide Phaedone auctoribus constat. Nam ut Socrates ita nihil scripserunt Graecorum et huius aetatis antealexandrinae et superioris multi, quorum postea libros ferri fingebant velut Diogenes Cynicus Pyrrho Menedemus Stilpo Arcesilaus Carneades. Nihil scripsit Pythagoras neque ullus omnino Pythagoreorum, quod ex ipsius Aristotelis de iis narrandi modo elucet fragmentorumque studio confirmatur. Nec exceptus est Philolaus. Fuit enim Pythagoreorum vitae doctrina (*βίος Πυθαγόρειος* qui sicut *Ὀρφικός* iam a Platone Pseudocebete et postea saepissime praedicatur cum Orphica vita confusus maxime ab Alexandrinis ita

ut ab his vel Pythagoreorum auctorum carmina Orphica ferrentur, deinde vero a Neoplatonicis carminum Orphicorum eorumque Platone manifesto posteriorum — sunt enim non veteris poeseos theologicae, quod nobis obtrudit Tzetzis inepta de Pisistrato fabula, sed Alexandrinae specimina — Pythagoricorumque amantissimis) fuit igitur vitae doctrina Christianae quaedam indolis vestigia praebens — Christianismus enim et paganismus sunt omnium temporum et gentium — studiis mathematicis quibus mystica quaedam numeri et mensurae dignitas animum perculit nutrita, fuit secta politica non philosophica, cuius rei vel antiquissimum Heracliti polymathiam Pythagorae increpantis testimonium est (cf. etiam Grote history of Greece IV, 525. 531. 542. 544. 559 qui quidem huc usque omnium optimus ut de universa Graecorum historia ita de soc. Pyth. auctor est). Pythagoram vero Heraclitus hoc loco cum Xenophane componit Hieronis aequali qui et ipse fere neque philosophus neque omnino physicus sed poeta et lyricus et epicus fuit atque in carminibus quibusdam Homerum et Hesiodum increpans de Deo uno coelo egit, a posteris quidem et cum Eleatis confusus et in iustam philosophiae speciem iam inde a Theophrasto sententiarum interpretatione redactus (de Hesiodo cf. nunc Heraclit. ap. Pseudorigenem sive ut volunt Hippolytum Philosophum. p. 282). Philosophiam vero Pythagoricam sive numerorum tamquam symbolorum doctrinam dialecticam primus fecit et quasi creavit ipse Aristoteles, quamvis ipse aliis locis inter physicos, non inter dialecticos diserte ponat Pythagoreos. Transtulit enim Platonicorum philosophiam arithmeticam in ipsos Pythagoreos tamquam sub numerorum rerumque mathematicarum comparationibus religiosis latentem, per omnem illis literarum humanarum memoriam vigentibus, sed non ut apud Jordanum Brunum in hac rerum numerorumque inepta comparatione plane Pythagoricum etiam apud Graecos illos cum dialectica coniunctis. Non enim dicebant Pythagorei de numerorum tamquam rerum principiis sed de rebus numeris singulis pro numerorum diverso genere similibus. Arithmeticae vero philosophiae, quae si ipsa Pythagoreorum fuisset, si porro scriptis tradita fuisset, certe longa Pythagoreorum serie a veteribus nominata diversis modis explicata varieque exculta fuisset nec eandem exceptis rebus physicis singularibus doctrinam eandemque maxime sententiam metaphysicam omnibus Pythagoreis tribuere potuisset Aristoteles (Zeller I, 99. 101. 104, idemque ap. Pauly Real-Encycl. VI, p. 324) — arithmeticae

igitur philosophiae inventor Plato est, maxime in Philebo, auctae vero supra modum inque nimiam subtilitatem versae Platonici, maxime Speusippus Caeneus (Arist. Anal. post. 1, 12. cf. Diog. L. 4, 2) alii, ab ipsius Platonis manifesta ironia in Republica et Timaeo ludentis, in Legibus vero et Epinomide legislatoris religioso sermone usi exemplis male intellectis profecti. Quorum studiorum Platonicorum numerorumque dignitatis vestigia etiam in scriptorum medicorum collectione Alexandrina quae Hippocratis nomine signabatur hic illic vestigia reperiuntur (cf. etiam Androcydem, Chrysippum medicum etc.), maximeque in libro nunc latine tantum servato de septenario Philoni noto. Sunt enim haec quoque scripta omnia temporis monumenta Platone et ipso Aristotele posterioris nec magis quam Pythagoras Philolaus Timaeus Archytas auctor fuit etiam Hippocrates Socratis ille et Democriti aequalis, qui quod testantur Plato et qui uno tantum loco eum memorat Aristoteles magnus quidem fuit medicus nihil tamen scripto tradidit. Illi enim libri et ipsi optimi et qui a veteribus criticis in veri Hippocratis nomen selecti fuerunt, velut liber de diaeta in morbis acutis ab appendice quae vocatur post Platonis aetatem scripta minime separandus ut ipse auctor significat, licet iam inde a Galeno usque ad Ermerinsium criticis huic parti propter vulgarem haerentemque de Hippocrate vetere totius libri auctore opinionem adversantibus, cuius tamen auctor idem qui libri de aere aquis locis, de morbo sacro, de fracturis et articulis, de glandulis, de natura hominis, aliorum, anatomiae corporis humani non expers, quod ut de vetere Hippocrate recte negant (Sprengel I, 381, Hecker 1, 121), si de librorum Hippocraticorum quoque auctoribus, praecepta illa et tradita opinione prorsus falluntur (cf. ipsum auctorem libri de articulis T. II. p. 198), ab auctore vero prognostici diversus, diversissimus tandem et ab auctore libri de veteri medicina de quo agens Ermerins Littraeum recte refutavit — referendus est enim inter recentissimos et propter universam indolem et quod auctorem ipsum librorum de diaeta philosophicum manifesto oppugnat — et ab aphorismorum id est sententiarum e diversis medicorum scriptis quorum perdita multa ipsa iam Hippocratea citant et ex ipsis etiam qui nunc leguntur Hippocraticis descriptarum nec raro sibi contradicentium compilatore Alexandrinorum fere studia referente, sicut libri non minus recentes qui inscribuntur *Κωακαὶ προγνώσεις* et *Προῤῥητικόν α'* — illi igitur libri Hippocratici in priorum sententiis explicandis et refu-

tandis sensum illum criticum et historicum qui est aetatis Platonem secutae ostendentes et medicorum librorum veterem iam literaturam respicientes, medicae scientiae excultam in singulas partes referunt amplitudinem, cuius in Platonis qui ipse quaedam in Timaeo doctrinae medicae fundamenta posuit Eryximacho aliisque vestigia tantum, maxime Heracliteismi illius recentioris (Sympos. 186 sq. Phaedo 86—88. cf. Arist. de an. 1, 4) hac aetate apud medicos vigentis et ab ipso quasi Platone Stoicis commendati, quam ignorat etiam Aristoteles in libris de generatione animalium ubi frequens occasio quum easdem sententias oppugnet quae etiam apud auctorem libri Hippocratici de generatione et natura pueri leguntur, medicis tamen eae omnibus et antiquioribus et posterioribus quod ad ipsum explicandi principium viamque communes, ut Galenus quoque dicit in libris de semine, nec igitur ad Hippocratem ipsum referendae, numquam mentionem faciens neque Hippocratis, qui de physiologia certe et anatomia nihil habuit, nec praeter Polybum ullius eorum qui feruntur Hippocratis aut filii propinquive aut discipuli (cf. cum Hippocratis ficta genealogia Hecataeum ap. Herod. 2, 143 etc.) Non minus quam Hippocrateorum librorum censura ad hanc quaestionem pertinet Galeni de iisdem iudicium artisque eius criticae observatio, quae quidem quum eius de omni Hippocratis doctrina et sermonis genere sententia diversissimorum librorum confusione nitatur, in libris vero quos recentiores iudicat certis auctoribus assignandis velut Hippocratis propinquis aut medicis simili librorum argumento claris, — tribuit enim libros de diaeta varios diaeteticis scriptoribus Aristotele iunioribus quorum libri nominatim habebantur velut librum περὶ τροφῆς inter alios vel Philotimo qui libros suos π. τροφῆς post Praxagoram et Dioclem et ipsos Aristotele posteriores composuit (cf. fr. ap. Athen. III, 81) — plane sit arbitraria, clarissimo nos exemplo docet saepe veteres a falsa de scriptoris cuiusdam vita ingenio studiorum ratione profectos opinione de libris quoque eius quum priorum testimoniis carerent false iudicasse, et etiamsi sensu quodam veri ducti alienum propter omnem rationem sermonemque ab auctore titulo inscripto librum quendam esse intellexissent, futilibus id argumentis probasse, velut Andronicus de libro περὶ ἑρμηνείας iudicans et auctores quos sequitur Olympiodorus (I, p. 131 sq. Id.) de Aristotelis Meteorologicis disputantes, maxime vero in eo peccasse eos quod scripta iusto iudicio reiecta ea ut veris auctorum nominibus redderent fortuita plerumque

externaque similitudine commoti niterentur, quod ut Galeno accidit iisque quos ille sequitur ita nunc quoque de eodem Hippocrate Littraeo disputanti qui Leophanem et Polybum ab Aristotele citatos quorum ut multorum temporis Platonici physicorum velut Clidemi aliorum ab Aristotele fere solo et Theophrasto memoratorum mox et fama et libri periere, inter auctores Hippocraticos reperire sibi visus est. Arbitrarium enim est ex eo quod libri περὶ ἐπικυήσιος una quaedam sententia conveniat cum ea quae Leophanis et aliorum quoque secundum Aristotelem est, eundem esse auctorem libri qui sententiae affirmare; Polybi vero locus de venarum anatome ab eo qui librum de natura hominis composuit ex ipsa Aristotelis (hist. an. 3, 3) citatione descriptus est, quod locorum comparatio docet quum orationem Polybi apud Aristotelem in medio enuntiato (τὰ δὲ τῶν φλεβῶν etc.) incipientem verbisque finitis plerumque omissis satis conciso sermone progredientem liber Hippocraticus planiorem reddat verbi tempora finita inserens (ex hoc vero transiit in librum e diversis fragmentis consutum de nat. oss. p. 507 sqq. T. I. Kühn). Non minus falsa, ut hoc quoque exemplo utar, Spengelii de Anaximenis rhetoricis coniecturae Victorianae (cf. Menage Obs. ad Diog. L. p. 71) defensio est. Omnia igitur quae de veris incertorum librorum auctoribus veteres produnt, velut de Platonis Epinomide et Halcyone, ex mera coniectura et levissima quaque hausta nulla nos auctoritate constringunt, ipsius vero νοθείας iudicia licet saepe arbitraria (cf. e. c. Idomen. ap. Athen. 13, 611) non semper nobis negligenda sunt, cuius rei exemplo utor Dionysii optimi critici clarissimo. Ut Hippocratis ita falsorum Democriti librorum iam antiquitus magna copia extitisse videtur, nec solum id quod de Hippocrate Galenus, de Democrito Diogenes Laertius tradit multos libros ex aliorum fragmentis compositos fuisse (Diog. L. 9, 49) utriusque collectionis similem naturam probat. Nam quod iam primi Alexandrini et Hippocratis scripta ab Herophilo inde commentabantur et dialecti Jonicae causa diligenter legebant Democritea quorum etiam indices fecit Callimachus, id certe nihil nisi suppositorum antiquitatem ostendit, praesertim quum incertam fidem arbitriumque grammaticorum qui πίνακας scribebant librorum initiis et versuum numeris notisque praeterea de ipso auctore eiusque libris criticis ornatos (cf. Athen. 6, 244. 13, 600 etc.) et Alexandrinorum et Pergamenorum (cf. Athen. 8, 336) iam Dionysius (Opp. rhet. Reiske T. V. p. 630. cf. 661. 653) Callimachi de Dinarchi ora-

tionibus iudicium vituperans concedat (cf. locum maxime memorabilem de Aristophane libros ex coniectura inscribente Schol. Aristoph. Nub. 967). Necessitudinem quandam inter argumenta librorum doctrinamque utriusque medicam et physiologicam intercedentem fabulae significant de Democriti et Hippocratis familiaritate et commercio epistolaeque illae multo quam Mullach putat antiquiores, eiusdem scilicet aetatis quae cetera etiam Pythagorae Hippocratis Democriti falsa tulit, etiam sermone praeter verborum usum (cf. e. g. vocis *σκῆνος*) similem quandam speciem symbolicam poeticamque referente (cf. Hipp. ed. Kühn T. III. p. 823 epistolam Dem. *περὶ φύσιος ἀνθρώπου*, qui ipse fortasse ille liber est quem recenset Thrasyllus, ex cuius indice alia quoque commemorantur cf. p. 814). Doctrinae vero illam similitudinem ut ad ipsa genuina Democriti scripta cuius quae secundum Aristotelem de generatione maxime uberius disputavit cum Hippocrateis fere concinunt, ita ad ea — et maxime medica — refero quae eodem fere tempore quam falsa Hippocratis sive a Democriteis Abderitisque (Diog. L. 9, 58. 4, 58. cf. 9, 67; 69. Cic. d. orat. 1, 10, 41) sive aliis Alexandrinae aetati propioribus edita Democriteorum librorum collectioni coniungebantur. Nam si ex Aristotele et Theophrasto antiquissimis testibus iudicium ferimus, ut uno certe plures (Aristox. ap. D. L. 9, 40. cf. prooem. 16) ita paucos tantum libros ipse Democritus edidit quorum physicum argumentum et universa quadam cosmographia comprehensum; contra qui a posteris velut Plutarcho maxime legebantur libri morales Aristoteli ignorati tempus Platonicum sive Aristoteleum sapiunt ipsa placitorum libertate quadam et novitate a vetusto illo tempore alieni. Inter Theophrasti quoque libros recensentur hi: *Περὶ τῆς Δημοκρίτου ἀστρολογίας α', περὶ τῆς μεταρσιολεσχίας α', περὶ τῶν εἰδώλων α', περὶ χυμῶν χροῶν σαρκῶν α', περὶ τοῦ διακόσμου α', περὶ τῶν ἀνθρώπων α'*, ad Democriti doctrinam et quidem physicam solam explicandam omnes ut ipsa indicis ratio alphabeti litteras sequentis demonstrat pertinentes. Itaque quum alia quam plurima quae in indice Thrasylli habentur, velut quod certissimum est omnis huius antiqui temporis scribendi artem et diligentiam spectanti simplici quadam elegantia et poetico colore insignem ita ut sicut Hippocrates Democritus vel Platoni comparatus summas boni scriptoris apud veteres iudices laudes tulerit fragmentorum sermone confirmatas, libri omnes illi „*αἰτίαι*" inscripti quae fuerunt *ἀσύντακτα* problematum collectionibus peripateticis

similia, deinde vero librorum de rebus singularibus peculiarium cum Theophrasteae aetatis monobiblis conferendorum multi, et ipsi a philosophorum Democriteae aetatis scriptione totum quid comprehendente alieniores, — quum haec igitur omnia suspecta sunt, tum vel ex ipsis titulis octo illi libri commentationum ethicarum quos ipso indicis initio legimus octavo quippe deperdito praetermisso (*Πυθαγόρης* etc.) diversas, ut fragmenta docere videntur, a commentariis illis singularibus quos spurios recte dicit C. Müller barbarae sapientiae fabulas narrantes barbarorumque philosophorum opera commentatos ficticiorum velut Boli Aegyptii, de quo errat Müllerus Fr. hist. II, 25 cum Mullachio (156), Dardani Phoenicis, Acichari Babylonii de quo etiam Theophrastus scripsisse fertur (v. ind.), aliorum, velut Alexandrinae eiusdem aetatis Coeranus philosophus (apud Plinium, cf. qui ferebantur **Κυρανίδες** Hermet.). Hermes Aegyptius, Nechepso et Petosiris qui vel Pythagorei vocantur, Mochus, Ostanes, Zaratas sive Zoroastres. Quae studia de populis Orientis historica Alexandri aetate ab Aristotelicis Theophrasto Eudemo aliisque incepta ab Alexandrinis ut ipsa urbis conditio situsque ferebat potissimum colebantur, eiusdemque aevi Ptolemaeorum scilicet primi et secundi barbarorum ad haec studia accedentium exempla clarissima feruntur Berosus et Manethos. Quibus virorum doctorum studiis fabulas omnes quibus veterum sapientum vitas hominum et admiratio et invidia ornaverat curiose colligentium etiam itinera illa fabulosa debentur non solum Democriti de quo critici Strabonis sicut de Aristotele sequentia non ipsius iam Megasthenis adnotatio est quae legitur l. XV. ed. Kramer III, 210 (cf. Arr. Ind. 6. Diod. 2, 37), sed Pythagorae Empedoclis Platonis e coniectura primum nata et sive scriptorum falsorum velut Democriteorum illorum auctoritate sive locorum male intellectorum ut in Platone maxime intelligitur interpretatione confirmata, quibus itineribus omnium philosophorum externorum Alexandrinis celebratam (cf. iam Platon. Epinom. 987 et maxime Herodotum 2, 50; 81; 123 etc.) sapientiam Aegyptiorum Magorum Chaldaeorumque Indorum et vel Getarum Judaeorumque quasi collegisse eos fingebant. Nec satis ab his fabulis quibus auctorum aetatis illius rhetoricae indoctae in cognoscenda rerum natura novae vitas ipsiusque Platonis et Aristotelis contaminaverant, nostro etiam tempore in Aristotele Stahr, in Platone C. F. Hermann abstinuere. Barbaras quoque magicasque superstitiones hoc ipso antiquo (cf. Plin. 24, 101)

tempore una cum sapientia illa mythica et religiosa invectas ostendunt fragmenta Democriti Pliniana (cf. Gell. 10, 12) de medicinis animalium plantarum lapidum Pythagorae similia — Plinius similibus quoque libris satis recentibus Hesiodi Musaei Orphei de effectu herbarum usus est postremis Graecae historiae temporibus quum plurimum probatis; animadvertendum enim est quod Arabum versiones, quae fere ea referunt quae Neoplatonicorum ultimorum tempore legebantur eademque plerumque quae nobis quoque, multa inde tulerunt, velut fragmenta libri cuiusdam Pythagorae de virtut. herb. etc. (Plin. 24, 101. 25, 6. ed. Bip.) medici Arabes saepissime citant, maxime Serapion et Ibn-el-Beitar; iidem Hermetica (Mesue, Ibn-el-Beitar) cf. Casiri 1, 374. Schmölders Essai p. 124 sqq. — physiologica apud Aelianum et *κανόνες* a Sexto Empirico citati, etiam ethica multa vestigia Platonis legunt; liber denique *περὶ γεωργίης* Arabibus etiam notus cuius in Geoponicis Cassiani feruntur fragmenta inter se non secernenda, Aristotele et Praxagora iunior est; alia multa ex ipsis titulis suspecta sunt. Ea vero fragmenta quae ex gnomologiorum scriptoribus christianis post Orellium Mullach multos quidem ille et universae Dem. doctrinae et horum notos fontes praeter Arabes negligens (velut Michaelem Apostolium, Joannem Georgidem etc.) collegit, quae quidem non solum Democritum Democratem (de quo si recta sunt lemmata Atheniensi cf. Stob. Fl. 13, 30. 22, 43. cf. Mich. Apost. 2, 92) Demophilum Demosthenem miscent sed eandem sententiam alii aliis saepissime tribuunt, ea omni carent auctoritate; inter quae Mullach omnia ille commiscens quaedam habet aperte falsa: nam ut de Democrate alieno taceam fragmentum eius 130 ex Antonio p. 377 petitum Plutarchi ipsius verba sunt in libro de lib. educat. 4. Jam vero praeter hanc Hippocrateorum et Democriteorum comparationem ad Pythagoreorum historiam pertinere hanc quoque de Democrito disputationem et falsus ille de Pythagora liber ostendit post Platonis demum tempus scriptis peculiaribus illustrato veluti Xenocratis Heraclidis Pseudaristotelis Zenonis Aristoxeni Dicaearchi, et Platonicae numerorumque cum atomorum doctrina quaedam confusio ab Ecphanto Pythagoreo et Heraclide aliisque facta, Platonisque ipsius Timaeo fulta et vera quadam similitudine (cf. Arist. de Coelo 3, 4), ita quidem Alexandrina coniectura (cf. idem judicantem Krische Forsch. I, 145) explicata ut Pythagorici cuiusdam discipulum incertius primum deinde audacius Philolai Democritum fuisse finge-

rent (cf. etiam D. L. prooem. 15). Admodum denique memorabile est quod Hipparchus Pythagoreus Stobaeo citatus Flor. 108, 81 (cf. Lysid. ad Hipp. epist.) ex Democriti vel fortasse Anaxarchi Eudaemonici fragmento (Stob. Flor. 1, 40) locum quendam fere verbotenus descripsit, *περὶ ἐνθυμίας* agens ita omni argumenti sententia similis ut necessitudinem quandam obscuram inter libros Pythagoreis et Democrito suppositos eosdemque antiquissimos indicet: regnat enim in utrisque Peripatetica illa *μετριότης* sive *μετριοπάθεια* et quae huius est *εὐδαιμονία*. Pyrrhoneorum quoque (cf. Timon ap. D. L. 9, 40) erga Democritum amor cum falsorum librorum scriptione coniunctus fuisse videtur (cf. D. L. et Sextum).

Vitam vero Pythagoricam et Orphicam aut quod idem est asceticam et symbolorum studium tempore Platonis et Aristotelis in ipsam Graeciam ex Italia illa inferiori in ipsa vitae levitate et luxuria mysticarum lugubriumque religionum quadam sede et fervidorum ingeniorum ut postea etiam Bruni divini patria propagatam fuisse videmus. Transiit enim haec quasi alteram gerens sophisticae doctrinae faciem a vitae mentisque communi ratione secedentis in vitam Cynicam, quam quasi Pythagoricam et Pythagoreorum Italicorum maxime Tarentinorum mores severitatemque affectantem (cf. Cynicorum *τερατεία* sec. D. L. 6, 102 etc.) i. e. *Πυθαγορίζουσαν*, non vero ipsam ut putant philosophiam Pythagoricam, deridebant comici recentiores iidemque qui Cynicos et ipsum Platonem Alexis Aristophon Cratinus Antiphanes; quibus conferendus est Aeschinis Telauges de quo Welcker. Aristotelis et arithmeticorum Platonicorum aequales fuerunt Androcydes Lyco Diodorus Euxitheus — quem Platone posteriorem secundum quae de eo ex Clearcho (cf. Stob. Flor. 105, 55. App. 3, 36 et Phot. cod. 167 ubi inter fontes Stobaei Euxitheus quoque) citantur Theophrasti aequalem fuisse coniicio ex Zacharia Mitylenaeo apud quem veteres illi philosophi tamquam viventes Alexandriae certant dialogo de sectarum praestantia, simili causa qua posteriores sophistae et Byzantini velut Theophylactus Simocata veterum philosophorum nominibus in fictis epistolis utebantur minime illi fraudulenti posteros tamen inviti decipientes — et praeter hos quibus accedit fortasse Euphranor alii qui Pythagorei voluerunt haberi (Isocr. Bus. 28, Platon. Resp. 600), sicut Catonis etiam tempore inter Tarentinos Nearchus qui secundum Ciceronem quasi traditione acceptas narrat Archytae morales sententias (Cic. de amic. 23. de sen. 12. Plut. Cat.

mai. 2), scripta Archytae manifesto ignorans et vel supposita tunc in Italia ignota neque in hac ipsa composita fuisse ostendens quamvis Pythagoreorum ad Italos barbaros Romanosque etiam propagatae memoriae satis tenaci et Pythagoricorum dogmatum incisa publicis litteris aera monstrante (Hieron. adv. Ruf. 3, 10. ed. 1629. p. 261) cf. de Pythagora etiam tunc Italis honorato Arist. Rhet. 1398 b 13. Jam vero Timonis et Hermippi tempore scripta Pythagorica ferebantur et ipsius Pythagorae diu fabulosi cuius vita iam apud Aristoxenum fabulis obvoluta legebatur, ab Hermippo tamen plurimis collectis (Diog. L. 8, 41 cf. 8, 9. 14. 38. 21. adde etiam 8, 8 Ionis Chii testimonium in Triagmorum opere supposito Callimacho tamen antiquiore, ubi *ἱερὸς λόγος* cf. Jambl. 146 memoratur; carmen aureum Chrysippi iam aetate extitisse certissimum est e Gell. 6, 2; Neanthes ap. D. L. 8, 55. cf. Heraclidis Sarapionis filii sub Philometore florentis indicem ap. D. L. 8, 7.) et Philolai ad mulierem quandam Pythagoricam scribentis quasi dogmata Pythagorae magistri (v. Phil. in libro Hagiopolite ap. Vincent, Notice sur divers manuscrits Grecs relatifs à la Musique. Paris 1847. p. 268. cf. Euseb. contra Hieroclem p. 519 ed. Colon. 1688. D. L. 8, 15. 85. tres illi libri Pythagorici 3, 9 et 8, 6 sunt iidem ipsi qui ab aliis non scripsisse Pythagoram intelligentibus aut Lysidi D. L. 8, 7 aut qui cum hoc saepe commutatur — cf. locos ap. Boeckh 11 sq. — Philolao tribuebantur, quorum tertii physici ad quem fragmenta omnia fere pertinent — neque enim Boeckhio neque Prellero ap. Ersch et Gruber III, 23. p. 372 sq. consentio — initium servavit Demetrius D. L. 8, 85; de priorum librorum duorum argumento cf. quaedam ap. D. L. 8, 9—10.) secundum rationem scriptorum horum Pythagoricorum brevem et quasi summa rerum capita in modum epitomae exponentium (cf. Jambl. v. P. 158. 198. 253. cf. 90. *ἔλεγε* Philol. ap. Boeckh p. 164. 167, scil. Pythagoras, cf. Archyt. fr. 14. 15. Hart. eundemque p. 43. Tim. Locr. 94. 100 *φαντί,* Theano Stob. Ecl. ph. 302, Suid. s. v. cf. etiam Aristoxeni librum „*Πυθαγορικαὶ ἀποφάσεις*" et Jambl. v. P. 101. et citandi usum Neoplatonicorum), Speusippo quo usus est et Aristotele posterioris, et Archytae (cf. Chamaeleon. ap. Athen. 13, 600) cuius sententias Aristoteles etiam tamquam traditione sola acceptas posuit scripta ignorans, et quod satis probabiliter dici potest etiam Timaei Locri paullo post Crantoris tempus editi et Ocelli denique Lucani libri in pseudoplatonica ad Archytam epistola citati quam ut ceteras

epistolas a Thrasyllo recensitas iam Aristophanem habuisse credo; qui quidem Ocellus Aristotele et Aristoxeno utitur, et ita quidem ut sicut falsus Timaeus Timaei Platonici quasi revera Pythagorici epitomator hic verba ipsa Aristotelis ut Platonis Archytas Pempelus in locis maxime philosophiae Pythagoricae postea vindicatis excerperet. Nec minus libri qui sunt de regno Ecphanti Sthenidae Diotogenis differentes illi ab Archyteis politicis Dicaearchum in quibusdam sequentibus Macedonici temporis studia colore quodam satis antiquo produnt novae monarchiae auctoritatem in doctrinam vertentis, ut librorum huius temporis Peripateticorum Platonicorum Stoicorum quibus alii quoque multi Pythagoricorum conveniunt tituli quam plurimi probant (cf. Fabric.). Omnes vero libri Pythagorici in veterum et verorum Pythagoreorum quos plurimos recenset Jamblichus 267, clara fabulis virtutisque exemplis dictisque servatis (cf. Pempeli ap. Athen. 10, 418 quem locum non intellexit Winckelmann in Platon. ed. Turic. min. Vol. 18. p. XII. — Pempelus vero Peripateticus apud Diog. L. et Gellium ab hoc loco sine dubio alienus est — deinde Philolai, Archytae aliorum apud Aristot. Aristox. etc.) nomina velut Thymaridae Theagis Prori Cliniae (Jambl. 239. 257) aliorum multorum, ab auctoribus multis satisque diversis dialecto Pythagoreorum Dorica scripti erant sicut Jonica Herodoti et Hippocratis post Christum etiam medica quaedam et historica utebantur. Quibus accensenda quoque sunt Zaleuci et Charondae quos postea Pythagoreos vocabant legum fragmenta plane similia (cf. maxime Phintyos et Perictionae fr. et Theanus epistolas ap. Orellium et his similiter disputantem Cratet. ap. Plut. pr. coni. 26. cf. 31. 48.) et ipsa supposita. Ut vero librorum tam antiquo tempore falso titulo inscriptorum certo et confesso exemplo utar, iam Aristoxenus dicit et Philochorus de Epicharmeis falsis (cf. Jambl. 266. 166. 228. D. L. 8, 78. 1, 42. Plut. Numa 8 etc.), inter quae licet invito Schmidtio Diogeniana etiam refero ab Alcimo rhetore Siculo narrata Pyrrhonis familiari (D. L. 2, 114). Etenim Epicharmum quoque non minus quam Empedoclem cuius item mox falsa multa — et *Περσικὰ* quidem iam Theophrasti aequalibus cf. Pseudarist. Probl. 21, 22 cum falso apud D. L. Aristotele de poetis; ita librum Leucippo (cf. D. L. 10, 13) suppositum iam Aristoteles novit et verus (de gener. et corr. 1, 8. 325, 23) et falsus (de Gorgia 980, 7), *τοὺς Λευκίππου λεγομένους λόγους*; cf. Theophrast. de magno diacosmo Democriti sive Leucippi D. L. 9, 46 — legebantur (D. L. 8, 57 etc.)

Pythagoreos sive Pythagoreorum familiares fuisse viri docti coniiciebant, id certe intelligentes (cf. Plut. Numa 22 etc.) vitae disciplinam moralem religionibus tutam maxime hos coluisse, non philosophiae doctrinam, vitae igitur ratione severa placitisque politicis Pythagoricam similitudinem definiri. Libri autem illi Pythagoreorum philosophici in bibliothecam Alexandrinam collecti non fere legebantur ante seculum primum (a. Chr.) quo et genuini ipsius Platonis et cum eo Pythagorae studia resumebantur praecedentibus Antiocho et Posidonio et apud Romanos Varrone. Mox sequitur Thrasyllus cum Eudoro et ceteris. Inveniebat tunc Philo arithmeticae symbolicae quam ad Pythagoreos refert deditissimus (maxime in libro de numeris cf. II, 152 ed. Mang., Paral. arm. ed. Auch. p. 330) multisque locis fragmentorum studium ostendens, Alexandriae sc. in bibliothecae immensitate quasi perditos (*ἐνέτυχον* T. II, 489 Mang.) Ocelli Philolai aliorumque Pythagoricorum libros oblivioni fere ut videtur traditos, quos recenti fraude suppositos ille non ignorasset. Commentariis Pythagoricis anonymis Alexander polyhistor usus est. Logica Archytae post Theophrastum scripta Andronicus lectione primus repetiisse videtur, cf. Simpl. in Cat. Sch. 79 b 2. licet is ex coniectura tantum dixerit at veri simili: Pythagoreorum enim scripta iam legebant et Posidonius (Galen. V, 478) et Dionysius Halic. (V, 430) et Demetrius Magnesius (D. L. 8, 85) cf. Cicero de orat. 1, 10 et de Varrone Ritschl Rhein. Mus. 1848. p. 504. Augusto regnante Juba rex auctorque Pythagoricos sibi libros collegit; alii Pythagoricae disciplinae secundum Platonis sensum explicatae auctaeque libros edidere historicos velut Moderatus, vel ipsam vitam Pythagoricam affectabant velut Apollonius. Quo factum est ut rursus Platonici simul et Pythagorei vocarentur licet nulla fuerit quam Zeller quoque habet secta Neopythagorica, sed studia tantum Pythagorica Neoplatonicorum omnium. Quod si est, scilicet nihil scripsisse Pythagoreos, omnia vero fragmenta tertio iam seculo extitisse, sequitur Aristotelem traditione accepta narrantem et ab omni studio iudicem alienum unicum nobis de Pythagoreorum sententiis fontem esse — nam vel Theophrastus et Eudemus minus certi sunt, hic quidem quod in Pythagorae (de quo ipso numquam Arist. memorat nisi uno illo loco) inventis geometricis enarrandis fabulam popularem aperte sequitur (ap. Procl. in Eucl.) — quae vero a posterioribus auctoribus referantur velut Sexto Empirico Pseudoplutarcho Pseudorigene ceteris ipsaque

fragmenta ad historiam Platonismi spectare, non ad veteres illos Pythagoreos, vel hoc tamen nomine ut plurimum advertenda velut praeter moralia Platonem cum Aristotele secundum huius aetatis morem (cf. Krische Forsch. 1, 312. cf. 248) quae confundunt Butheri maxime Theanus Brontini Pythagorae Cliniae Philolai ad numerorum dialecticam fragmenta pertinentia, praeterea Onatas Aristaeon Archytas. Neque vero Aristoxenus et Dicaearchus certiores fontes sunt neque de vita Pythagorae de qua nihil nos scire confitendum est nisi aut fabulas Herodoti iam aetate ne dicam Aristoxeni pervulgatas aut doctorum causas rerum nexusque quaerentium coniecturas, neque de societate Pythagorica praeceptisque ethicis, quum quae illi narrant doctrinam referant Socratica fere temperatam — quod vel Spintharus Socratis amicus ultimique ipsius Graeciae Pythagorei narrationis Aristoxeneae fontes indicant —, vel potius ipsorum illorum propriam atque societatis imaginem ad Platonicae reipublicae exemplum effictam: hoc enim arguit vel Dicaearchi ratio rhetorica Pythagoricas sententias per orationes quas a Pythagora Italiae modo appulsi habitas fingit describentis. Et illud quoque quod Peripatetici Socrati Platonique infensi (cf. quas de Socrate fabellas Aristoxenus libenter repetit) Pythagorica tamen aeque ac Platonici admirarentur, ab utrisque ea diverso modo efformata esse significat. In quam fabularum historiam Pythagoricarum quae fere sedes sunt et receptaculum omnium quae ex Orientis patefacti superstitionibus in Graeciam migrarent — id quod iam de primis certissimisque Pythagorae placitis cf. Herod. 2, 123. 4, 95 (cf. 4, 15 de Aristea) Eudox. ap. Porph. 7 et Porphyr. v. P. 19 (e Dicaearcho?) et nota illa Xenophanis et Emped. fragmenta, sc. tribus his animae immortalitate, per diversa animalium corpora secundum certas periodos migratione et carnis abstinentia arcte inter se coniunctis Herodoti coniectura asserebat — ab Herodoto ad Hermippum indeque usque ad Antonium Diogenem Apollonium falsum et Philostratum inter fontium ficticiorum assertores (cf. praeter tabulariorum publicorum ficta testimonia Apollonii ap. J. v. P. 262. Sorani vit. Hippocr. c. 1, 3. Abgari et Christi epp. ap. Euseb. hist. eccl. 1, 13. Hirami et Salomonis ap. Joseph. Ant. Jud 82, 8 etc. maxime de monumentis in sepulcris inventis Suid. s. Acusilaus, Anton. ap. Phot. c. 94, Plutarch. de genio Socr. 7, de fac. lun. 26, praeterea Euemerum ap. Plut. de Is. 23 cf. Suid. s. *Δίκτυς*, Dardanum etc. et alia quam plurima) claros et ad

Jamblichum pertinentem atque in Christianam Buddhisticamque[1]) similitudinem imitationemque abeuntem — in hanc igitur illustrandam nova post Meinersium multa arbitrarie fingentem fontium Porphyrii et Jamblichi recensione opus est.

Ita iam omnis fere historia Pythagoreismi in cognoscendis Platonicorum studiis posita est et mathematicis et theologicis, quibus factum est ut posteri Aristotelici iudicii auctoritate accedente quae Platonica sunt omnia fere a Platone Pythagoreo (Ar. Met. 1, 6) ad ipsum referrent Pythagoram, confirmati quidem in hac opinione morum ingeniique cum Pythagora Empedocle — non quidem illa quod docet Heraclitus severus et mysticus Dorica — similitudine. Est enim vel dialecticae Platonis initium et finis tamquam rhetoris ethicus et paedagogicus, est omnis ei philosophia religionis instar qua mentis in universum mundum tamquam cuiusdam summi dei imperio cognito hominum etiam actiones devinciantur. Ex qua indole doctrinae Platonicae apud Platonicos primum nata est theologiae disciplina non quidem superstitiosae — quod ut abest a Xenocrate homine logico ab ineptarum religionum opprobrio maxime remoto ita de Heraclide Pontico quoque narratorum ab eo argumentis male usus incaute iudicat Krische (Forsch. I, 330) — sed mere historicae, cuiusque inde a Xenocrate Stoicisque usque ad recentissimos Platonicos insignis in philosophia locus est auctus maxime philosophiae orientalis quae religionibus tota continetur notitia et cum arithmetica semper coniunctus (vel apud Stoicos). Quid quod vel cuncta Graeca philosophia finivit in Platonicam Procli Theologiam cui post Orpheum primus Pythagoras theologus Plato secundus est (I, p. 13), de quo homine ingeniosissimo et a theurgorum grege plane diverso (id quod ipse significat Theol. IV,

---

[1]) Cf. Apollon. ap. Jambl. et ipsum Apollon. Philostrateum de quo v. Baur p. 209 sqq. Buddhae notitia prima est apud Clem. Alex. 305 Sylb. cf. praeterea Philonis Therapeutas; Weber Ind. Lit.-G. 266. Alieniores tamen ab hac similitudine in vitae ipsius et docendi ratione fere posita — cf. Lassen Ind. Alt. II, 70 sq. cf. II. 440 etc. — Gnosticorum mihi et Manichaeorum theosophiae videntur; contra Baur Manich. Rel. 433 sqq. aliique. Judaicum fontem sapit numeri quadraginta usus fabulosus Porph. v. P. 56. 57 Dicaearch. apud D. L. 8, 40 de quo numero cf. praeter alios Hammer Ber. d. Wien. Acad. IX, 579, et sane iam inde ab Alexandro ad Judaeorum mores cerimoniasque peculiares Graeci animos adverterant: cf. Theophr. ap. Porphyr. de abst. p. 147, Megasthenis fr. 41, Clearchi fr. 69 etc.

p. 192. 193. 233 fin. I, p. 9. 70. ed. Hamb.) in tempore fabularum avido et divinam fere sapientiam cum divina virtute confundente ita fere indicavit qui vitam eius scripsit Marinus homo ineptus, cuius narratione etiam recentiorum auctorum et ipsius Zelleri (3, 918 sq.) indicium corruptum est, sicut de Pythagora Jamblichus deque ipso Jamblicho Eunapius. Nam de Jamblicho quoque et doctore et scriptore paullo iniustius iam Meiners egit.

Jam vero si falsa sunt Pythagoreorum fragmenta philosophica, si falsa etiam poetica, duae res sequuntur quae et in Platonis et in epicae universae Graecorum poesis historiam maxime faciunt. Et primum quidem carmina Pythagorica quum et gnomica fuerint et — quibus praeter alios usus est Nicomachus in theologumenis arithmeticis (ap. Phot.) sicut testantur Doricae dialecti et epicae poesis servata vestigia cf. fr. ap. Procl. in Tim. 269b. etc. — theologica, mathematicam Platonicorum theologiam similemque libris Prori Philolai Megilli Archytae (Eunap. vit. Soph. p. 109 Boiss.) falsique apud Plut. de Is. Eudoxi (cf. de hac theologia quasi Pythagorica Varron. ap. Augustin. de Civ. D. 6, 5. Porphyr. de abstin. p. 167 ed. Rhoer, Proclus in Parmen. IV, p. 39 Cous., in Tim. 216a, Theol. Plat. I, 4. p. 9. Syrian in metaph. p. 303 Br. ed. Met.) et cum Orphica mixtam continentia, partim illa Pythagoreis velut Brontino partim epicis poetis veluti Prodico Cercopi (cf. Cic. n. d. 1, 38 — non enim sunt diversi Milesius et Pythagoreus quod voluit Markscheffel; cf. etiam Jambl. v. P. 9. 11. Porph. 2 de Creophylo) aut theologis fabulosis Lino (Jambl. v. P. 139) Epimenidi Abaridi (Porph. v. P. 29) Musaeo Orpheo tributa, concedendum est fuisse aetate Alexandrina Orphicam quandam poesim epicorum poetarum vestigia imitatione legentem (cf. Clem. Alex. ed. Sylb. p. 624 a. 628 c. d. multisque aliis locis) temporisque huius rationi plane aptam ad interpretationem symbolicam et physiologicam propensae quod Stoicorum comprobant et testimonia (cf. Lobeck Agl. p. 606 sq. Krische I, 487) et studia ipsa veterum poetarum maxime tamen Homeri et Hesiodi, quibus inconsultius addidisse videtur etiam Orpheum et Musaeum Phaedrus et cum eo Cicero (ap. Krisch. I, 478. cf. 391), licet horum carmina hoc ipso tempore et iam ante Chrysippum composita existimem et ante librum peripateticum de mundo (c. 7). Ad quam igitur poesim et magna illa theogonia quatuor et viginti libris comprehensa et cetera carmina quorum extant fragmenta pertinent — non enim assentior Lobeckio Agl.

p. 611. 693. 331, cf. tamen eundem de crateribus Orphicis 736 — philosophorum Graecorum doctrina et theologia Phoenicia aucta, non minus quum Pherecydes ille fabulosus Pythagorae magister Gnosticis carus et a vetere quem citat Aristoteles theologo, qui scilicet idem est atque Atheniensis theogoniae auctor, prorsus diversus, Eratosthene tamen antiquior (cf. etiam Joseph. c. Ap. I, 2. p. 439 Hav.), non minus denique quam theologia Orphica Hieronymi Phoenicicorum scriptoris. Illa vero Orphica nec Aristoteles si novisset propter recentiorem et fere philosophicam theologiam et mysticam quandam propriamque eorum rationem plane in Metaphysicis Rhetoricis Poeticis neglexisset nec cum Pythagoricis confudisset Herodotus nec aliam posuisset Eudemus Orphei theogoniam multo hanc sicut Acusilai et quae ferebatur Epimenidis Hesiodeae propiorem et barbaris nominibus carentem (cf. ipsum Arist. Met. 11, 6. 13, 4). Nec ullum apud Pherecydem qui vatem tantum Orpheum respicit (fr. 63 M. cf. Apollodor. 1, 3, 2.) nec apud ipsum postea Apollodorum vestigium extat. Dissimiles igitur fuisse videntur qui Euripidis et Platonis aetate (cf. Alexis ap. Athen. 4, 164) novis religionibus insigni (Lob. Agl. 646 sqq. 670. 627 sqq.), quum et Orphica iam mysteria celebrata essent, Orphei et Musaei libelli multi ab Orpheotelestis ferebantur breviores fere et maxime rituales hymnosque et vaticinia et lustrationum cerimonias habentes, (cf. ἐπῳδάς Orphei Eurip. Alc. 967. Cycl. 646 Dindf., sicut Zamolxis et Abaris Platon. Charm. 158, cf. Orphei θεοπροπίας ap. Philoch. in Schol. Cobet. ad Eur. Alc. 983, καθαρμοὺς Empedoclis D. L. 8, 54 etc.) mythologicis quibusdam rebus et physiologicis quod ex Aristotelis testimonio constat mixti, novo quidem ut videtur litterarum genere — primus fere c. Ol. 74 secundum Herodotum Onomacritos ὁ χρησμολόγος Musaei nomine usus vaticinia edidit, cui postea doctorum coniectura (Paus. 1, 22) etiam Ὀρφικὰ ἔπη tribuebant (cf. praeter Paus. Sext. Emp. 462, 2 = 126, 15 Bekk.) vel Homericorum recensionem — et Hesiodeis, in quibus Orphicae iam rationis initia velut in Hecatae laudibus offendunt, illo fere succedente. Sunt enim haec aliaque in theogonia recentiora ipsius Hesiodi aetatis indicia unius fere inter veteres epicos et nomine et vitae notitia poetae certi quum quod ipsi veteres advertebant ipse se secundum veterum historicorum morem nominasset; qui quidem universam fere epicam poesim quam et sententiis imitatur respiciens primus varias de mundi deorumque generatione fabellas

a vatibus carminibus passim usurpatas (cf. ipsum theog. 101) non sine discrepantiae vestigiis manentibus in unum carmen et quasi systematis artificium collegit philosophicum, etymologica quadam et symbolica nominum fabularumque perspicuitate atque connexu ipsisque obscurorum nominum etymologiis rituumque explicatione mythica et notionum sive ethicarum sive quod in catalogis maxime factum est ethnicarum (cf. Cinaethonem Hellanico in hoc plane similem) prosopopoeia insigne. Omnis vero Hesiodea poesis et interpretandi hoc studio philosophico et quo fabulae gestaque connectantur genealogico et politicae doctrinae rudimentis historiae et philosophiae ex hoc ipso musarum flore in Jonia natarum quasi mater nec illam adeo longo tempore praecedens ab antiquissima illa aetate in quam veteres — veluti iam Herodotus cuius quam parum valeat opinio de Arimaspeorum simili fere aetate indicium indicat — vaga quadam antiquitatis opinione ex ipsis argumentis et poetarum incerta memoria nata commoti Hesiodum referunt Homero aequalem, plane eodem modo aliena est quam ipsa quae primam hanc sapientiam et prooemia epica paullo praecedunt heroicae poesis carmina epica, quae arte consilioque accurata et ipsa sermonis narrationisque ubertate rhetorica lyrico saepe colore ornatae a temporis litterarum ignari brevitate ipsa facta admirantis atque a carminibus illis unde nata sunt popularibus nonoque seculo longo intervallo seclusa florentibus iam litteris aequalia sunt. Omnium enim populorum litterarumque historiae repugnant veterum Alexandrinorum rationes chronologicae plane arbitrariae quarum auctoritate omnis fere antiquissimarum apud Graecos litterarum notitia perversa est et corrupta, augente quidem illa in immensam quandam antiquitatem carmina illa de quorum auctoribus deficiente omni de vita scriptorum quae doctorum studiorum est memoria non meliorem quam nos nunc quoque notitiam tenebant praeter fabulas quibus solis veterum auctorum memoria et servabatur et contaminabatur et lyricorum poetarum de rebus coaetaneis commemorationes raras quidem et obscuras et saepissime, ut ipsae sibi contradicentes grammaticorum opiniones arguunt, falsa ratione explicatas, quibus ut aliis monumentis deperditis nescio quibus nimiam Clinton (in Fastorum praef. in.) dignitatem tribuit. Nihil ergo ut fere ne de rerum politicarum quidem chronologia si rerum contemporanearum in huius aetatis fine notitiam exceperis, scimus de veteribus poetis historicis philosophis qui Atticarum litterarum

florem praecedebant. Non enim fuit ante Peripateticos neque litterarum historia neque chronologiae studium praeter genealogorum figmenta coniecturasque generationibus (γενεαῖς Hellan. fr. 82. cf. Herod. 2, 145 sq. 143) descriptas, quorum et rationem et aetatem referunt regum sacerdotum victorum veteres illae (cf. Plut. adv. Col. 17. de mus. 3. Lyc. 1. Numa 1 etc.) ἀναγραφαί a doctioribus quibusdam hominibus seriori tempore confectae et in templis positae, velut post Timaei Philochori etc. studia marmor Parium. Glauci vero Rhegini liber de poetis merito antiquis iam suspectus fuit nec magis ad litterarum historiam pertinent nec Theagenes et Stesimbrotus (nisi forte Herodotum etiam peculiari libello in Homer aetatem inquisivisse ex Tatiano credas) nec sophistarum aetatis Socraticae quaestiunculae Homericae. Restant solae quaedam carminum epicorum apud historicos Herodoto aequales (Charonem etc.) notitiae; de lyricis et philosophis quoque certissima ea sunt quae ipsi in fragmentis docent (velut Parmenides de Heraclito antiquiore sec. Bernaysium). Librum de poetis et sophistis Damasti tribuit unus Suidas errore sine dubio. Democritea musica ab ipso certe D. aliena. Sunt igitur coniecturae coniecturisque nituntur Alexandrinorum numeri (cf. Clinton F. H. p. II.) atque delendi sunt omnes isti Olympiadum numeri in quarum seriem grammatici epica carmina ordine se excipientia ex ipsa eorum natura pretioque concluso inserebant, antiquitatis studio ducti et quadam etiam barbarorum aemulatione, velut Aegyptiorum quorum stupenda antiquitas sapientiaeque fama grammaticorum Graecas litteras doctorum opera inventa et in annorum certos numeros redacta certe neque Alexandrinorum testimoniis (Lepsius Chronologie I, p. 38 sqq. 44. 45 sqq. 55 sqq.) neque mortuorum libris sepulcralibus (ibid. 38. 50. 52 sqq. etc. cf. Totenbuch Vorw. p. 17) neque demum ex Manethone (Leps. p. 250 sq. 500 sqq.) probatur. Huic plane similis est Indorum chronologia de quorum carminibus epicis secundum Indos sicut Homerica vetustissimis nunc demum libero sanoque iudicio A. Weber iudicavit. Epica enim poesis ita tantum prima est quatenus carminibus cantorum popularium ut rudibus ita brevibus continetur: quo quidem prisco tempore carmen lyricum idem est epicum, atque omnia poesis id est narrationis metricae genera indiscreta ita ut lyrici et dramatici carminis vicem gerat rerum gestarum tacita quaedam admiratio ipsa magis factorum granditate significata quam narrando expressa et certantium brevis quaedam

et abrupta disputatio, ut bella virtutesque sint pro amore et dolore ceterisque quibus delicatiores animi commoventur quaeque studiose sectari vera solet epica poesis arte facta moresque simul cum factis et ingenia imitando et quod inde sequitur lyricum quendam colorem adspergendo omnem universae fabulae in rerum singularium cantus dissectae ambitum dedita scientique opera describens. Et haec quidem in immensam ipsa hac arte amplitudinem et si vetera respexeris loquacitatem diffusa lyricae fere poesi cultiorique vitae rationi primoque litterarum flori est coaetanea accedente mox etiam epopoeia dialogica i. e. genere dramatico, quod velut apud Graecos Indosque heroicorum carminum argumentis nititur. Talia vero carmina scribuntur, non iam ore traduntur, et scribuntur quidem in tempore cultiori ab ipso eo quod describunt longo intervallo remota nec tamen quum fabulas veteres notasque sequantur ita ut nec harum discrepantiae omnino tollantur ipsumque argumentum vetus impediat pro huius intercedentis temporis longitudine novis rebus praeter ipsam narrandi artem et nonnulla quae magis extrinsecus accedunt contaminata: quo fit ut maioris antiquitatis specie decipiant. Quod vero Iliadem et Odysseam uberrima carmina ab uno poeta sine litteris composita, rursus deinde propter ipsum ambitum cantando dissecta et lacera demo in pristinum tenorem fuisse quasi consuta dicunt — quae quidem nunc fere dominatur opinio (Ritschl Alex. Bibl. 70. cf. rectius de Indicis Lassen Ind. Alt. I, 482 sqq. 491) — haec tam mirabiliter excogitata sententia est ut eam nihil fere nisi chronologiae Alexandriae receptam tueri auctoritatem intelligatur. Cantando enim magnorum poetarum carmina epica fere intacta per secula servant ii tantum qui ex scriptis possunt discere memoriamque corrigere velut Itali Ariostum. Homericorum vero carminum ambitum ut non servare rhapsodi ita non componere poetae poterant nisi litteris perscriptum. Hoc autem fieri solet florentibus iam litteris: ita Mahabharatum sive eius partem epicam et Ramajanum in ipsa litterarum post Christum natum flore (cf. Weber Ind. Lit. G. 176 sqq.) primum scripta sunt cultissimi temporis ingenium ostendentia ipsique dramaticae poesi propiora; idem docet quum medii aevi omnis poesis tum carmen nostrum de Nibelungorum fato. Aliud enim est carmina popularia sparsa colligere et in librum redigere quod voluit Karolus magnus perfecitque carminum Islandicorum collector et apud Indos Vedicorum (sicut nostro tempore Lönnrot in Finnicis, quorum minime epica est fabulae unitas, sed

tantum quaedam quasi biographica), aliud epicum carmen unum arte condere. Quapropter in tempus Jonicarum litterarum ut poesis ita historiae et philosophiae initiis clarum Homerica quoque carmina deferenda esse censeo. Plane enim singulare Graecis esset, tot tantaque carmina per duo secula (usque ad Ol. 20 Callini ut volunt tempus) sine ceterorum generum ex epico nascentium aemulatione aut vestigiis durasse servataque esse. Ego quidem sic statuo epicam poesim ipsi lyricae aequalem, in quod ipsum tempus vel Alexandrini sapienter illi distribuentes ultimos épicos ponunt velut Eugamnonem Cinaethonem, iidem tamen primorum lyricorum antiquitatem velut Callini Archilochi [1]) nimium augentes, ita ut fere et ipsi nondum scripsisse (quod tamen absurdum est) cogitandi forent — fere inter Ol. 50 et 80 floruisse, vixisse Homerum Iliadis poetam Ionicum illum iam in hymno ad Apollinem satis quidem recenti fabulosum c. annum 600 a. Chr. n. (cui tempori inter veteres Theopompi fr. 221 b maxime coniectura ex qua Homerus est Archilochi aequalis cf. Tatian. Or. adv. Graecos p. 269 ed. 1742, inter recentes Grotii II, 181 inter Ol. 850—776 ponentis accedit) oriundum quidem ex Ionia Aeolis confini ubi sunt Chios et Smyrna huiusque dialectum et Aeolicae regionis notitiam accuratissimam referentem (cf. Giese Aeol. D. 179. 195), qui fabulas de bello Troico coloniarum Aeolicarum ut Ponticarum Argonauticae iuniores memoriam quandam obscuram servantes longoque popularium de singulis viris gestisque carminum usu traditas, fortasse etiam ex parte eas perscribendi initiis quibusdam praecedentibus (cf. quod dicitur — Klage 2145 — carmen latinum de Nibelungicis nostris) nunc in unum summa arte novoque narrandi genere et sermone metroque recens condito (quod sicut fere Nibelungicum metrum aliorum metrorum lyrico iam usui non repugnat) factum carmen redegit perscripsitque et ita quidem ut neque aequalium carmina neque vetera

---

[1]) Archilochum quidem iam inde ab Herodoto (1, 12) propter mentionem quandam Gygis fabulosi illius fecerunt aequalem (Ol. 23); sed omnis Lydorum et historia fabula est et chronologia ut ceterorum barbarorum et ipsorum veterum Graecorum incerta quippe ad cyclos quosdam plane arbitrarie (cf. C. Müller introd. in fr. chronograph.) adornata (cf. de Lydis C. Müller fr. hist. I, 581 fr. chron. 144. 165 sq.). Ad hanc Lydorum aetatem Homero aequalem spectant Phoeniciorum commercia, *Γυγαίη λίμνη*, lingua deorum, Atheniensium partes, Cares barbări etc.

si sumentur secundum Islandicorum exemplum tenaci memoria fere immutata — quod vel carminis de Hildebrando, cui fere similiora forent noni seculi Homerica et a scripto Homero cultissimum iam tempus ostendente plane diversa, apud nostrates seculorum mutationes ostendentis exemplum refutat — amplius dignosci possint et exsecari. Ad talia enim, quasi non sint aequabili poetae labore omnia novante in unum corpus confusa, ea omnia selecta referre quae ipsas res narrationi procedenti necessarias continent ob id ipsum fere meliora, quum epica poesis maxime a rerum argumento et dignitate pendeat atque poetae facultas quo minor est magisque a rebus suspensa eo ipso sit inaequabilior, quamvis ceterum neque sermone neque revera ingenio diversa sit, id ut ingeniosum quidem est et maxime delectabile ita iniustum. Qua in re neque de Nibelungicis, nedum de Homericis multo maiori cum arte factis Lachmanno consentire possum. Homeri vero carmen sicut apud nos medio aevo initium fuit amplissimae epicorum carminum poesi similis ambitus variaeque artis longe tamen ab Homerica recedentis fere ut a Nibelungicis cetera de fabulis Germanicis carmina (cf. Thebaid. fr. 2. 3. Düntz. Cypr. fr. 5. Il. parv. fr. 7) poetarumque maxime Ionicorum, mox vero Graecorum in Europa etiam secundum imitationem Homericam (cf. Kirchhoff Qu. Hom. partic. p. 16 sqq.) quae ipsa certissimum scripti Homeri testimonium est, res tamen magis narrare multas quam arte delectare quaerentium et deficiente carminum materia multa aut novis fabulis additis velut de Amazonibus et Aethiopibus aut secundum analogiam Homericam (ita descensus in inferos etc.) repetendo arbitrarie fingentium, qui vel fabularum causas iam quodammodo explicare conati (cf. Kirchh. l. c. p. 19) ut hac re ita accuratarum descriptionum (Cypr. fr. 2. 3) studio et argumenti multitudine quam reprehendit Aristoteles historiam nascentem sicut inter Hesiodea maxime Eoeae indicant. Quae quidem carmina ipsi Homero apud veteres plerumque, postea autem doctorum coniecturis diversis rhapsodorum nominibus et vel pluribus singula secundum patrias quae credebantur adscripta, et quaedam vel Phemio fabuloso et Demodoco (Plut. de mus. 3 ex Heraclide, cf. Tatian. Or. adv. Gr. p. 275), in omni mox Graecia clara sparsa tamen iuxta varia loca quorum fabulas maxime celebrarent — inde septem illae Homeri urbes natales — Hipparchus (idem enim est quod de Solone Pisistrato Hipparcho narratur et de Hipparcho quidem quo minus illis clarus fuit eo credibilius:

nam quod vel in Solonem hoc referebant convenit cum eo quod vetus Homeri exemplar apud Spartanos servatum in Lycurgum ut civilia omnia referebant) in Athenas primum invexit et describere in proprium publice depositum exemplar iussit (sec. Pseudoplatonici Hipp. testimonium antiquissimum quod nihil refutavit Nitzsch hist. Hom. 1, 164 sqq. Alexandrinorum sicut recentiorum coniectura ex ipsa falsa antiquissimae carminum originis opinione nata est), ut inde discentes correctique iusto ordine rhapsodi totum (ἐξ ὑποβολῆς sensu antiquiore = ἐξ ὑπολήψεως, licet invito Nitzsch II, 133 sqq.) declamarent. Quae ipsa serior apud Atticos Homeri notitia non adeo multum antea vixisse hunc comprobat. Epica vero poesis cui nunc Attici quoque Theseum canentes poetae accedebant praeter tragoediam usque ad Pisandri et Panyasidis aetatem et ad ipsum vere historicum Choerili carmen uno tenore durans a fabulis patriis paullatim transiit sive in barbararum gentium fabulas, velut nascente quodam geographiae poeticae studio Arimaspea, sive in ipsius quandam quasi parodiam argumentumque comicum (Batrachomyom. hymnus in Mercur. etc.) et adeo eroticum (ἐπικιχλίδες) sive in genealogias mythicas deorum heroum singularumque urbium κτίσεις et quae fere scientiarum initium est rusticam cum sententiarum moralium prudentia doctrinam: e quibus et historia eundem plane morem gerens et philosophia nata est quae usque ad Platonem et cosmogonica et ethica omnis est. Theogoniam Hesiodeam fere sequitur hymnorum et ipsa scripta iam poesis (Olenis h. Herodoto iam, Homeri ad Apoll. Thucydidi notus fuit), deinde Platonis tempore iam florentia mystica et superstitiosa in quibus Orphicae poesis Alexandrinae semina. Quae si vera sunt, simul sequitur abiiciendam esse omnem illam qua carmina epica Hesiodea maxime distruuntur interpolationum ipsa carminum per omnem Graeciam claritate prohibitarum investigationem quae doctorum fere temporum usum in Homericam aetatem ut parcam in scribendo ita religiosam transferat, sequitur igitur, quod mihi quam maxime certum est, Homerica et Hesiodea singulis quibusdam paucis versibus exceptis ut nunc quoque leguntur ita si librariorum negligentiam omnibus veteribus libris communem omiseris ab ipsis iam auctoribus scripta esse. Verae enim interpolationes ab ipsis iam veteribus notatae Alexandrinis et criticis coniecturis fere debentur (cf. Chrysipp. ap. Galen. V, 349; de Epicuri epistolis D. L. 10, 3; de Sophocle D. L. 5, 92 etc.).

Praeterea vero — et hoc alterum est — ex mutato de Pythagoreorum historia iudicio — quo quam vanae sint apparet Graecae philosophiae historicorum omnium auctoritate fontium non satis perpensa ratiocinationes factae de philosophia Pythagorica, maxime quae E. Reinhold, Braniss, Apelt disputarunt, sed ceterorum etiam nisi quod cautiores Wendt Schleiermacher Zeller qui vel in suspicionem vocavit Philolai fragmentum unum quod sane rem omnem conficit (Phil. d. Gr. I, 123. II, 259): omnes enim illi nituntur Boeckhii libro et Philolai falsa auctoritate — hoc igitur mutato mutantur etiam in ipsius Platonis vita scriptorumque eius ordine et doctrinae elementis intelligendis multa. Non enim potuit esse quorum ingenium quidem symbolicum quodammodo cognatus refert summus inter philosophos sublimisque poeta Pythagoreorum discipulus, licet — quod unum certum est — Archytam Tarentinum convenerit hominem et sapientiae laude et civilibus virtutibus clarum sed quem non magis Pythagoreum dicas (cf. Beckmann de Pyth. rel. 22 sq.) quam Dionem, quemque adeo si recte legit Casiri I, 302 in discipulorum Platonis recensu ex eodem fonte ex quo Diogenes L. hausit (3, 46) sumto cum Dione ponit Dschemaleddinus. Nec possunt re vera ut Pythagoreorum in Platonis doctrinam auctoritatem probent nisi eas res afferre quae nullius sunt in ipsam philosophi sententiam momenti, ludendo tantum doctrinae addita adspersaque rhetoris et iocosa fere ornamenta neque haec quoque ipsos Pythagoreos sed eorum rationem mythicam et symbolicam planeque superstitiosam libera et quam maxime propria imitatione referentia. Ipsa vero numeri et mensurae intellecta dignitas et definitio dialectica rerum genera distinguens logicisque finiti et infiniti momentis constans, cuius symbolum est idea (μέτρον), et Platoni propria nec nisi Heracliti et Parmenidis libris moralique Socratis magisterio eiusque sapienti in disputando verborum fraudes detegendi methodo nutrita et in omnibus eius scriptis eadem est (cf. Zeller ap. Pauly s. v. Pl. V, 1690). Haec enim ut fere rhetoris est diversissima tamen arte magis distant et scribendi causis finibusque quam sententiis, ceterum quod ipsa huius temporis urbanitas mediae quoque comoediae propria (in cuius fragmentis quae repugnare videntur aut alius plane rationis sunt veteri Aristophaneae dissimilis aut incertae comicorum chronologiae debentur) postulat a viventium nomine aperta irrisione et omnino prosopopoeia poetice fingente fere abstinens, post Socratis

mortem cuius personam inferunt omnia composita. Quapropter et ethici libri singulares primum quaestiones negando fere definientes magistri memoriae in cuius gratiam scripti sunt ut ceterorum Socraticorum dialogi ipso argumento propiores praecedunt dialecticos et universaliores, et in ethicis ipsis ii qui magis sunt apologetici eos qui docendi magis studium ostendunt. Scribendi enim Platoni initium primaque occasio fuit eadem quae Xenophonti multisque aliis discipulis aliquot post condemnationem annis (cf. Grote VIII, p. 675 sq.) Socratis defensio contra oratores factionemque democraticam, ab ipsa fortasse Polycratis sex annis post accusatione scripta non aliena. Ordo igitur librorum Platonis fere hic est: Apologia Crito Alcibiades I Euthyphro; deinde Laches Lysis Charmides Hippias maior ad quorum tempus Hippias minor et Ion etiam et Menexenus pertinent quibus non satis certus locus definiendus est. De Alcibiade II et Theage dubium indicium est. Jam sequuntur post Protagoram certo fere ordine Euthydemus Gorgias Meno Theaetetus Sophista Cratylus Parmenides Politicus Phaedrus (de quo plane assentior Hermanno); deinde Symposium Phaedo Politeia Timaeus Critias Philebus Leges denique cum Epinomide quae sine dubio genuina est licet repugnante virorum doctorum consensu, et quae ultima videtur epistola sive oratio ad Dionysii propinquos, Isocrateis (cf. Dionys. Hal. VI, 782. 786, quarum una tantum decima falsa est sicut una Platonis genuina; Speusippi quoque ad Dionysium et Dionem epistolae si ex fragm. D. L. 4, 2 iudicium ferimus suppositae erant, cf. D. L. 4, 5: hoc enim ex sophistarum iam more est qui Platonis Aeschinis Aristippi Cratetis — cf. Boisson. in Notices et Extraits T. XI P. II p. 1 sqq. — aliorumque Socraticorum et omnino philosophorum epistolas conscribebant, quarum cf. Orellii collectionem) ratione similis, praeclara illa quam Cicero dicit si quidem duas eius partes nescio quo casu (fortasse quia altera quaedam ad eosdem epistola perdita esset, cf. D. L. 3, 61 ed. Cobet.) inepte diremtas (ep. VII et VIII) in unum eiusdem tenoris librum rursus coniungas. In qua serie certi maxime temporis sunt quae quippe orationes in certas occasiones scriptae eodem quo habitae finguntur tempore scriptae quoque esse debent, Apologia (c. Ol. 96 fin.), Menexenus (c. Ol. 97, 2?), Epistola (Ol. 107, 1). Quod vero post haec studia in politicis denuo et ita quidem versata ut rationem philosophicam cum historica fere commutent senis Platonis fuisse sumunt (cf. C. F. Hermann Ges. Abhdl.

1849. p. 283 sq. 305) doctrinam de numeris dialecticam, id et Legum argumento ultimi operis repugnat et nititur coniectura ex Aristotelis Platonicae doctrinae secundum discipulorum rationes enarratione petita ceterorumque Platonicorum libris Platonis idearum doctrinam proprio suoque conatu demonstrantium dialogisque eius quasi *ἀγράφους συνουσίας* exponentium firmata — nihil enim in hanc rem facit male intellecta narratio Aristoxeni Harm. II, p. 31 Meib. de discipulis metaphysica Platonis de bono doctrinae ab ethica ea quam fere exspectaverant remotioris sublimitate perculsis, praesertim quum idem ipse Plato de idearum doctrina dicat Phileb. 15 extr. Nulla igitur fuit Platonis doctrina praeter eam quae omnibus libris aperte tradita est et perpetua fere unaque continetur oratione ad idearum fidem exhortatoria. Ceterum de Platonis dialogorum auctoritate iudicium eo maxime difficile est quod quum et Menexenus et Hippias minor satis levis pretii libri — sunt enim rhetoris magis Platonis dialogi quam philosophi — Aristotelis auctoritate tuti esse intelligantur, quae quidem eadem manet auctoritas etiamsi quartus Metaphysicorum liber non ipsius sit Aristotelis sed Peripatetici cuiusdam veteris (Arabica versio quam sequitur Averroës Hippiae nomen omnino praetermittit), latissimis terminis si cum illis ultimos libros comparaveris Platonis scriptione definita criteria fere evanescunt. Neque enim ulla causa videtur cur non, si Hippias, etiam Alcibiades II et Theages (de quo nihil dubitat Dionys. H. V, 405. Albin. c. 5) ceterique adeo quos recensent Thrasyllus et Dercyllides tetralogiarum auctores (Albin. introd. c. 6) — nihil enim impediunt sententiae ipsis fere verbis repetitae, quod omnibus fere rhetoribus commune est, cf. Isocr. ad. Philipp. 84 sq. et e. gr. Isocr. Nicocl. 5—9 = π. ἀντιδ. 253—57, cf. Panegyr. 47—49; Xenoph. Memor. 4, 8, 6—8 = Apol. 2—9. cf. de Antiphonte Spengel. Art. scr. 109, de Demosthene Westermann Qu. Demosth. p. 145. 159 et omnino p. 133—166, et in ipso Platone Criton. 43 = Phaed. 58, Apolog. 19 (Theag. 128) = Protag. 316 etc. — iam primis Alexandrinis ante Aristophanem (quod Minois notitia probat) noti omnes pro veris et genuinis habeantur, praesertim quum Platonis libros utpote in hac re et ab Hippocrateis Democriteisque ante Alexandrinos a paucis tantum lectis et ab Aristotelicis diversos continuis fere Platonicorum qui primi fuerunt expositores licet mathematica maxime quaerentes Reipublicae et Timaei usque ad Alexandrinos et Eratosthenem alterum illum Pla-

tonem studiis — cf. Martin in praef. ad Theon. Smyrn. astronom. p. 42 sqq. (cf. 22. 59. 73. 79); de Eratosthene cf. Theon. arithm. praef., Jambl. ap. Stob. Ecl. phys. 904, Procl. in Tim. 186 e. etc. — contra falsos praeseptos quodammodo fuisse credideris. Quod si tamen non fuit, id certe patet Platonis quoque falsa iam antiquitus nota fuisse et sicut quae supra rencensui plurima Socraticorum et Pythagoreorum, Hippocratis et Democriti, poetarumque omnium epicorum et de quibus C. Müller egit veterum ante Herodotum historicorum velut ficticii illius Cadmi Milesii (Müller Fr. h. II, p. 3), Aristaei Proconnesii, Amelesagorae, et quem numquam fuisse puto Xanthi Lydi, aliorum (cf. Dionys. opp. rhet. p. 864. Hecataei quoque Milesii et Hellanici cum veris falsa multa ferebantur et quidem antiquo iam tempore; Hecataei opus geograph. iam ante Callimachum. Hellanici Carneonicas et Sacerdotes Junonis — et Charonis quoque liber uno tantum Suidae testimonio firmatus maxime suspectus est — nondum novisse videtur Heraclides Ponticus ap. Plut. de mus. 3. cf. Dionys. A. R. 1, 72; dubito praeterea de Hellan. fr. 143, cf. 53. *τὰ γὰρ Ἀχουσιλάου νοθεύεται* Suid.) partim Alexandrinorum pseudepigraphiae primisque bibliothecariis deberi (cf. Ritschl. Al. Bibl. p. 40 de libris commixtis), partim horum ipsorum auctoritate et fide confirmata esse, ubi ipsi iam auctores anonymi claris quam suis nominibus uti maluissent secundum morem postea etiam vulgarem, velut fabularum amatoriarum scriptoribus quorum plurimi veteris illius Xenophontis et sermone et argumento cognati titulum arripiebant. Minus in hac re valere videtur, quod de Aristotele (cf. Aristotelem rhetorem D. L. 2, 63. 5, 35) sumit David, auctorum homonymorum confusio, qua quidem explicare aut titulos quos falsos esse intellexerant aut diversas rationes chronologicas proclivius veteres critici solebant (Bekker Anecd. II, p. 785, cf. duos Lycurgos Timaei fr. 47, duos Simonides Ceos Müll. ad Marm. Par. p. 584, duos Pherecydes Andronis D. L. 1, 119 cf. Suid. s. v. praeterea cf. D. L. 1, 98 sq. Suid. s. Emped. idem s. Hippocr. ubi cf. Soran. vit. extr., Stephan. Expos. in Prognost. p. 4 sq., Steph. Byz. s. *Κῶς*. scatebant talibus erroribus Demetrii Magnesii et Hesychii opera: ex hoc cf. Tyranniones Soranos Philostratos etc.). Probant hoc multi illi Archytae (velut Themistii ille Peripateticus; de ceteris cf. Beckmann p. 3. 19) et Pythagorae (velut athleta, Phliasius, Spartanus, Zacynthius, Crotoniata — auctorem tamen revera diversum libri de mari rubro Ptolemaei secundum

Plinium praefectum Fabricius demum confudit) et Orphei plures velut Orpheus Crotoniata i. e. Pythagoricus, et Camarinaeus i. e. ut coniicio Chaldaeus sive Judaeus (Cf. Eupolemi fr. ed. Kuhlmey p. 47. Alexandre ad Sibyll. 3, 218. fuit enim Orpheus Mosis discipulus sec. Artapan. ap. Euseb. P. E. 9, 27.) ad historiam hic quidem pseudepigraphiae Christianae docta studia praecedentis et per prima duo secula late patentis pertinens vetustissimorum denuo nominum usu velut Sibyllarum (cf. Lactant. 4, 15, 26), Orphei (cf. διαθῆκαι de quibus — cf. Zeller III, 573 sq. — accedo Lobeckio Agl. p. 447) aliorum insignem (cf. etiam Hermetica apud Lactant.) Ceterum Sibyllina carmina incondita minime ad paganos partim pertinent ut nunc quidam volunt (Alex. praef. p. II et ad Sibyll. 3, 97 etc. cf. Dähne Jüd. Alex. Rel. II, 231 sq.) licet ex Alexandrinis auctoribus quaedam hauserint, recentioribus scilicet. Est enim Sibylla, multa de mundi consummatione ex more Chaldaico confabulata Berosi „filia," Berosi vero Chaldaica sicut et Manethonis et Hecataei Abderitae Aegyptiaca mihi persuasum est non ad aequales illos Alexandri et Ptolemaei primi ut fingunt (cf. cum Manethonis epistola Eratosthenis falsi prooemium apud Syncell p. 171 Dindf. et Pseudodemetrium), id quod ipsa studiorum Alexandrinorum et theologiae historia vetat, sed ad secundi seculi finem pertinere, cuius quidem sunt scriptores illi quos de rebus Judaicis agentes laudat Josephus (qui integrum Manethonis librum unus legisse videtur, ceteri summariis chronologicis varie computatis utuntur; cf. Castoris summarium), cuius etiam est Mosaicorum librorum interpretatio et Hermippi quoque non quidem vertentis (Ritschl Coroll. disp. de b. Al. 42) sed fictorum librorum doctrinam magicam explicantis Zoroastrica sive de magis libri. Hecataei Pyrrhonei philosophi est unus tantum liber de Hyperboreis, qui ut ipsum argumentum probat philosophicus potius fuit quam historicus.

Jam vero his pseudepigraphiae in libris clarissimi cuiusque auctoris obviae exemplis praemissis, veri admodum simile videtur neque Aristotelis cuius quadringentos fuisse libros et vel mille asserunt aliam rationem esse eoque magis scriptorum cuiusvis generis fama ornatum fuisse cum quo ceteros omnes et gloria antecelleret et polymathiae laude. Quorum quae nunc quoque extant specimina comparata cum illa quam certis verisque libris studiorumque historia ducti mente informamus scriptionis Aristotelicae imagine persuadent ut omnes fere libros quos recensent

indices traditi falso eius nomine inscriptos fuisse censeamus, omnes scilicet illos qui de eodem argumento plures recensentur Peripateticorum sive variae recensiones sive abbreviationes sive integrae cuiusdam disciplinae compendia excerptarumque sententiarum collectiones, locorum praeterea doctrinae singularium monobiblos eosque omnes qui aut nituntur Aristotelis vitae fama in iis maxime quae ad Platonem magistrum et Alexandrum discipulum spectant corrupta, velut dialogos quas secundum Platonicorum multis in rebus scriptorumque argumentis similium exemplum Theophrastus et post eum Peripatetici componere solebant et libros doctrinae compendium gerentes ad Alexandrum epistolarum modo datos multis illis falsis similes Hippocratis ad Ptolemaeum regem et ad Antigonum Dioclis (cf. Fabricius de Hipp. c. 26. Bibl. Gr. II ed. Harl. Boissonade Anecd. III, 422. Wenrich de auct. Gr. vers. arab. 107 sqq. 138 sqq. nec raro apud medicos Arabes Aristotelis ad Alex. epistola citatur cf. Mesuem p. 236 d. 253 b. ed. Venet. 1581 etc.) aut Peripateticae scriptionis genera philologicae magis et historicae quam philosophicae propter varia huius rationis in Aristotele initia in ipsum magistrum referunt quales sunt libri omnes historici qui aut physicorum oratorum poetarum sententias vitasque aut civilia instituta ludosque publicos aliaque grammaticis cara persequuntur; quibus accedunt quae agmen claudunt epistolae et carmina, ne haec quidem ab homine πολυμαθεστάτῳ (Athen. 15, 696) abhorrentia. Quae quidem omnia propter argumentum ex Aristotele eiusque discipulis haustum quum revera Aristotelis quem explicarent et in studiorum usum expilarent potius essent quam editorum anonymorum vel ab Aristotele ipso scripta epistolis prooemiisque ad Alexandrum praemissis dedita opera fingerentur, Aristotelis libris in bibliothecis adiecta fuisse par est: quo factum est ut sicut Democritica et Hippocratica paullatim ingens evaderet collectio Aristotelica. Non vero neglecta fuisse in libris coacervandis a Ptolemaeo Philadelpho Peripateticorum sicut pater fautore et discipulo opera Aristotelis, praesertim quum adhuc et a philosophis et ab historicis (cf. Tim. ap. Polyb. 12, 9; 12; 24. Philochor. ap. Athen. 14, 656) studiose legerentur, hoc et ex ipsa re sequitur et constans apud veteres fama asseverat (Athen. I p. 2. Ammon. Sch. 28, 43. David Sch. 28, 14). Quamvis igitur falsa iam ante hoc tempus plurima, omnia vero tertio a. Chr. seculo ut scripta ita in bibliothecam Alexandrinam collecta fuerint — nam Politias iam Timaei

tempore (i. e. Ol. 130 cf. Polyb. 1, 5, 1) Aristoteli ipsi tribui solitas esse docet ipse ap. Polyb. 12, 9 et ap. Athen. 6, 264; et Protrepticus a Telete respicitur qui scripsit circa Ol. 133 (cf. Niebuhr in mus. Rhen. vet. I, 2, p. 159. 168.) — nullum tamen Aristotelis apud Alexandrinos grammaticos studium fuit nec quisquam ea inter commixta volumina cum Theophrasteis aliisque reposita in indicem scripsisse videtur. Quid enim pertinebat ad illos poetarum et rhetorum studiosos et medicorum adeo et philosophorum si quidem propter dialectum notabiles essent ut Heraclitus Democritus Plato Aristotelis sermo a vulgari non recedens, licet sane ipsum illud posteriorum de Aristotelis et Theophrasti suavitate iudicium ab Alexandrinis iam repetendum videatur, ut quae de Epicuri sermone Cleomedes cycl. p. 112 sq. ed. Bake et Plutarchus indicant ab Aristophane (D. L. 10, 13). Nec ulla extant Alexandrinorum nisi de historicis libris testimonia, quibus a philosopho quidem alienis studio vero eorum compilatorio apprime convenientibus usos eos esse consentaneum est docentque citationes in scholiis servatae. Praeter politiarum historiam et *νόμιμα* et *θαυμάσια* cet. maxime legebatur animalium historia (cf. Schneider praef. in Ar. h. an. p. 18. 79.) quam et rerum mirabilium scriptores adhibebant et grammatici animalium plantarumque nomina e veteribus scriptoribus colligentes et testimoniis descriptionibusque appositis accurate distinguendo explicantes eodem fere modo quo ipse Athenaeus in libro de piscibus septimo, de plantis cibisque secundo et tertio disputavit et Trypho medicus in convivio Plutarcheo (3, 1 et 2). Scripserant enim Callimachus *περὶ ὀρνίθων* (Athen. 9, 388. 389. 394), Aristophanes *περὶ ζώων* (Sopater ap. Phot. p. 104 b. cf. Nauck fr. Arist. p. 281 sq.) Apollodorus *περὶ θηρίων* (Athen. 15, 681 cf. Plin. ind. l. XI; 11, 30 etc. cf. C. Müller Fr. hist. I, 469, simili ille quidem ratione quam Dorion de piscibus apud eundem Athen., nec sine usu Aristotelis cf. Schol. in Nicand. Ther. 715) aliique alia sicut postea Trypho grammaticus *περὶ φυτῶν, περὶ ζώων* (v. Velsen, Tryph. fr. p. 81 sqq. cf. de trigla ex Aristotele agentes et Aristoph. ap. Artemidor. Oneirocr. II, 14 et Tryphonem ap. Athen. 7, 324). Neque illi qui vitas moresque philosophorum enarrabant in fabulis congerendis plurimum operae ponentes nec nisi summis tritisque placitis ut sectas distinguerent memoratis, id quod docent quae inde in Diogenis Laertii compilationem manaverunt, diadochorum series eodem in antiquioribus (cf. ex. gr. diadochos Pythagoricos

ap. Jambl. v. P. 265 sq. et sectarum genealogiam ap. Diog. L.) arbitrio quam ceterorum veterum auctorum constituentes, licet in hac ipsa re et scripta ut aliorum ita Aristotelis passim data occasione tangerent, non tamen dedita criticaque opera recensuisse omnes et indices fecisse putandi sunt. Ita Hermippus in vita Theophrasti dixit de Gryllo Theophrasti (D. L. 2, 55) eodem scilicet quem postea Andronicus et Quintilianus Aristoteli tribuere mallent, dixit idem propter Hermiam de paeane illo clarissimo quo poeta quidam cuius nomen propter hoc ipsum artificium ignotum est Aristotelem illius interfecti virtutem laudasse finxit (Athen. 15, 696). Similiter Apollodorus in Chronicis de Cratetis scriptis in universum quaedam monuit (D. L. 4, 23 cf. 2, 2); a quo diversus sine dubio est Apollodorus de Epicuri scriptis (D. L. 7, 181. cf. 1, 60) Epicureus. De aliis exemplis cf. D. L. 9, 111 (ex Antigono Carystio de Timone cf. 2, 136) et 8, 8 (ex falso Jone de Pythagora) etc. Paullo accuratius iam Heraclides Lembus (c. Ol. 160) libros Pythagorae enumeravit (D. L. 8, 7). Idem denique docent indicia de librorum auctoritate passim memorata e fabulis saepe pendentia (cf. D. L. 2, 60. 61 etc.), et ipsa sinceriora Panaetii (7, 163. 2, 64 etc.). Obscurus est Damasus ille (forte Damastes quem *περὶ ποιητῶν καὶ σοφιστῶν* scribentem cum Sigeensi historico Suidas confuderit) qui in vita Eudemi de scriptis eius dixisse videtur (Simplic. in Sch. 404 b 34). Quae quum ita sint, neque de iis aliter indicandum esse videtur quae ex Hermippo de Theophrasti Metaphysicis et libro historiae plantarum octavo Andronicus adnotavit secundum scholia illa duo Aldina, quorum alterum (cf. Schneider ad Theophr. T. III, p. 639. Wimmer ad hist. plant. p. 265) ita explicandum est ut sicut Athenaeus Aristotelis de animalibus libros VIII et IX secundum argumentum citat *περὶ ζώων ἠθῶν καὶ βίων* (7, 307 = Ar. 9, 2. 610 b 14—17. cf. Athen. 7, 282 = Ar. 9, 37. 620 b 33—35) ita Hermippus octavum sive septimum (*τὸ η*^ον^ cod. P. ap. Wimmer) de plantis citaverit *περὶ φρυγανικῶν καὶ ποωδῶν* (= lib. VI—VIII). Iusta enim librorum Theophrasteorum *ἀναγραφὴ* ab Hermippo quam maxime aliena est neque dubitarem, nisi me duorum locorum consensus cohiberet, restituere pro Hermippo — nisi forte alius quis est post Andronicum vivens velut Berytius: nam librum certe *περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαπρεψάντων δούλων* (Suid. s. Ister) esse Hermippi Berytii qui ipse *ἔκδουλος ὢν γένος* (Suid. s. v.), non Smyrnaei (Lozynski, Herm. fr. p. 40), consequitur e Suida

dicente de Caecilio Calactino et Habrone, nec ad veterem Hermippum pertinere sed ad Berytium patet libros *περὶ τῶν ἐνδόξων ἀνδρῶν ἰατρῶν* quorum quintus una cum Philonis Byblii, Berytii magistri, libris *περὶ βιβλιοθήκης κτήσεως* (cf. Suid. s. v.) et Sorani *ἰατρῶν διαδοχαῖς* citatur in Scholio ad Oribas. Coll. med. 44, 7 (Mai, Class. auct. IV, p. 11); qui a Suida (*v. Αἰσχρίων*) citatur *Νίκανδρος ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τῷ περὶ τῶν Ἀριστοτέλους μαθητῶν* videtur esse Nicanor Alexandrinus Hermippi aequalis — Hermini nomen illustris illius inter Aristotelis commentatores Aspasii discipuli et Alexandri Aphrodisiensis magistri (Sch. 494 b 31. 495, 4), qui quamquam non ut Andronicus (cf. etiam Sch. 404 b 9, 41) et Adrastus (Sch. 321 b *ἐν τῷ περὶ τῆς τάξεως τῶν Ἀριστοτέλους συγγραμμάτων*, cf. Brandis Ausleger p. 277) de librorum Aristotelis ordine egisse ipsis verbis dicatur, tamen ut posteriores scholiorum scriptores (cf. Davidem Ammonium Philoponum) ita priores quoque omnes — ita Galenus scripsit *περὶ τῆς τάξεως τῶν ἰδίων βιβλίων* — et accuratius quidem id fecisse et consentaneum est et de Hermino inde sequitur quod quum *τὰ πρὸ τῶν τόπων* ad dialecticam solam pertinere ratus (Sch. 31 b) inscriberet categorias (David in Cat. 81 b 25) Adrastum secutus (Sch. Dav. 30, 7. Anon. 32 b 36. quem titulum praeter vulgarem postea demum 5, 26 et loco quam maxime inopportuno cum l. *περὶ ἑρμηνείας* repetitum habet D. L. 5, 24; non enim hic spectat ad Topicorum primum cf. Alex. in Top. Sch. 252 not., non magis quam ad octavum librorum eiusdem argumenti titulus *π. ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως* D. L. 5, 23 cf. Alex. in Top. 292, 14 — quum omnino vanum sit singularium apud D. L. tractatuum titulos in ipsis libris servatis quaerere quod post Buhlii de Aristotelis libris deperditis dissertationem et ineptissimum Titzii libellum de Arist. opp. serie p. 7 sqq. 25. 32 sqq. aliosque multos etiam Brandis Aristot. I. p. 79 instituit) propter postpraedicamenta scilicet cf. Theophr. Sch. 89, de logicorum certe ordine et auctoritate egisse intelligitur. Sequitur enim inde eum libro de interpretatione secundum Andronicum spurio omisso — consentientem in hac quidem re et Adrasto (cf. Simpl. in Cat. ed. Bas. p. 4) et Andronico licet postpraedicamentorum auctoritati adversato (Simpl. 81, 27 in quo loco dubium est quae ad Andronicum quae ad alios illos pertineant; neque igitur protopicorum titulum Andronico antiquiorem esse pro certo concludi potest, v. Brandis, Ausleger des Org. p. 273.

277. cf. ex Simpl. Philop. 39 b 22.) — Categoriis ut Protopicis (cf. Top. 1, 9 init.) Topica et deinde Analytica subiunxisse, quum posteriores inde ab Alexandro in multis ab antiquis interpretibus recedente (cf. ipsum ap. Boeth. Sch. 95 b etc.) logicam disciplinam (Sch. 141, 19) ita legerent ut categorias et librum π. ἑρμ. sequerentur Analytica priora et posteriora, deinde Topica cum Sophist. (cf. Alex. ad An. pr. 145 b 39. Philop. 195 b sq. et falsum Al. in Soph. 296, 30). Titulus vero ille quum ex studio quodam librorum secundum argumentum ordinandorum profectus sit ad Alexandrinam aetatem non magis referri potest quam cuius eadem ratio est Metaphysicorum nomen (cf. Sch. 33, 20. 30, 18), quo Andronicum sine dubio secutus Nicolaus usus est. Horum vero notitia — alieni enim sunt περὶ φιλοσοφίας libri — in nostro Diogenis Laertii textu ut librorum zoologicorum aliorumque multorum et clarissimorum quidem librorum intercidit ab ipso auctore certe non omissa, quod docet Anonymus vel bis ponens Metaphysica, primum in ipso indice ex ipso Diogene sicut vita praemissa petito (Μεταφυσικὰ κ' i. e. X, non XX: posuerat enim Diog. κατὰ στοιχεῖον α' β' γ' δ' ε' ζ' η' ϑ' ι' κ', quum in Metaphysicis ceterisque Aristotelicis non ut apud Theophrastum numeraretur liber ϛ', cf. Simplicius de septimo Physicorum i. e. η' Sch. 416, 46), deinde in appendice quo post carminum mentionem addito ut vitam ita indicem ex alio quodam fonte novitio supplevit quaedam iam prius posita negligenter repetens. Assentior enim Fabricio B. G. Harl. III, 405 pro absurdo illo περὶ ῥητορικῆς τῆς μεταφυσικὰ ι' (de quo plane errat Gumposch über Arist. Logik p. 61 chronologicam rationem inferens ab omnibus his commentatoribus alienam) legendum esse περὶ ῥητορικῆς, τῶν (sive τῆς) μετὰ τὰ φυσικὰ ι' (= X). Haec satis probant indices librorum quales altero post Chr. seculo ferebantur (τοὺς νῦν φερομένους πίνακας dicit Plutarchus) non esse ex Alexandrina aetate repetendos, id quod et Plutarchi iudicium (Sulla 26) confirmat et Ptolemaei eundem quem Diogenes fontem manifesto ostendentis et Andronicum citantis testimonium.

Etenim ut a grammaticis ita ab ipsis Peripateticis doctrinae traditione contentis per duo fere secula (250—50) neglectum fuisse Aristotelem maximeque libros philosophicos sive quod idem est genuinos, id quidem recte dixit Strabo (III, 124 ed. Tauchn.), sed neglectus fuit non ut opinabatur Strabo propter librorum defectum quem iam Paulus Benius reiecit (in Plat. Tim. Decad. tres. Rom.

1594. p. 27), sed propter ipsam studiorum rationem hominumque pigritiam a metaphysicis studiis abhorrentem. Primi Peripatetici Theophrastus Eudemus Strato aliique ignobiliores diligenter magistri libros retractaverant atque ingenti operositate singulos quosque doctrinae locos nec minus physica metaphysica logica quam ethica et historica scribendo explicaverant, aucto novarum sectarum ipso certamine studiorum ardore. Quae vero quum aequali iure quasi constitutae essent sententiarumque diversitas in consuetudinem abiret atque in negligentiam certamen, mox omni aevo ad doctam illam mediocritatem vergente cuius aurea sedes fuit museum Alexandrinum atque residente philosophorum in cognoscenda rerum natura a medicis quasi et mathematicis occupata diligentia, ut ad paratiora illa et omnibus obvia quae mediocribus etiam ingeniis speciem et auctoritatem tribuunt quaestionum moralium ventilationes grammaticaeque et historicae doctrinae faciles laudes delaberentur, id non solum Peripateticis post Lyconem (Appuleii Apol. p. 447 Oud. cf. p. 477. Stahr Arist. b. d. Römern p. 144. de Eudemi studiis physiologicis cf. Galen. V, 602 etc.) vel physica studia deserentibus accidit sed idem etiam Academicis et Stoicis, scilicet ut difficillimis illis veterum philosophorum operibus sensim oblivioni datis sectarum iurgia in ipsis fere summis sententiis et maxime ethicis examinandis et defendendis verbisque mutandis (cf. Hieronym. et Diodorum apud Cic. de fin. 5, 25 etc.) haererent. Hoc est Peripateticorum famosum illud *θέσιν φυλάττειν* (cf. Galen. IV, 735: *ταῦτ' εἴ τις φυλάττοιτο θέσιν ὡς Ἀριστοτέλης εἴωθε λέγειν* etc. cf. Arist. An. post. 183 b 5. Top. 159, 22. Eth. 1, 3 fin. etc. Hippolochi ad Lynceum perip. epistola ap. Athen. 4, 130: *σὺ δὲ μόνον ἐν Ἀθήναις μένων εὐδαιμονίζεις τὰς Θεοφράστου θέσεις ἀκούων.* *Θέσεις* sunt placita in philosophia paradoxa, quae cuique sectae maxime propria, Ar. Top. 1, 11. Theophrasti *θέσεις* D. L. 4, 27. Theon. progymn. ap. Walz I, 165.) quod *θέσεις ληκυθίζειν* dicit Strabo. Exemplum huius rei aptissimum Critolai physicae (cf. Top. 1, 14. 105 b 24) theseos Peripateticae de mundi aeternitate contra Stoicos defensio est dialecticis magis quam Aristotelicis argumentis usi Academicisque (cf. Clitomachi, qui D. L. 4, 67 *ἀνὴρ ἐν ταῖς τρισὶν αἱρέσεσιν διατρίψας* dicitur, deos esse negantis demonstrationes ap. Sext. Emp. 429 sq. Cic. n. d. 2, 12—14) et Stoicis plane similibus, v. apud Philonem de mundi aetern. ed. Francf. 1691 p. 943 b — 947 b, cf. ibid. posteriorem Boethum in multis a Stoicis

recedentem 952c sqq. Eadem licet brevior et antiquior de eadem re Ocelli Lucani (1, 2. cf. Philop. c. Procl. 8, 2 in. 9, 8) et ceterorum Pseudopythagoreorum (cf. Censorin. de die nat. 4) est ratio dialectica, velut Aristaeonis ap. Stob. ecl. phys. 430 etc. cf. Philol. ap. Stob. 418 sq. (Tim. Locr. 95b) = Critol. et Boeth. ap. Philon. p. 946 d. e. 947d. 952c—d; in quo Philolai loco (Boeckh p. 165) pro absurdo illo ἐξ ἀρχιδίου corrigendum est ἐξ ἀρχῆς ἀϊδίου, notione Platonica quae eadem est apud Aristaeon. Stob. 428. Tim. Locr. ap. Clem. Al. V, p. 604 (Tim. Locr. in. pro ἀρχάν τε τῶν ἀρίστων legitur ἀρχάν τε τῶν ἀρχῶν in codice quem sequitur, si recte legit, doctus monachus congreg. Sti Mauri qui Justinum ceterosque primos apologetas edidit Hagae Com. 1742 praef. p. X. cf. Archyt. fr. 1 Hart. qui Aristotelis Metaphysica et Platonis Timaeum iungere studens eodem modo ut ap. T. L. sunt ἰδέα sive μορφά ὕλα θεός supra dyadem formae et materiae ponit primam numeri harmoniaeque causam Deum, idem Philolaus qui e Platonis maxime Timaeo Phaedro Philebo Cratylo multa imitatus est, cf. e Cratylo Phil. ap. Syrian. in Met. 315, 19 ad Arist. 1084, 8 quod propter argumentum dialecticum huc pertinet exemplum, et omnes Pythagorici cf. Syrian. in Metaph. ap. Brand. Sch. in Met. p. 325, 6 sqq. Damasc. de princ. p. 147). Quae quidem dialectica ἐξ ἐνδόξων profecta, ab Eleaticis condita (cf. Meliss. ap. Simpl. Phys. f. 22b. 34b) et usque ad Neoplatonicos quoque manens (cf. de eadem aeternitate mundi Plotin. 2, 1 p. 179 et Procli disputationem in Tim. 84f — 90a eundemque Proclum apud Philop. contra Procl. Vacherot hist. de l'école d'Alex. T. II. p. 350—53.) hoc maxime tempore apud omnes sectas scepticae quam adiuvit rationi cognata vigebat simul cum divisionum illo et definitionum quo Stoici maxime insignes sunt ingenti apparatu in verae philosophiae locum succedens. Academicorum in quibus dialecticae illius iam Xenocrates (cf. διαιρέσεις et θέσεις eius apud D. L. 4, 13) exemplum est, ut docet disputatio eius apud Sext. Emp. p. 546, Crantor ultimus fuit qui quamquam a veteris iam academiae disciplinarum amplitudine longe alienus, Timaei tamen studiis altiorem etiamnum animum probaret. Stoicorum vero doctrina nec ab ipso initio nova, quum Heraclitum Platonis sermone cynica in ethicis severitate explicati renovaret verbis magis ut recte ipsi postea dicebant (Aristo Chius ap. Sext. 559) a Platonicorum et Peripateticorum studiis diversa, quum primum dialecticarum divisionum opere perficiendo sustentaretur,

post Chrysippum exhausta fuit constititque, Epicurea morali doctrina (cf. Epic. ap. D. L. 10, 85. 87 etc.) quippe vel logicis ut mathematicis physicisque propter merum empirismum (D. L. 10, 86 sqq.) infesta, cum ipso magistro qui Peripateticam beatitudinis definitionem ipsam revera Platonis priorum lites componentis mentem exprimentem ad solam practicam vitam retulit omnino deficiente. Jure igitur concludi potest praecessisse hanc solius fere ethicae sapientiae aetatem tempus illud quo et scripta Aristotelis pseudepigrapha omnia et quidem antea philosophica physicaque quam historica Alexandrinis propiora et Platonica Socraticorum et Pythagoreorum nominibus ornata composita fuisse putanda sunt, florente scilicet sectarum et diligentia et certamine, hoc ipso tamen ut ipsa res fert cum assimilatione quadam coniuncto quam et Platonici ostendunt magistri doctrinam ad peripateticam mentem quasi temperantes non solum in morali doctrina (cf. Crantor ap. Plut. Cons. Ap. 2 sq. Cic. Tusc. 3, 6. Crates ap. Jambl. Stob. Flor. 5, 63 etc. ceterum de ethica Acad. cf. Stob. Ecl. II, 38 sqq.) sed quod thesis illa docet modo memorata quae eadem inde a Xenocrate Platonis sermonem poeticum recte intelligente (cf. Arist. de coel. 1, 11. Theophrast. ex Tauro citat. ap. Philop. c. Procl. 6, 8; 21; 27. Crantor ap. Procl. in Tim. 85a. Procl. ibid. 166b. Plut. de psychog. Tim. 3, cf. Tim. Locr. 94c, in quo libro epitomatoris opera cum interpretatione quadam coniuncta cernitur) plurimis quoque Platonicis erat (cf. Alcin. c. 14. Appul. d. d. Pl. 1, 8. Procl. in Tim. 90), in physicis quoque, et ostendunt fragmenta Pythagorica multa eodem explicationis et defensionis studio Aristotelica Pythagorae id est Platoni arrogantia summosque philosophos quasi miscentia, sicut qui his et rebus sermoneque quodammodo cognatus et aetate aequalis libri de mundo ad Alexandrum auctor peripateticus Platonem simul et Stoicos sapiens quem iam libri *περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων* Antigoni Carystii tempore certe non recentior collector excerpsit (cf. Mir. 155 = de m. 399 b 33 — 400, 3; falsa de hoc libro Zelleri opinio est Ph. de Gr. III, 356). Haec igitur iam antiquissimo scholae Platonicae tempore vestigia illius rationis ostendunt quae primo ante Chr. seculo vergente ex resumtis veterum philosophorum studiis profecta postquam priores suam quisque sententiam defendere satis habentes ob illorum negligentiam ex dissensu abierunt in contemtum quendam philosophiae scepticum, nunc demum philosophorum in ipsis rebus concordia et intellecta et enuntiata

philosophiam Graecam quo uno fieri potuit modo renovavit. Quo factum est ut omnes fere qui ab eo inde tempore his literis operam darent et Stoici et Platonici et Peripatetici in Aristotele non minus quam in Platone et quod idem est Pythagora versati essent a scholarum auctoritate liberiores. Tulit haec aetas post Posidonium (Zeller 3, 348. cf. eundem iam de Pythagorae doctrina fere ut Moderatus iudicantem ap. Galen. V, 425. 478) Strabonis — qui Tiberio regnante et quartum quidem septimumque Geographicorum librum anno post Chr. 18 scripsit (Str. I, 333 = II, 66 cf. II, 60) — aequales Andronicum, Boethum (Strabo 3, 367), Eudorum (cf. Zeller III 432. Achill. Tat. Isag. p. 116 ed. Flor. 1567 cf. p. 82. 87), Aristonem Alexandrinum (Strabo 3, 203. Appul. de d. Pl. p. 208 Oud. D. L. 7, 164), Xenarchum (cf. Strabo III, 223), Athenodorum (cf. Strabo 1, 278. 3, 229. D. L. 3, 3. 5, 36. 6, 81. 9, 42 *ἐν η' περιπάτων*) Nicolaum (cf. Strabo 3,303. Suidae est *φιλόσοφος περιπατητικὸς ἢ πλατωνικός*) et paullo post Adrastum qui et in Timaeum et in categorias, scripta illa omnium diligentissime a veteribus explicata, commentatus est et Pythagorae fuit admirator (cf. praeter Theonem Claudian. Mamert. 1, 25. de categoriis cf. Schol. Ar. 61 et 40. Brandis Ausleger d. Org. 273 sqq.; de commentariis in Timaeum Proclum in Tim., Martin Etudes sur le Timée II p. 395 sq. Fabric. B. G. III, 93 sqq. adde Asclepiodotum). Et grammaticorum quoque Tyrannio *φιλαριστοτέλης* a Strabone dicitur (cf. Bekker Anecd. II, 668). De forma antiquiorum illorum ante Alexandrum commentariorum nos docet praeter Simplic. p. 40 titulus commentariorum Adrasti de Theophrasti et Aristot. Ethicis apud Athen. XV, 673, ubi falso legitur *Ἄδραντον* pro *Ἄδραστον*. Egit enim quinque libris *περὶ τῶν παρὰ Θεοφράστῳ ἐν τοῖς περὶ ἠθῶν καθ' ἱστορίαν καὶ λέξιν ζητουμένων*, sexto addito *περὶ τῶν ἐν τοῖς ἠθικοῖς Νικομαχείοις Ἀριστοτέλους*. Andronici vero Categoriarum paraphrasis (Simplic. Sch. 41 b 25. 42, 10. cf. 40 b 23) i. e. abbreviatio Aristotelem quodammodo corrigens pars fuerit librorum eius de philosophia Aristotelis similisque Nicolao, qui in libris de philos. Arist. compendium doctrinae eius multos locos *παραφράζων* fecit (Simplic. de coelo 493, 23. cf. 469, 7. Wenrich p. 294 sq. 306. Meyer ad Nic. praef. p. 18 sqq.) cuius etiamnum extat sectio de plantis ab Arabibus servata, in qua ipse citat partem libri meteorologicam II, 2; e sectione de animalibus et ipsa ab Arabibus translata petita videtur Rhazis citatio ap. Meyer.

praef. Justas paraphrases Themistius ut ipse dicit primus inter commentatores instituit. Neque igitur fieri potuit ut in hac ipsa doctorum studiorum restauratione si scripta Pythagorica et Aristotelica composita fuissent adeo constantem antiquitatis famam adipiscerentur vel apud aequales et Dionysius (V, 430) inter philosophos sermonis causa legendos Pythagoreos commendaret (cf. Posidon. ap. Gal. V, 478). Rara tamen et postea librorum Pythagoricorum ut ceterorum veterum philosophorum exemplaria erant (Simplic. Sch. 80, 32 cf. eundem de Diogene Apoll., Melisso etc.) propter ipsum scil. *ἀρχαιότροπον καὶ παλαιὸν πῖνον* sermonis (Jambl. v. P. 157) dialectumque Doricam cuius quidem postea in his partim in vulgarem translatae (ut factum est in Charondae prooemio a Stobaeo Flor. 44, 40 et post Stob. in Ocello et excerpto Archyta) etiam Gregorius Corinthius, Tryphonem certe ille non secutus (ut putavit Beckmann p. 7) quippe qui alios potius (cf. Suid. s. v., Ahrens de dial. Dor. p. 25) et uberiores fontes habuerit, sibi illustrandae canonem cum Theocrito sumsit Archytam (praef. p. 6 ed. Schaefer) revera illi et antiquitate et dialecti ratione similem (cf. Ahrens de dial. dor. p. 23 sq. qui quod de Philolao haesitavit p. 24 id Boeckhii magis auctoritati concessit quam veritati). Eadem fuit si canonicos ut ita dicam i. e. vere philosophicos libros excipias Aristotelicorum raritas quum et quae antea maxime legebantur historica nunc cederent theoreticis et quae plurima erant *ὑπομνηματικὰ* utpote peiora nec fere studio diligentiori digna quum in Aristotelis doctrina illustranda non adhiberentur (Simpl. Sch. 24, 44) lectione quoque negligerentur rursusque ut ante Andronicum usu interciderent non tamen iterum postea ab inferis excitata. Etenim Strabonis hac aetate philosophorum libri undique colligebantur et diligentissime in *πίνακας* nunc demum accuratos referebantur: sic Apollonius Tyrius Strabone natu paullo maior Andronici ut videtur aequalis *ὁ τὸν πίνακα ἐκθεὶς τῶν ἀπὸ Ζήνωνος φιλοσόφων καὶ τῶν βιβλίων* (Strabo T. III p. 368) qui epistolas quoque apposuit (D. L. 7, 6); sic et ipsorum librorum quos Aristotelis et Theophrasti nomine inscriptos invenit quorumque ut ceterorum antiquissimorum Peripateticorum confusionem ex exemplaribus anonymis partim profectam tituli illi multi inter plures secundum veterum testimonia ipsosque etiam codices incerti testantur (cf. praeter Eudemea, Theodectea, Menonea alia Athen. 6, 273. 8, 347. 4, 144 etc. inter Aristotelem et Theophrastum incertitudinis ve-

stigia ipsi Diogenis indices praebent cf. 5, 48 *ὑπομνημάτων Ἀριστοτελικῶν ἢ Θεοφραστείων* sex; Ethicis Physicisque Eudemeis similis videtur ratio fuisse eorum quae sic infert Diog. 5, 24 *πολιτικῆς ἀκροάσεως ὡς ἡ Θεοφράστου* octo et 5, 44 *περὶ ἡδονῆς ὡς Ἀριστοτέλης α'*; praeterea ambigitur apud veteres criticos de libris *περὶ τῶν ἀτόμων γραμμῶν* Simpl. de coelo Sch. 510b 11 cf. D. L. 5, 42, *οἰκονομικός* Philodem. de virt. et vit. p. 45, 8 Göttl., *περὶ Μελίσσου Ξενοφάνους Γοργίου* inscr. Cod. Vatic. sive Ra Bekkeri, *περὶ σημείων ὑδάτων* etc. codex et antiqua vers. lat. ap. Schneider Theophr. V p. 163sq. 173, *περὶ μετάλλων* Pollux 7, 99, *περὶ φυτῶν* — ita enim *φυτικοῖς* pro *φυσικοῖς* scribendum est cf. simile ante Cobetum mendum ap. D. L. 5, 46 — Poll. 10, 170) ita ut ne ceteris quidem inscriptionibus nos teneamur — horum igitur diligentius nunc segregatorum indices fecit Andronicus Rhodius diligens ille secundum Boethium Aristotelis librorum et iudex et repertor, qui quum ex „veteribus bibliothecis" (cf. Adrast. ap. Anon. prolegg. in cat. 33 b 31, David in cat. 30 b 4, Philop. 39, 19, cf. Philop. in Anal. pr. 142 b 38 ubi qui vocantur *οἱ Ἀττικοὶ ἐξηγηταὶ* sine dubio sunt *οἱ Ἀθήνησιν Περιπατητικοί*, ipse sc. Andronicus undecimus Aristotelis successor eiusque discipuli) qualis fuit praeter Alexandrinam aliasque Apellicontea illa post Athenas a Sulla captas Romam transmissa hominis ditissimi et autographorum famosi venatoris (Athen. V 214 d) qui sibi visus est ipsa Aristotelis et Theophrasti autographa possidere (Posidon. ap. Athen. l. c., Strabo III, 124) ab hominibus lucri cupidis fabula Theophrasti testamento fulta deceptus (non ipse decipiens ut coniecit Ritter hist. phil. III, 3), libros Aristotelis mille fere numero collegisset (David in cat. 24, 19 et sec. Andron. Ptolem. ibid. 22, 16. vita Ar. ed. Nunnes. p. 16) quorum tamen circa quadringentos tantum alieni velut Theophrasti auctoris suspicione exemit (*ἀναμφίλεκτα* sec. D. L. 5, 34. An. Menag.) — ex quadraginta Analyticorum libris quatuor tantum et e categoriarum duobus unum selegit cf. ll. cc. — multa certe lectu nova et fere ignota doctis hominibus in medium protulit, quae licet longe prius scripta (non enim concedo Brandisio in Mus. rhen. vet. I, 3 p. 243. 253 et Koppio ib. III, 105 huius etiam temporis falsa admixta esse) in certum Aristotelis titulum nunc demum abirent. Exemplum affert Ptolem. ap. Dschemaleddinum Wenrich p. 157 „Epistolae aliae (sc. praeter Artemonis octo librorum editionem David in cat.

24, 27. Demetr. de eloc. T. IX, 96 Walz) quas 20 libris (ut male vertisse Arabs videtur Graecum ἐπιστ. κ' — cf. Anon. Men. v. 71 — quot recenset Diog. 5, 27 post epist. ad Phil. et epist. Selymbr.) Andronicus invenit praeter illas quae in libro V Andronici de Aristotelis scriptis memorantur". Ex Andronici libro sumtae sunt epistolae apud Gellium non solum (20, 5), manifesto illae spuriae quum tangant posteriorum de libris sententiisque magnorum philosophorum a vulgi notitia secretis atque ineditis ineptam (cf. etiam Lyconem ap. D. L. 5, 73) opinionem, sed etiam quaedam in scholiis citatae cf. ep. Ar. Sch. 26 b 28, vita Nunn. p. 16 et ex eodem Andr. ep. Theophrasti Sch. 404 b 11 et fortasse etiam quae his similia de Eudemi editione Metaphysicorum habet Asclep. Sch. 519 b 38. Praeter epistolas Andronicus et Ptolemaeus (cf. vit. Nunnes. p. 16) etiam testamenta Peripateticorum apposuerant ex Aristonis Cei (D. L. 5, 64) fortasse commentariorum libris petita et ab Hermippo quoque memorata (Athen. 13, 589 = D. L. 5, 13—14), quae post Lyconis mortem ut diadochorum instituta recensionesque confirment (cf. test. Epic. D. L. 10, 17. ibid. 18. Platonis test. epistolarum eius ultimae simillima est) conscripta sunt (cf. in Arist. test. quod genuinum putat Brandis Arist. I, 62, ap. D. L. 5, 13 ubi de primi filiae mariti Nicanoris ante uxorem morte cf. Sext. Emp. p. 657 animo quasi praesagiente cavetur). Quae testamenta profert Diogenes non tamen ille unde et haec et indices librorum hauserit significans, nisi quod in universum se alicubi testamenta, scil. in scriptore aliquo, reperisse monet (ἡμεῖς ἐνετύχομεν 5, 11. 69. εὗρον 5, 51. φέρονται 5, 61; eadem formula usus fontem addit 8, 53 ἐγὼ δ' εὗρον ἐν τοῖς Φαβωρίνου, immerito castigatus a Brandisio Arist. I p. 81; epistolas quoque philosophorum sine fonte solet inferre velut ubi rursus illud εὗρον 1, 112. 63. cf. tamen 7, 6), libros vero propter ipsorum auctorumque praestantiam se recensere cunctos addit eadem fere et in Aristotele et in Theophrasto et Chrysippo quasi excusatione usus (5, 21. 42. 7, 189), et in Theophrasto ita quidem ut alius similisque scriptoris in hac re exemplum sequi videatur (καὶ αὐτός). Omnino vero multos illos quos citat veteres Alexandrinosque auctores tenendum est non ipsum inspexisse Diogenem quod ingentis diligentiae fuisset et perfectioris operae, sed citatos legisse atque in suum librum recepisse (et quidem vel Hermippum et Apollodorum) ex iis quos perpetuo compilare solet recentioribus scriptoribus vix duodecim primi sci-

licet et secundi post Chr. seculi quo maxime florebat commentariorum illa mixti argumenti scriptio et confusa quaedam polymathia, velut e Myroniano, Pamphila (quae suspecta sec. Suid. cf. Gellium 15, 17. 23 etc. commentarios quadraginta tres contexuerat nomine quod arrogabat profecto non indigna cf. Arist. hist. an. 551b 15), Sabino (D. L. 3, 47 cf. Suid. s. v.), fortasse Dioscuride (1, 63), et quo omnium maxime usus est Favorino Gellii familiari. Cuius rei ipse Diogenes exempla suppeditat Hermippi (5, 41 cf. 1, 106) Eratosthenis (8, 47) e Favorino, Apollodori (8, 90) e Demetrio citatorum; cf. praeterea quae verisimilia sunt Arist. ex Alexandro (8, 36), Apollodor. e Favor. (9, 50), Antigonum Carystium ex Apollonide (9, 110 sq. cf. 109), Antisthenem e Demetrio (9, 27. 35. 39 sq.) citatos etc. Inde quae saepe sibi repugnantia (cf. 7, 43 et 8, 55 etc.) refert numquam fere ipse iudicans, inde illud in adhibendis eligendisque fontibus arbitrium. Sic per totum librum scriptores homonymos cum biographicis criticisque multis et librorum initiis ex Demetrio Magnesio Ciceronis aequali apposuit illum semper citare supersedens, numquam tamen ultra Demetrii aetatem in recensendo progressus quum ipse tertii Chr. seculi initio scriberet. Nec magis suus est in placitis philosophorum enarrandis. Nam Socraticorum placita et ceterorum ante Platonem philosophorum ex scriptore hausit qui Stoicos potissimum auctores vel Academicos vetera propria ratione sermoneque proprio interpretantes secutus sit, velut in iis quae de solis Cyrenaicorum sententiis uberius exhibet D. L. 2, 86—99 Panaetium ἐν τῷ περὶ αἱρέσεων (2, 87). Stoicum etiam sapiunt quae de Euclide 2, 107 tradit et quae de Empedoclis et Heracliti doctrina (cf. Sext. et Stob.), cf. de Anaximandro 2, 1 etc. De Xenophanis (9, 19 sq.) et Archelai (2, 16 sq.) placitis (cf. de Thalete 1, 24. de Antisthene 6, 3) usus videtur Favorino, ex quo solet Diogenes exscribere quae philosophorum εὑρήματα breviter ille similique modo enarravit in libris παντοδαπῆς ἱστορίας cf. 2, 1. 2, 11. 2, 20. 3, 24 sq. 5, 9. 8, 12. 8, 48 (cf. 47), 8, 83. 9, 23 cf. 29 (8, 14), quibus locis ex analogia addendi sunt hi 1, 24. 1, 57 sq. 2, 16 sq. 8, 14. 8, 83. 8, 85. 9, 51—54 etc. Cynicorum κοινῇ ἀρέσκοντα 6, 103—105 (cf. de Antisthene 6, 10—13, de Diogene 6, 70—73) e Diocle (cf. 6, 12 sq. 6, 36) sumta videntur. Ex hoc enim Diocle Magnesio Epicuri laudatore (10, 11) non tamen Epicureo qui scripsisse videtur post Augustum, paullo ante scil. quam Sotio Stoicus Tiberio aequalis libros ederet Διοκλείων ἐλέγχων (quos citat D. L. 10, 3 de Dioclis

libro 24) sumta videtur etiam uberrima illa placitorum Stoicorum recensio 7, 39—160 quae insignem doctrinam auctori arrogans uni sine dubio scriptori debetur eique Posidonii discipulis (7, 41) et Antipatro Tyrio (7, 139), Boetho (7, 54. 148. 149) etiam et Athenodoro (7, 121. 149) recentiori quem ipse significat (7, 48) esse Dioclem. Neque nos haec doctrinae propriae species (cf. 7, 38) decipit quam ex ipsorum fontium natura pendere totam et eo intelligimus quod non solum in summis philosophis Platone et Aristotele fere deficit nihil ipsa tentans sed etiam quem maxime Laertius diligit et de quo uno suam aperte opinionem interponit (10, 4—11. 10, 29. cf. maxime 10, 8 extr. 10, 11 extr.) Epicuri philosophiam ipsius tribus integris epistolis quibus doctrinam hic brevi epitome complexus erat et praeterea qui *κυρίαι δόξαι* inscribitur libello appositis describere satis habet, aliis quibusdam *περὶ τοῦ σοφοῦ* 10, 117—121 cf. 136—38 e Diogene Tarsensi Epicureo additis Strabonis ut videtur aequali (Str. III p. 231), qui *ἐπιλέκτους σχολὰς* (vicesimus liber citatur 10, 138) ediderat (10, 26) Epicuri doctrinam epitome interpretatus (eiusdem enim libri pars fuit *ἡ ἐπιτομὴ τῶν Ἐπικούρου ἠθικῶν δογμάτων* 10, 118). Idem Laertius de philosophia Pythagorica illa tantummodo refert quae Alexander polyhistor et ipse ut solet (C. Müll. fr. hist. III p. 206) e commentariis quibusdam Pythagoricis et ex Aristotelis qui ferebatur de Pythagoreis libro verbotenus fere descripserat; cf. 8, 24—36, alia cf. 8, 9—10. Symbola quoque quae leguntur 8, 17—19 ubi 8, 18 Arist. ex Alex. scil. citatur et quae 8, 22—24, Alexander de symbolis Pyth. agens videtur suppeditasse. Diogenes 10, 29 alloquitur cui dedicavit librum suum feminam quandam *φιλοπλάτωνα* si credas iis quae ponit 3, 47 ubi ipse ille Epicureorum laudator se gerit Platonis amicum. Sed supra memorata fidem faciunt haec quoque quae uno tenore et satis bono de Platonis dialogis quasi isagogica disserit 3, 47—66 *αὐτολεξεὶ* fere ex scriptore quodam novitio excerpta esse. Certe haec non magis composuit ipseque excerpsit quam quae de Alcimo (3, 8—18) et de comicorum in Platonem dicteriis (3, 26—33. cf. 8, 36—38) refert ille qui Platonis philosophiam ut enarret nihil fere nisi Timaei epitomen exhibet, id quod plane ex more est scriptorum seculi secundi quibus arx illa et vertex philosophiae ut Claudiani Mamerti verbis (2, 7 p. 132) utar quasi compendium erat quod ipsi maxime sequerentur metaphysicae Platonicae cunctae, cf. Alcini

quem cum Gaio a Galeno audito et Numenio inter Platonicorum *κορυφαίους* refert Procl. in Remp. ap. Mai Auct. Class. I p. XIV, huius igitur introd. in Pl. dogm. 12—23 et Apuleium d. d. Pl. 1, 5—18. Quibus illud quoque aptum est quod auctor Diogenis dicit de dialogorum divisione et natura 3, 49 sqq. quam quidem divisionem idem deinde auctor in Thrasylli quas recenset tetralogias infert singulis libris addens definitionem eius ad quod pertinent generis prorsus iis quae supra distribueret consentaneam nisi quod errore quodam Critiae sive Atlantico adscriptum est (3, 50) *ἠθικός* pro *πολιτικός*. Partim consentit cum his partim recedit ethicos omnes fere dialogos politicis adnumerans Albinus Galeni magister Favorino qui sub Traiano iam florebat (Suid.) paullo natu minor (cf. Introd. in Pl. dial. 5). Post illa Diogenes, qui in hoc quoque Platone a librorum philosophicorum studio et lectione licet non raro proprii laboris speciem affectet (2, 97. 3, 47. 7, 138. 7, 160. 10, 29) omnino se ostendit alienum et historici tantum partes agentem historicos compilantis, integrum librum addit Aristoteli falso tributum de Platonis divisionibus (*Πλάτωνος διαιρέσεις* 3, 80—109) eundem sine dubio cuius utpote lectioris argumentum indici addit Ptolemaeus (Wenrich p. 151) 26 secundum hunc quidem capitulis contentum, quum D. L. habeat 30, index 17 numeret. Jam vero Platonis haec illustratio non solum Socraticorum Diogenis auctori simillima (cf. max. ethica 3, 78—80) sed etiam quae de Aristotelis sententiis paucissima refert, scil. ethicas quasdam physicasque theses tritissimas non quidem eas ab ipso collectas — abest enim ab eius studio quae iudicare videtur de divisione doctrinae et ordine logicae pragmatiae (Top. Analyt. Sophist.) 5, 28 sq. quae potius eundem qui supra de Platone 3, 49 auctorem significant — Diogenem de Platone et Aristotele arguunt non philosophos auctores sequi, nedum Andronicum eiusque aequales posterosque quos ne citat quidem umquam praeter Thrasyllum Stoicosque Athenodorum et Boethum et uno tantum loco Nicolaum (10, 4), sed potius philologos. Quorum ea aetate longe clarissimus fuit Favorinus, quem revera saepissime Diogenes quum de antiquissimis philosophis Socraticisque tum de Platonicis et Peripateticis, numquam vero de Stoicis et Epicureis solet citare. Huius igitur Favorini libris *ἀπομνημονευμάτων* de veteribus philosophis sine ordine multa variaque tradentibus — disserebat enim de Xenophane (9, 20) Empedocle (8, 73) Socrate (2, 23. 39 sq.) Demetrio Phalereo (5, 76) primus

liber, de Speusippo (4, 5) et Aristotele (5, 21) et Cratete (6, 89) secundus, de Pythagora (8, 12) tertius, de Parmenide (9, 23) quintus, de Platone vero et primus (3, 20. 25) et tertius (3, 40) et quintus (3, 62) liber — potissimum usum esse Laertium credo, ex hoc et hymnum in Hermiam (5, 5—8 et ex altero quidem opere; cet. cf. de Socratis paeane D. L. 2, 42) petivit et indices et testamenta. Primum enim patet illis quae de Arist. philosophia dicuntur uno tenore continuari indices librorum (5, 28 *βούλεται δ' ἐν αὐτοῖς τάδε*); paullo ante indicem Favorinus libro secundo citatur (5, 22); eiusdem de morte Theophrasti mentio praecedit indicem librorum quos reliquit (5, 41), hic vero testamentum, sicut de morte Platonis citatum (3, 40) Favorinum sequitur testamentum (3, 41); denique loci de Platonis dialogis parentheses duae — nam et Epicuri epistolae ex Diogene Tarsensi parenthesim addit Laertius 10, 96. cf. 91 — eundem auctorem Favorinum ex aliis eius libris supplere videntur altera ex diverso *παντοδ. ἱστ.* opere (3, 57) altera ex alio eiusdem operis libro (3, 62) et critici argumenti sicut 3, 37—38 quibus quae similia sunt 3, 34—37 ex eodem fonte ducta ut alia critica multa videntur. Omnium enim saepissime de Platone citatur Favorinus. Ex eodem epistolas quoque philosophorum magna ex parte hauserit velut Archytae (3, 21. nam quae praecedunt de Platonis itineribus Siculis 3, 18—21 e Favorino omnia esse bis citato ipse D. indicat), Aristotelisque eandem tangit (5, 9) quam memorat David in cat. 26b 26. Scepticorum deinde doctrinam (9, 70—108) e Favorino qui ipse Academicus (Gell. 20, 1) sceptica multa composuit (Zeller Phil. d. Gr. III, 487 sq. Gell. 11, 5. Galen. I, 40 sq. 52. cf. Suid. s. v.) esse repetitam et per se verisimile est et citato Favorino (9, 87) comprobatur; sed quum ibidem de troporum ordine recedentem a Favorino Sexti quem non auctorem habuisse comparatio docet sententia commemoretur, ipse vero Diogenes teneat ordinem ab utroque diversam nec uberiores hos auctores in brevissima sententiarum capita contrahendi negotium ipse suscepisse pro ea qua est inertia putandus sit, praeferendum videtur si ita statuamus sequi eum auctorem duobus illis recentiorem: memorat ipse Sexti discipulum Saturninum eiusque ut credo aequalis Theodosii cuiusdam *κεφάλαια σκεπτικά*. Praeterea notandum est praecipuos hos fontes Favorinum et Demetrium coniunctos de eadem re citari 1, 79, ita ut vel Demetrium e Favorino non raro Diogenem citasse aliquis coniiciat.

Aristotelis vero et Theophrasti indices Favorinum dedisse, id si coniecturam verisimilem quidem coniectura augere velis, confirmabit Democriteorum index sicut ceterae Thrasylli citationes (9, 41) non ex ipso huius libro sumtus sed ex eo quem initio (9, 34) memorat Favorino, cui Protagorae quoque omnem fere notitiam (9, 51—54. cf. 3, 57 et quae supra dixi) debere deprehenditur. Sed sive e Favorino exscripsit Diogenes sive ex alio quodam scriptore, id certissime constat hunc ipsum quem sequitur auctorem retulisse illos tantum indices qui ab Andronici tempore ferebantur quosque *τοὺς νῦν φερομένους* ab Andronico repetit etiam Plutarchus quum qui Diogenis indici simillimus est et eosdem fere libros citando eundem fontem significat licet a recentiori quodam auctore multa iam omittente paullo turbatum, Andronico se posteriorem ipse confiteatur (cf. Wenrich 157) index Ptolemaei philosophi peripatetici quem ex libro eius (de Aristotelis vita et scriptorum ordine Wenr. 237. David in cat. 28, 14) „ad Agallim sive Agalliam" (uti Casiri I p. 306 Arabem consonantes tantum litteras — Aglm — ponentem interpretatur) in Arabicam linguam vertit Dschemaleddinus, cf. Hadschi Khalfa V, 75. Qui Ptolemaeus idem fuerit quem Platonicum vocat Jamblich. ap. Stob. Ecl. phys. p. 904 quemque in Platonis Timaeum commentatum esse Proclus (in Tim. 258) dicit; idem denique quem Priscianus citavit in Vinc. Bellov. Spec. nat. 23, 68. Nihil enim hoc tempore valent Platonicorum et Peripateticorum discrimina. Ab hoc tamen ambo illi Ptolemaei peripatetici quos citant Sext. Emp. p. 612 et Longin. ap. Porph. vit. Plot. p. 131 diversi videntur. cf. Fabr. B. Gr. H. III, 504. Ille autem philosophus Neoplatonicus et a Neoplatonicis Jamblicho Proclo Prisciano citatus auctor mihi esse videtur libelli nunc quoque servati *περὶ κριτηρίου καὶ ἡγεμονικοῦ* quem e duobus mss. Parisinis Bullialdus edidit Parisiis 1663 ad astronomum certe cui adscripsit editor nihil pertinentem, cf. Ptol. Platonici ap. Jambl. de anima sententiam materialisticam cum Ptol. de criter. p. 24 sq., de anima causa corporis movente Ptol. ap. Prisc. cum l. de crit. p. 12 sq. Ex huius quidem indice Ptolemaei inconsideratius coniicit W. 143 cf. 126 haec pleraque omnia ab Arabibus conversa cognitaque iis fuisse, quum quivis qui vel Averrois commentarios perlustraverit satis intelligat non alios fere Aristotelis libros quam nos nunc quoque legimus et Arabes habuisse, eos scil. qui versionum arabicarum aetate a Graecis ipsis iam diu soli fere legerentur quosque ante

Ptolemaei indicem recenset una cum translationibus accurate indicatis auctor Arabicus (Casiri I, 304 sq. cf. Wenrich p. 131—36. 161. 300 sq.) Sunt hi iidem illi qui revera ab ipso Aristotele profecti sunt libri quasi canonici, quos sane mirum est omnes fere praetermittere Diogenem — nam praeterquam quod e physica pragmatia sola historia animalium commemorari videtur, e librorum numeris ab anonymo temere correctis suspicari aliquis posset, ethica quoque et analytica politica rhetorica poetica quae recensentur eiusdem potius argumenti libros esse sive librorum recensiones quam ipsos qui nunc feruntur. Quum vero se plenam omnium librorum recensionem exhibere versuum numero ut apud Theophrastum Speusippum Xenocratem addito ipse Diogenes prodat, sumendum est aut, quod ex Ptolemaeo coniicias praesertim quum idem Chrysippi quoque indici in mediis ethicis ita ut physicorum omnis notitia desit abrupto acciderit et sicut septimus quintus adeo liber Diogenis omni cum sequente nexu carens in fine mutilus videatur, librariorum culpa post *περὶ τῶν Πυθαγορείων α'* excidisse physicorum mentionem ab anonymo homine scil. Byzantino recentissimae aetatis post finem indicis suppletam, aut seorsim exhibitum fuisse post epistolas et carmina indicem librorum genuinorum quos ipse Aristoteles eodem consilii tenore in extremis plerumque libris et citationibus multis significato coniunctos esse voluit. Manifestum enim est ad confusam illam scriptorum in eodem argumento versantium, hypomnematicorum plerumque atque ordine omni nexuque cohaerentium, quorum in libris de Aristotelis philosophia Andronicus *ἐλεύθερος ἀνήρ* (Galen. IV, 782) accuratos referebat indices versuum numerum in singulis (cf. D. L. in indice Xenocratis 4, 13. Ritschl Alex. Bibl. 102. 121. Adrast. ap. Simpl. Sch. 39, 39) notasque de librorum auctoritate criticas addens, ad horum igitur molem pertinere non potuisse editoris operam qui *τὰ Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου εἰς πραγματείας διεῖλε τὰς οἰκείας ὑποθέσεις εἰς ταὐτὸ συναγαγών* (Porphyr. vit. Plotin. p. 17 c. Bas.), sicut ante fecerat in Epicharmeis Apollodorus, fecit postmodum in Plotini enneadum editione Porphyrius. Quae qualis opera fuerit ostendit *ἡ λογικὴ πραγματεία* (Alex. in An. pr. 141, 19) quam non dubitari potest (cf. supra) quin ex iis qui nunc leguntur libris licet de quibusdam dubitaverit iam Andronicus, qui logicis omnem editionem ordiebatur, composuerit (cf. Ptol. ap. Wenrich 146 qui *π. ἑρμ.* librum dialecticae secundum esse adnotat); idem vero

etiam ἡ φυσικὴ πραγματεία Andronico iam quinque Physicorum et tribus περὶ κινήσεως libris incipiens (Simpl. 404b 7 sqq.), sequentibus deinde ceteris secundum ordinem ex ipsis libris plerumque certissimum de quo cf. Ptolem. ap. Wenrich p. 147—149 et inter Arabes — solent enim graecorum interpretum exemplum Arabes secuti de librorum ordine disputare (cf. Alkindi librum de Aristotelis librorum ordine Casiri I p. 353; de librorum divisione ex Ammonio disputat Alfarabi ap. Schmölders p. 19—21, cf. David p. 24—26) — Averroes Comm. in Meteor. init. (ed. Venet. 1562. 8. Vol. VI P. I p. 403—404). Neque vero Physicorum octo libros neque Metaphysicorum quatuordecim primus ita coniunxit Andronicus, quod docet Nicolaus qui de Metaphysicorum ordine non Andronicum increpat sed Aristotelem. Ad hoc tantum librorum nunc quoque servatorum corpus posteriorum quoque de ordine et pragmatiarum et singulorum librorum rationes criticae spectant. Cetera erant ἄτακτα et ita edebantur. Neque tamen vel Diogenis index omni ordine caret. Intelligimus enim nunc quoque consilium subesse libros ita ordinandi ut praecedant dialogica sive quae posteriores vocabant ἐξωτερικά (opp. ἀκροαματικά cf. David Sch. 24b 11. Cic. aliosque ap. Stahr Aristot. II, 247 sqq.), sequantur dialectica, deinde politica (ethica politica rhetorica poetica), post physica et mathematica et ultimo denique loco historica cum epistolis et carminibus. Videmus igitur hanc fuisse etiam in editione Andronici pragmatiarum seriem ut post logica non statim quod posteriores sumsisse videntur sequerentur physica cum metaphysicis sed ethica prius. Quid vero de Theophrasti editione statuendum sit nunc dici nequit, nisi quod φυτῶν ἱστορίαν statim sequebantur φυτικαὶ αἰτίαι. Docet tamen aperte index Theophrasteorum nullo modo de editionum ordine ex indicibus concludi posse, secundum alphabeti literas ille procedens ita ut bis incipiat (primum ab Ἀναλυτικῶν usque ad l. π. ψυχῆς 5, 46 med., altera autem parte a l. περὶ τῶν ἀτέχνων πίστεων usque ad l. π. ψεύδους καὶ ἀληθοῦς 5, 48 fin.), deinde appendices quasdam addat; quod si tenes simul quaedam incuria bis repetita esse reperies, ut περὶ φυσικῶν libri octodecim 5, 46 in. = φυσικῶν δοξῶν 5, 48; περὶ βασιλείας 5, 42 cf. 49; περὶ Δημοκρίτου 5, 49 cf. 43; de libris ad Democriti doctrinam pertinentibus iam supra dixi; 5, 43—44 quae prius singulatim recensentur περὶ ζώων septem dissertationes, quarum omnium extant fragmenta (περὶ ἑτεροφωνίας ζώων τῶν

ὁμογενῶν, etc.), uno deinde titulo coniunguntur nec igitur ex ordine alphabetico excedunt. Ceterum patet non solum Aristotelis indicem sed et ceteros auctorum antiquorum librorum copia insignium quos ponit Diogenes Theophrasti Speusippi Xenocratis Antisthenis (aliorum enim potissima tantum se excerpere dicit velut Heraclidis, Epicuri) magnum numerum gerere falso inscriptorum. Ingens enim fuit philosophorum hoc tempore multitudo (cf. e. c. Peripateticos in testamentis nominatos) et solent fere astra minora in maiorum lumen evanescere. Quorum libros quomodo grammaticos titulos inscribentes si aut sine titulo aut falso iis oblati fuerint discernere potuisse putabimus? Accedit quod de Crantoris libris ipse Diogenes dicit (4, 24) quorundam auctoritatem suspectam fuisse criticis Arcesilao, qui idem nihil scripsisse ab aliis dicitur, illos tribuentibus. Certiores videntur fuisse Stoicorum indices doctiore in tempore et diligentiore viventium, licet in Chrysippi quoque indice *συντάξεις* enarrante sicut *τόμους* Antisthenis pseudepigrapha quaedam notet (7, 195. 196) auctor sive Apollonius Tyrius sive qui illum secutus est. Cf. D. L. 7, 34 de Athenodoro Stoico bibliothecae Pergamenae praefecto qui eadem illa Andronici aetate auctorum Stoicorum editiones curasse videtur. Quod vero ad anonymum illum Menagianum, quem unde sibi venerit ne ipse quidem scivit editor (cf. Menag. Obs. ad Diog. p. 202), quum eius vita Aristotelis ad verbum cum Suida consentiens nisi quod hic indicem referre supersedit fragmentum integrum esse intelligatur eius auctoris quo in scriptoribus recensendis potissimum Suidas usus est, qui edidit lexicon suum (cf. s. *Ἀδάμ*, *Κωνσταντινούπολις*) circa finem sec. X Basilio et Constantino regnantibus (975—1025), ille vero ut in hac vita ita in plerisque ubi quidem fieri potuit omnibus e Diogenis Laertii opere hausisse reperiatur ita ut aut biographica citationibus omnibus omissis saepeque vel sententiis diversis in unam confusis (cf. s. *Κράτης*, D. L. 6,87 + 88) in brevius contraheret aut ipsa passim verba Diogenis exscriberet (cf. de morte Pythagorae = D. L. 8, 39 et quoad universam huius auctoris rationem exempla maxime Xenophontis Pyrrhonis Socratis Pythagorae etc.) placita tamen et dicta philosophorum semper praetermittens, quaedam interdum nova aut paullo diverse addens brevissima quidem (cf. s. Carneades, Crito, Crates, Cebes, Lacydes, Thales, Xenocrates etc. praeterquam quod ipse Suidas saepe plura ex diversis scriptoribus excerpta congregans argumentum auget,

cf. s. Diogenes, Homer., Aristoteles etc.), quum porro haec quae inter se similia ex uno auctore Suidas manifesto exhibet ad verbum consentiant cum excerptis illis licet et paucis et multo brevioribus sine omni ratione et consilio ex eodem quem integriorem servavit Suidas scriptore factis et ita quidem factis ut auctor pro lubito vel ipsum quem in his numquam Suidas nominat Diogenem Laertium sub v. Antisthenes citatum adhibens longos ex eo locos de philosophorum doctrina (cf. s. Aristot., Antisthenes, Heraclitus, Leucippus, Xenophanes) notulis historicis intersereret, quum denique haec excerpta Hesychii nomen prae se ferant, ipse vero Suidas s. Hesych. claris verbis dicat esse suum ipsius opus Hesychii epitomen. — nam Pseudohesychiana illa nondum cognita habuisse neque Suidam neque Eudociam cuivis comparanti patet —, iam supra omnem dubitationem constare reperitur vitam Anonymi Menagianam esse Hesychii illustris illius Milesii grammatici, qui secundum Suidam sub Anastasio iam vivens composuit *Ὀνοματολόγον ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν* quo praeter philosophos a Diogene memoratos alios quoque et recentiores velut praeter Apollonium Tyanensem Philonem Judaeum Numenium Sibyllas alios quos excerpta Hesych. habent, Neoplatonicos quoque quos omittunt (cf. tamen s. Hypatia; e contrario omittit quaedam Suidas quae habuit Hes. velut Numenium etc.) amplexus est, usus in his et Porphyrii historia philosophica (cf. s. Homer., Hesiod., Pherecydes, Empedocles, Socrates, cf. Eunap. p. 3; ex alio eiusdem libro s. Ammonius) et Damascii quae in Neoplatonicis maxime versata videtur (s. Domninus, Doros) aliisque passim scriptoribus velut Characis historiis (s. Homer.) Philostrato Aristocle Alexandro Polyhistore aliis, quo eodem etiam opere praeter philosophos sophistas grammaticos poetas etiam clarissimos omninoque auctores celebres comprehendit (in comicis quidem Athenaei maxime opus respiciens) auctores tamen ecclesiasticos secludens non sine ira et reprehensione Suidae qui tamen paucos tantum ipse addidit (velut Joannem Damascenum et ceteros Joannes, Apollinarium etc.), scribens quidem ille ut credo Justiniani temporibus (c. 550) hominum quam plurimorum aequalis sexto seculo eruditione clarorum velut Triboniani (de quo ipse s. v. Pseudohesych.) Simplicii et qui huius tempore contra Proclum libros scripsit a Simplicio commemoratos Joannis grammatici (de quo quae s. Proclus habet Suid. ipse addidit) praeterea Stephani (qui Eugenii quem in grammaticis excerpsit

Suidas — cf. Scholion libro praemissum — in schola rhetorica Constantinopolitana successor fuit, cf. Steph. Byz. s. Ἀνακτόριον), Petri Patricii (Steph. B. s. Ἀκόναι, cf. Maium in Script. vet. nov. coll. II p. 571 sqq.) aliorum. Quum vero Eudocia ex eodem Hesychii Onomatologo apud Byzantinos clarissimo lectissimoque vitas scriptorum hauserit ita ut modo plus modo minus excerperet quam Suidas, modo ubi ipse brevis esset Hesychius idem ambo exhiberent, sicut praeter Hesychium ipso etiam Diogene Philostrato aliis usi sunt ambo, ex tribus his epitomatoribus Suida Eudocia et recentissimo Pseudohesychio aliisque libris Byzantinis Hesychium secutis quodammodo Hesychius ipse restitui potest non sine magno quidem Graecarum litterarum historiae emolumento atque purgatione. Hic ergo Hesychius indicem Diogenis exscripsit, numeros librorum quos falsos putavit correxit, quae ei omissa esse videbantur — nisi forte integriorem nobis servavit Laertium — ex sui tempôris notitia et lectione in fine addidit. In quibus advertunt pseudepigrapha illa temporis Byzantini et lectionem et criticum iudicium illustrantia, quorum quidem Geoponica Aristoteli tunc adscripta e lectione Byzantina in Arabum quoque usum transierunt. Theophrasti quoque indicem ex D. L. sumsit Hesychius, initium Suidas servavit. Et omnino in libris auctorum recensendis maxime curiosum fuisse Hesychium ex Suida intelligitur.

Jam igitur disputationis universae summa haec est. Indices librorum Aristotelis primus fecit Andronicus in libris quos scripsit de philosophia Aristotelis. Idem egit postea Ptolemaeus incerti temporis philosophus Andronici indice passim mutato, eodem tamen librorum fundo usus. Ex Andronico repetiit in commentariis Favorinus, ex quo Diogenes, ex quo Hesychius. Exstant nunc quoque indices Diogenis et Hesychii. Jam vero videmus quam incerta sit omnium fere horum librorum auctoritas, videmus non posse his quidem indicibus quasi qui sint Alexandrini probari librorum antiquitatem, nedum auctoritatem quae iam tempore Aristoteli proximo Timaei scil. suspecta est, probari autem revera analogia sola et ipsa ratione longe ante Andronicum tempore atque in ipsis Alexandrinae doctrinae initiis et scriptos esse et inscriptos plurimos clamante.

Comparantibus nobis eorum librorum rationem quos Aristotelis esse et ipsa perpetuae lectionis qua servati sunt gloria et scribendi disputandique similitudo dignitasque asseverat cum libris

et Platonis magistri et discipuli Theophrasti, unaque reputantibus non solum tantam esse in iis doctrinae rationisque aequabilitatem maturamque certitudinem, tam manifestum inter singulos consilii et procedentis scriptionis nexum, ut eadem omnes vitae parte scriptos esse concludatur eaque quidem postrema senioris post mortem magistri Aristotelis, id quod ipsa eorum in iudicando Platone libertas doctrinaeque proprietas docet et auctoritas, nec umquam de his omnibus rebus quos ex ordine tangit iam prius scripsisse eum citando significare, quum tamen quae praeter servata tempus illud quod inter Platonis Aristotelisque mortes intercedit satis superque explentia illi tribuantur prius scripta cogitanda sint iuvenis et discentis opera, porro qui unus liber illis deperditis similis haberi potest *προβλήματα* de rebus physicis ita simplici titulo citentur ut eiusdem praeterea consilii nullos libros ab eo scriptos esse declaretur, ipsum denique iam Cephisodorum Isocratis discipulum quam aliena haec omnia sint ab Aristotele philosophum semper se gerente rerumque non nisi philosophiae causa et theoriae studioso eo significare quod Aristoteleum morem in omnibus libris quum physicis tum ethicis politicisque proverbia cumulandi et quasi ex vulgi sermonibus doctrinam firmandi (cf. quae de proverbiis dicit auctor quidam peripateticus apud Synes. enc. calvit. p. 85 d Petav. = p. 29 Krab.) tamquam philosopho indignum reprehendit (hic enim sensus est loci ab omnibus male intellecti Athen. II, 60 neque igitur eo tutari potest liber Aristotelis nomine ornatus de proverbiis — cf. Stahr Arist. I, 70. II, 43. Brandis Arist. I, 72. Schneidewin Paroemiogr. p. I sqq. C. Müller fr. hist. II p. 188 — qui quum nusquam omnino citetur, saepe vero proverbiorum explicationes Aristotelis ad alios scil. libros maxime politias cf. fr. 110. 139. 142. 143. 157. 167. 168. 170. 176. 179. 193. 200. 206. 219 referendae, idem videtur cum eo qui ab aliis Theophrasti perhibebatur cf. Suid. s. *ἀρχὴ ἄνδρα* etc. et D. L. in utriusque indice, Schneidewin p. IV), intelligitur medium quendam inter Platonem et Theophrastum tenere locum Aristotelis scriptionem aeque diversam et ab illius in scribendo artis studio formaque dialogorum rhetorica et ab huius rerum ipsarum eruditionisque praecipuo iam amore librisque non integrum disciplinae ambitum, verum singulos locos uberius tractantibus monographicis, intelligitur ab Aristotele qui vel in iis quae historica scripsit, historiam dico animalium, ipsa consilii unitate argumentique praeclare et divisi et comparati

totalitate philosophus est ita ut problemata quoque eius perdita his quam posteriorum collectionibus tumultuariis servatisque similiora fuisse videantur, ut consentaneum est eius libros initia ferre eius rationis quam discipulorum delectatio maxime sequebatur, perfectae simul philosophiae et in ipsa perfectione exhaustae adque eruditionem et historiam delabentis speciem quasi coniungentes praeceptamque a Platone inveniendi et novitatem et fecunditatem argumenti certa ratione viaque tractati plenitudine compensantes, ita abhorrere et a Platonis discipulo et a philosopho ingens illud et incredibile polyhistoriae et polygraphiae studium quod eius fuisse (cf. Niebuhr Röm. Gesch. I, 14 ed. 4 aliosque multos) perversa Alexandrinorum pseudepigraphia posteriorum persuasio finxit, auctoritate igitur carere libros omnes qui aut mere sint et argumenti consilio sermonisque genere rhetorici ad Platonicorum mores sententiasque accedentes aut mere historici arteque et consilii explicato nexu plane carentes et sive omnino a philosopho alieni sive quod hunc ipsum quasi commentantur retractantes et compilant et in compendium redigunt secundum morem Alexandrina aetate receptum novaque litterarum genera ferentem.

Ad primum genus pertinent dialogi i. e. libri exoterici (Alex. in Top. 261, 25), ad alterum omnia illa *ὑπομνηματικὰ* (sive *μονοειδῆ* qualis etiam *περὶ ἑρμηνείας* liber David. 24 b 5 qui idem liber *περὶ προτάσεων* vocatur Philop. 195 b 40. 196, 5. Alex. in Top. 261 et categoriae Sch. 47 b 40. 44, sive *ποικίλα* ut *σύμμικτα* David. 24 b 8) sc. *ἐν οἷς μόνα τὰ κεφάλαια ἀνεγράφησαν δίχα προοιμίων καὶ ἐπιλόγων καὶ τῆς πρεπούσης ἐκδόσεσιν ἀπαγγελίας* David. 24, 38 cf. 24 b 7. 10 aut quae sicut dixit Alexander (ap. Simpl. Sch. 24 not.) *συμπεφυρμένα καὶ μὴ πρὸς ἕνα σκοπόν*, de quorum commentariorum unoquoque valet quod de uno quodam (*ὑπόμνημα ὃ ἐπιγράφεται παρὰ τὴν λέξιν* Simpl. Sch. 47 b 42) dicit Simplicius in Cat. 47 b 42 (secundum Porphyrium ut fere semper citans, id quod docent verba consimilia Dexippi antiquioris Sch. 48, 27 sqq. 47 b 35 sqq. cf. 40 b 10) *ὅπερ εἰ καί τισιν οὐ δοκεῖ γνήσιον Ἀριστοτέλους, ἀλλά τινός ἐστι πάντως τῶν ἀπὸ σχολῆς*: quapropter (Simpl. Sch. 24 not.) *δοκεῖ μὴ πάντῃ σπουδῆς ἄξια εἶναι, διὸ οὐδὲ πιστοῦνται ἀπ' αὐτῶν τὰ τοῦ φιλοσόφου δόγματα.* Tales sunt omnes fere libri quos recenset index Diogenis *τὰ συνταγματικὰ* (David. 24 b 11) fere praetermittens. Quorum primos ponamus illos meram com-

pilandi operam et colligendi prodentes, sicut quae sunt variae historiae: *ἄτακτα* XII D. L. 5, 26 (pro quo *διάτακτα* falso legitur ap. An.) i. e. *συμμιγεῖς ἱστορίαι* (Suid. s. Euphorion), *ἐξηγημένα κατὰ γένος* XIV D. L. 5, 26 (*ἐξητασμένα κ. γ.* An.), de quibus duobus male disputant Schneidewin Philolog. 1846. I, p. 10. C. Müller fr. h. gr. II p. 189, septuaginta deinde libris *σύμμικτα ζητήματα πρὸς Εὔκαιρον* (David in Cat. 24 b 8 qui locus Davidis ex prioribus interpretibus sua omnia repetentis illaque una memorantis cum libro *π. συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς* ab Anon. quoque adscripto pro ea fere stat sententia ut appendicem Anonymi i. e. Hesychii intercisum in codicibus Diogenis similique modo quo Theophrasteorum appendices ab ipso Diogene hoc quoque loco revera additum fuisse censeamus) sive *πέπλος* qui diversus eiusdem operis titulus significat *ἱστορίαν σύμμικτον* (ut dicit An.) sive „variam et miscellam et quasi confusaneam doctrinam" (Gell. praef.), cum similibus ille Alexandrinorum libris Dionysii Stephano (C. Müller II, 7) et Rhegini Polymnemone (id. II, 12 not.) recte a Socrate (hist. eccles. 3, 23) comparatus; in quo libro (cf. Schneidewin Philologus I p. 8—13. C. Müller II p. 188 sq.) praeter alia multa disserebatur de deorum amoribus et heroum Homericorum genealogiis cum navium quos habebant numero et epigrammatis (Eustath. ad Il. *β* p. 285 Rom. cf. de Epeo Sch. Il. *λ*, 688; epitaphia inde excerpta novissimus edidit Schneidewin l. c. p. 24—45), de ludorum Graecorum secundum temporis rationem serie (Schol. Aristid. ed. Frommel Francf. a. M. 1826 p. 105 sq.). Multa ibi excerpta et repetita fuisse ex politiarum opere et ipso confusa quadam doctrina referto ex iis patet quae Tzetz. ad Hes. p. 7 Gaisf., ad Lycophr. 488 ex peplo citat in politiis quoque lecta (fr. polit. 115. 176 Müll. ubi de genere Stesichori et de proverbio quodam fabula explicato). Praeterea citat Athenaeus inter Theophrastum et Aristotelem auctores dubia *ὑπομνήματα* sc. historica (cf. Aristoxeni et aliorum *ὑπομνήματα*) VI sec. D. L. 5, 48 (XVI sec. Dschem. W. 156), ubi de phasianis Athen. 14, 654, de Magnesiorum qui ad Maeandrum hospitalitate Athen. 4, 173, quo quidem loco fragmentum appositum et ab omni nexu solutum formam libri ostendit collectanea exhibentis, de insulis Aeoliis (*Θεόφρ. ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι* Schol. Apoll. Rhod. 4, 834), de Euripidis Medea (Argum. Eur. Med.), cf. etiam Athen. 2, 44. In libris *χρειῶν* et *κοινῶν διατριβῶν* quos Aristoteli si rectum est nomen tribuit

Stobaeus sophistarum recentiorum fabulas tales congerentium morem referentes illoque longe recentiores Zeno memoratur et comicus Alexis senio confectus (flor. 57, 12. 116, 47). Huc denique e servatis libris pertinent θαυμάσια illa sive παράδοξα (cf. codd. Bekk.), quae prout ipsa libri sine ordinis consilio scripti natura invitabat vario in codicibus confusoque partium et foliorum ordine laesaque integritate tradita non recte mihi statuisse videtur Westermann ex tribus diversis separatisque partibus (sc. c. 33—151 quae antiquissima, quibus post addita 1—32 et 152—178) postea demum conflata esse, quarum quidem tertiam sola exhibuisse vult capita 152—178 quae sola habet cod. Ua (paradoxogr. praef. p. 25—28), in quo ipso codice e prioribus male se. omissis c. 9 ante 162, c. 4 post 161 et c. 33 post 177 repetita erant; item primae partis c. 1 in codd. QOa post 176 positum similem ex illa olim revera praecedente repetitionem significat qualis est in Ka Na. Alia in quibusdam exemplaribus omissa erant (cf. 70 sq.), alia mutato ordine relata, alia manifesta negligentia inepte confusa (cf. Bekk. ad 841, 22. 842b 34). Quod vero in cod. Sa notatur (Bekk. p. 845 not.) initium in alio exemplari deesse usque ad 832b 27 ita ut sententiarum 33—41 inter se nexarum prima (33) omissa fuerit, hoc indicat ibi quoque mala fortuna ea interiisse quae in ipso excerptorum initio ex Aristotele collecta titulum quodammodo explicant, sive id factum est turbato foliorum ordine sive alia causa. Nam et c. 139—177 plane sibi similia sunt ita ut 152—178 ab illorum nexu casu potius separata quam quum prius per se sola legerentur illis deinde addita fuisse videantur. Ceterum collectaneorum auctor excerpsit non solum alios libros Aristoteli falso tributos velut librum de mundo capitulo 155 = p. 399b 33 quem locum hoc consensu tutum quum mutaverit in latinum sermonem vertens Apuleius, arbitrarie egisse et hoc loco et ceteris omnibus A. Stahr atque ipsius esse librum quod negabat ille revera simulasse Apuleius deprehenditur) aliumque librum quendam pseudepigraphum c. 56 = Arist. ap. Sotion. parad. 7 cf. similia ex Arist. Sot. 10. 19. 29. 30, c. 115 cf. Schol. Nic. Ther. 45, Sot. 19 = Callim. ex Arist. ap. Antig. 159, sed ex Theophrasto (cf. 71—74 ex libro de piscibus in sicco degentibus Schneider IV p. 805 sq. aliaque ex aliis cf. 30 = Plin. 8, 52 et 66. 63. Schneid. 815. 818 etc. Beckmann ad ll. cc.; et omnino plurima quae de moribus animalium in prima maxime et ultima parte narrantur, item quae de metallis

ac lapidibus cf. 42—62 ex Theophrasto petita videntur), iam vero ex ipso etiam Aristotele velut c. 4—8, 11, 12 ex hist. an. 9, 5 et 6 (ad mir. 6, Ar. h. a. 612, 7 cf. Sch. Nic. Alex. 13), c. 3 ex eodem libro 9, 29, c. 2 item ex 9, 47, licet haereas utrum ex ipso Aristotelis opere, id quod fecit Antigonus Caryst. (cf. mir. 32. 127 Beckm.) historiae animalium nono maxime libro hic quoque usus (cf. Beckm. ad c. 33—127), an potius ex epitome quadam eius haec excerpta putes cf. c. 6 cum Ar. 612, 7 et c. 1 quod est epitome ex h. a. 9, 45 (eadem ex alio fonte mir. 129): solet enim sicut problematum auctores hic quoque verbotenus repetere fontes suos. Alia vero plurima quae in media libri parte de regionibus Europae occidentalibus (c. 78—114. cf. 119. 130. 132; inde enim a c. 115, maxime vero a c. 139 physico cuidam auctori denuo cedit historicus) referuntur ex historiarum quodam scriptore sumta sunt qui *τῶν περὶ τὸν τόπον ἐκεῖνον τὴν ἀναγραφὴν ποιούμενος* (101 fin. ut Theopompus *ἐν ταῖς ἱστορίαις ἐπιτρέχων τὰ κατὰ τόπους θαυμάσια* Apollon. mir. 1, cf. 130 ubi de freto Siculo alium quendam scriptorem 843, 2 respicit ante nominatum auctor exscriptus) ne mythica quidem omittenda duxit ab Ephoro (cf. ex Strabone Eph. fr. 70) plane diversus, post Cleonymi (cf. 78 quae pertinent ad Ol. 119, 2) et Agathoclis (110. † Ol. 122, 4) tempora scribens, Timaeus sc. ille *φιλομυθῶν* uti recte coniecit Niebuhr Röm. Gesch. I, 23 ed. 4; cf. 102 cum Tim. fr. 17, 88 (837, 31) cum Tim. fr. 30, praeterea Tim. fr. 6. 14. 27. 28. 36. 41. 63 Müll. Alios hic illic scriptores citat sive citatos reperit auctor Callisthenem Eudoxum Polycritum (de quo cf. Müller Scr. rer. Alex. 129 sq.) etc. cf. ad mir. 96 Athen. 12, 541 — iisdem fere usus libris et physicis et historicis quibus Antigonus Carystius nominibus tamen quae diligenter hic addere solet auctorum omissis. Timaeus vero quum aliquanto post historias in Ol. 129, 1 finitas mortuus esse (c. Ol. 130) videatur, eodem vero tempore multi solerent edere *ἐκλογὰς τῶν παραδόξων* (sicut qui mortuus est Ol. 135 sive 136 Callimachus cf. Antig. 144, iique qui historicos talibus rebus plenos — cf. Theop. fr. 66. 69. 70. 79. cf. Apollon. mir. 1 (cf. Arist. m. 101); Aristox. fr. 87 sq. qui in commentariis miscellis mirabilia multa narrabat Phot. cod. 161, etc. — excerpentes scribebant Ephori et Theopompi mirabilium libros cf. Westermann paradoxogr. praef. p. 50—52, Müll. fr. hist. I praef. p. 70; ad Theopompi *θαυμάσια*, non ad Aristotelem spectant etiam quae *ἐν τῷ κατὰ τόπους μυθικῷ*

citat auctoris nomine postea exciso Apollonius mir. 15. cf. 10), veri simile est paullo post mortem Timaei libri de mundo auctori aequalis scripta esse Aristotelis *θαυμάσια*.

Alia fuerunt historiae in unum quidem finem institutae varia tamen et ipsa eruditione referta (David 24, 28), ut politiae numero 158, totidem *κατὰ στοιχεῖον* libris numeratis (cf. fr. 91) — hunc enim numerum Diogenis et Hesychii verum censeo, ceteros corruptos (Dschem. 171, Hadschi Khalfa 191, vit. Nunn. 250, vit. Philop. 255, quibus tamen duobus quinquaginta certe numerus firmatur) — quas iam veteres e genuinis falsisque mixtas esse suspicati sunt (Simplic. in Cat. Sch. 27, 43. Tzetz. ad fr. 115), neque ullo inter se nexu coniunctae neque certo aliquo ordine servato populorum partim (eae sunt quae *κοιναὶ* vocantur ut Arcadum politia fr. 91, Thessalorum fr. 145, Aetolorum, Acarnanum, Epirotarum etc.) partim singularum urbium instituta pro lubito recensentes, id quod praeter fragmenta docent excerpta illa Byzantina ex Heraclidis cuiusdam epitome politiarum scil. Aristotelicarum aliisque fortasse ex Theophrasto Heraclide Pontico etc. additis auctarum, sive is alius quidam fuit Heraclides sive ipse Ponticus politica doctrina clarus (Cic. de legg. 3, 6) ab Alexandrinis falso ut in aliis multis (Müller II, 198) auctor inscribebatur (sicut Theophrastus legebatur auctor *ἐπιτομῶν Ἀριστοτέλους περὶ ζώων* D. L. 5, 49). Consensus cum Aristotele maxime manifestus est Heraclid. 10, 5. 7, 3. 5, 2 (cf. Müll. ad hh. ll.): praeterea simile fabularum studium (30. 31) et proverbiorum explicandorum (10, 2. 10, 6. 7, 3) similisque omnis libri ratio, licet excerptor Byzantinus magis quam ipsa instituta politica dilexerit mores varios et facta paradoxa non adeo ille ingenio diversus ab eo cum quo in omnibus codicibus (Müll. II, 201) coniungitur Aeliano. Haec vero libri ratio Peripateticum magis sapit scriptorem quam Heraclidem elegantem dialogorum auctorem Platonicum licet Aristoteli secundum huius temporis morem in singulis saepe consentientem, quapropter eum a Laertio inter Peripateticos potius loco tamen separato recensitum veteres et Platonem audivisse fingunt et Aristotelem, Proclus vero (in Tim. 281 quem locum Platonis eum esse discipulum confirmantem male intellexerunt recentiores cf. Gruppe Kosm. Syst. d. Griech. 128, Boeckh Kosm. Syst. d. Plato 130) non genuinum sincerumque esse Platonis discipulum reprehendit. Non igitur concedo Müllero neque de fundo Heraclideorum (II, 206) neque de eo quem finxit politiarum ordine

(II, 207). Ipse vero qui creditur Aristoteles ex Ephoro iam videtur hausisse cf. Heracl. 5, 2. D. L. 1, 98. Nicol. Damasc. fr. 59. Ephor. fr. 105. Quod autem in eius politiis non minimae partes erant fabularum et narratiuncularum (cf. fr. 107. 111. 119. 124. 129. 138. 143. 168b. 170. 176. 177. 199. 230. 233a. 239; maxime tamen fr. 124 auctoris vel miraculorum ineptias captantis. fr. 168b et 199 e Parthenio sumta pertinent fortasse ad Arist. Erotica, ut fr. 233b ad librum de Pythagoreis) delectatione quadam quae plane ex more est Theophrasti ceterorumque Peripateticorum (cf. de Pontico Müller II, 199 sq.) traditarum, sive hominum clarorum vitas illustrant (14. 230) sive populorum mores et instituta varia (94. 95. 205 etc.) et a quo in singulis initium ducitur nominum origines et *κτίσεις* (Plut. non posse suav. 10) explicant sumto pro genealogorum more conditore homonymo (cf. 1. 89. 118. 127. 131. 129. 135. 138. 171. 186. 192 — omnino enim auctor multus est in mythica aetate cf. 122. 130. 164. 165. 167; quod ad proverbia quae ut ex aliis velut e physicis Schol. Plat. p. 37 (ed. Turic. min.), ex ethicis (ib. p. 221), ita ex politiis maxime hauriebant amplissime enarrata proverbiorum collectores posteriores velut Zenob. 5, 11. Apostol. 17, 25 ita ut neque ceteri qui de proverbiis citant Aristotelem — numquam enim liber ipse Arist. de proverbiis citatur — aliunde sumsisse putandi sint — cf. locos supra citatos, praecipue 143. 168. 176), id adeo abest ab Aristotelis more et ingenio qui si in ethicis et politicis ex rebus gestis et proverbiis exempla ducit actionum et sententiarum ea magis obiter tangit quam ipsis rebus gaudens enarrat, paucis fortasse locis exceptis ad discipulorum iam morem accedentibus velut de Thalete Polit. 1, 11 (quem locum excerpsit Hieronymus in commentariis D. L. 1, 26): quare vel in Eudemi Ethicis historica illa uberius plerumque explicantur cf. 1214, 1. 1215, 10. 1223b 22. 1231, 17. cf. 1, 4; 5 —, ut licet supra memoratis et antiquiores fuerint politiae quas iam Timaeus acerrimus ille Aristotelis reprehensor in huius nomen plus sexaginta annis ante mortui receptas novit (Tim. ap. Polyb. 12, 9, 2 ed. Gron. p. 914. 1392. Athen. 11, 464) et argumenti ubertate utiliores (maxime quae prima fuit Atheniensis ex qua si politica fere sola instituta memorantur, id partim debetur lexici Harpocrationis fragmenta plurima suppeditantis naturae) cum Theophrasti fere legum libris (Cic. de fin. 5, 4) comparandae (cf. Dicaearchi politias fr. 20. 21 Müll.), ab Aristotele ipso eas non profectas esse pro certo intelli-

gatur, praesertim quum non solum in Politicis ubi saepe ponit politiarum exempla numquam eas verbo significaverit sed etiam prorsus reiecerit talis operis institutum tamquam sophistarum morem doctrinamque gerens (Ethic. X extr. 1181, 16. b7. cf. Rhet. 1, 4. 1360, 30—37), nullam neque νόμων neque πολιτειῶν συναγωγὴν sibi ante Politica scriptam fuisse ipso huius operis statim sequentis argumento in Ethicorum fine narrato (1181 b 15—23) testatus. Qui locus male intellectus (ut nunc quoque a Michelet. ad Eth. N. p. 343) fortasse occasionem fidemque dedit iis qui in Aristotelis nomen hoc opus scriberent. In Politicorum vero libro secundo et historico civitates insignes et easque quae maxime essent diversae sicut promiserat ita describit ut seorsim historias tot tamque ignobilium civitatum quae nihil docerent philosophum scripsisse, et scripsisse quidem sine ullo rationis philosophicae theoriaeque vestigio, propter hunc ipsum iam librum (cf. 1260b 29—37) minime sit verisimile. In politiis nihil impedit quin barbarorum quoque civitates attigisse auctorem credamus sicut ipse Aristoteles in Polit. secundo Carthaginiensem. Separati tamen operis sine dubio ut cetera omnia quae recensent indices ita fuisse statuendum est et νόμιμα βαρβαρικὰ quorum auctor locum quendam historiae animalium (8, 39) quo eodem usus est Antig. mir. 18 excerpsisse deprehenditur (Apollon. mir. 11), agens ille praeter alia de Romanorum (Varro L. L. 7, 70 p. 147 Müller) et Tyrrhenorum (Athen. 1, 23) moribus et institutis titulo Alexandrinis frequenti (cf. νομ. βαρβ. Hellanico supposita, Nymphodori, aliorum Müller. fr. hist. I praef. p. 30), et νόμιμα Ῥωμαίων (ind. An.): qui quidem libri, ad quos pertinent ineptiae quaedam fr. 243. 248. 249 Müll., ipsa diligentiori Romanorum et superioris Italiae notitia quae Theophrasti demum aetatis fuit et diadochorum (cf. Plut. Camill. 22. Plin. 3, 9 p. 225 Bip. Aristoxen. fr. 5. Theophr. h. pl. 5, 8, 2. Arrian. 7, 15, 6 — fabulae enim sunt quae de omnibus fere mundi populis ad Alexandrum legatos mittentibus sec. Arr. 7, 15, 4 simili postea narrabant commento quo de Pythagora omnium fere Italorum magistro) originem Aristotele seriorem produnt. Quibus coniungenda sunt δικαιώματα πόλεων „quibus Philippus lites Graecorum determinabat" (vit. Nunn. 15 extr. e Wal. corr. D. L. 5, 26) bis citata ab Harpocr. s. δρυμὸς et Ammon. s. νῆες, ubi quum de Alexandro Molosso narretur, si omnino haec Aristotelis, senis essent Aristotelis: id quod studiorum eius historiae non minus repugnat quam

ipsum argumentum historias conserens. Ex iis vero quae de primis artium inventoribus ex Aristotele citantur (fr. 256—58 Müll. cf. Schol. Plat. p. 153) non sequitur peculiarem *περὶ εὑρημάτων* librum ut Heraclidis Theophrasti Stratonis ita illius quoque nomine fuisse inscriptum, praesertim quum de talibus eum mentionem fecisse et in politiis (Sch. Plat. p. 153 = Sch. Vat. in Rhes. 311 in Eurip. ed. L. Dindorf, Lips. 1825 T. I p. 476) sciamus et in libro *περὶ παιδείας* e quo simile quid citat D. L. 9, 53 Aristotele tamen hoc quoque indigno vel propter hanc ipsam a Diogene memoratum de Protagora baiulo fabulam (cf. Frei Qu. Protag. p. 41) Epicuri tempore vulgatam (Cramer Anecd. Paris. I, 171). Undecunque tamen illa sumta sunt, spuriis certe libris debentur. Ceterum talium librorum nobis exemplo servatus est quem inepte medii aevi librarii Graeci fecerunt Oeconomicum secundum: est enim *συναγωγὴ* eorum *ὅσα τινὲς τῶν πρότερον πεπράγασιν εἰς πόρον χρημάτων ἢ τεχνικῶς τι διῴκησαν* (1346, 26) i. e. collectio quaedam *χρηματιστικῶν* sive ut ita dicam *οἰκονομικῶν πρὸς καιρούς*, qualia scripsit Theophrastus *πολιτικὰ πρὸς καιρούς* (cf. fr. ap. Schneid. V, p. 210), sc. „quae essent in republica inclinationes rerum et momenta temporum, quibus esset moderandum utcunque res postularet" (Cic. de fin. 5, 4. cf. Arist. 1346, 32 et Theophr. ap. Suid. s. *Κυψελιδῶν ἀνάθημα*). Sunt tamen plane haec diversa ab illis de quibus cogitavit Arist. pol. 1, 11. 1259, 33—36 (quae vero dicit 1259, 3—5 huc omnino non faciunt: spectant enim ad privatos; contra Göttling. praef. ad Ar. polit. p. XXII), ex quo loco simul quam longe remotum sit ab Aristotelis ratione res mere historicas et particulares quae nullum philosophiae fructum ferant accurate enarrare et exempla colligere ipsius verbis auditis clare perspicias cf. 1258b 34 sq. 1259, 2. Scripsit quidem Xenophon historicus libros *περὶ οἰκονομίας* et *περὶ πόρων*, scripserunt Chares Parius et Apollodorus Lemnius *περὶ γεωργίας* aliique de aliis partibus *τῆς χρηματιστικῆς* velut idem Xenophon *περὶ ἱππικῆς* et *περὶ κυνηγετικῆς* (Ar. 1258b 14): at philosopho *φορτικὸν τὸ ἐνδιατρίβειν*, licet hanc ipsam sibi operam discipuli sumserint quippe in philosophia ipsa nihil novare neque valentes neque audentes. Praecedit in codicibus hanc exemplorum collectionem libri ad quem ipsa pertinet ab Aristotelis disciplinae oeconomicae ratione quippe quae in privatis versetur (ut exponit Politicorum primus cf. David in Cat. 25b 6—10 et

librum cuius eadem ratio est Oeconomicum qui fertur Aristotelis suo ambitu absolutum) plane alieni fragmentum sive potius prooemium (1345 b 7 — 1346, 24) uno tenore inepte annexum de administratione dispensationum publica eiusque quatuor formis, quarum quae una est satrapica diadochorum aetatem diserte prodit (cf. etiam 1351 b 36. 1352, 9 etc. Plut. Symp. 1, 2, 3). Quem librum ut recte ex Olynthii Ophelae mentione (1353, 5) advertit Niebuhr (Kl. Schr. I, p. 412 sq. cf. Diod. 20, 42) post Ol. 118, 1 scriptum, ad Oeconomicum qui dicitur primum nihil pertinere iam pridem dixit Hieronymus Gemusaeus in edit. opp. Arist. latin. Basil. 1548 T. III, p. 184: „Titulus est Oeconomicorum publicorum id est dispensationum, cum adiectione ne tres libri oeconomicorum videantur esse. Videtur profecto indignus esse qui locum habeat post tam sancta praecepta quibus est plenus uterque Oeconomicus" (cf. p. 261. cf. etiam de hoc libro satis bene indicantem Joannem Casum Oxon. in Thesauro Oeconomiae seu Comm. in Ar. Oecon. ed. Hanov. 1598 p. 406—410, ubi et propter sermonem et argumentum librum hunc reiicit et propter rationem omnem, cf. p. 408: „Aristoteles enim est fere totus theoricus, non historicus." Ultima verba spectant ad librum, qui in editionibus latinis Venetis et Basileensibus primo Oeconomico plerumque ut secundus additur, una cum primo a Leonardo Aretino Ethicorum Eudemi et Politicorum praeter alios multos libros Graecos interprete († 1444) latine versum et commentario auctum eundemque postea sicut libri de plantis Graeco sermoni a Jacobo Tusano redditum (quae versio in multis graec. edd. legitur velut Pacii, Casauboni, Duvallii; cf. Arist. Oeconom. gr. ed. Paris. 1541. Tusani prooemium legitur etiam apud Sylburg. in edit. Politicor. p. 236) in quo libro tribus capitulis docetur de officiis et legibus „tum propriis tum mutuis viri et mulieris." Malam in hac re fidem fuisse Aretini, id quod postea editores Aristotelis graeci significabant (cf. Sylburg. praef. in Polit., Tusan. l. c., Patricium in Discuss. Peripat. p. 49, Fabric. III, 274 H. et maxime Jac. Lod. Strebaeum in praef. ad Oecon. Arist. et Xenoph. lat. versa Paris. 1604, quem librum mihi ignotum citat Feugère in Oeuvres complètes d'Estienne de la Boëtie, Paris 1846 p. 100 — hic enim in gallicum sermonem vertit cum Xenophonte Ar. Oecon. sed primum tantum librum) id de viro apud aequales omnes laudatissimo et virorum laudatissimorum amico neque editores primi suspicati sunt — cf. Ludovicum Vivem critico iudicio inter aequales

insignem qui in secundo libro de institutione feminae christianae (quod opus edidit Brugis 1523) cum Paulo et Hieronymo una saepe apponit Aristotelis gravissima monita ex Oeconomicorum volumine secundo („quod Aristotelis nomine inscribitur" Opp. ed. Basil. 1555 T. II p. 711. cf. p. 648. 719. 723. 726. 729. 743); neque Jo. Casus in comm. amplo ne de Aristotele quidem auctore dubitavit — neque ipsius Leonardi praefatio ad Cosmum Medicem simplex et brevis arguit nihil quidem monentis de altero libro quum dicat se hunc Aristotelis libellum per has ferias de Graeco esse interpretatum (nec plura idem habet in Epistolis, cf. ep. 5, 2 ed. Mehus Flor. 1741 T. II p. 9: „Librum Aristotelis qui inscribitur *οἰκονομικὰ* in latinum verteram e graeco. Id munus" etc.). Neque enim magis fraudes erant Aretini in libro quem dicit editor operum lat. Venet. 1496 vol. II (sec. Buhle, Opp. Arist. I, 215 cf. 216) „librum de moribus ex versione L. Aretini cum eius epistola ad Galeotam", quem manifestum est nihil esse nisi eius in Eth. Eudem. introductionem cf. ed. Bas. 1548 Vol. III p. 229, neque demum aliter statuendum erit de libro de fortitudine (Buhle l. c. 216) de quo cf. Lud. Vivis de Arist. operibus censuram (ed. Bas. T. I). Attamen Graecum quidem quod credebant Aretini exemplar iam Aldus in usum editionis Graecae principis frustra undique quaesivit (cf. praef. ad Vol. V et Bernardini Donati Veronens. qui alterius illius Oec. paraphrasim primo libro adiunxit — cf. ed. Paris. 1541 — praef. in Oecon. a se versa, in ed. Ar. lat. cum Averr. comm. Venet. 1550 T. III p. 167. de Aretini Oecon. editionibus et codicibus cf. max. Mehus in Epist. praef. p. 78). Jam vero ille quoque Aretini secundus Oeconomicus a primi libri auctore plane alienus est, attamen in Graecis codicibus antiquis sine dubio deinceps lectus eadem ratione qua David in Cat. 25b 7 cum oeconomico syntagmate coniungit libellum *περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικός,* cui ipsi Hesychius in indicis appendice posito alium addit similem *νόμους ἀνδρὸς καὶ γαμετῆς.* Quid quod hunc ipsum librum ab Aristotele quidem quam maxime alienum, Perictionae autem libro *περὶ γυναικὸς ἁρμονίας* (Stob. flor. 85, 19, cui similes sunt Phintys et Pempelus Platonis hic leges exscribens cf. Ocellus c. 4) et methodo qui praeceptoris est et sententiis et ut credo aetate similem, latina versione servatum Aretinus videtur recepisse. Extat enim antiqua seculi XIII duorum illorum Oeconomicorum translatio, quae in subscriptione cod. Paris. Sorbon. 841 facta esse

dicitur de Graeco in Latinum „per unum archiepiscopum et unum episcopum de Graecia et magistrum Durandum de Arvernia [i. e. Durandum de Sto. Porciano, nominalisticae sententiae ante Occamum restauratorem, de quo cf. Hauréau de la phil. scolast. T. II p. 410—416; Quetif et Echard, Script. ord. Praedicat. I, p. 586 sq.] latinum procuratorem universitatis tunc temporis in curia romana. Actum Anagniae in mense augusti pontificatus D. Bonifacii VIII anno primo" (i. e. a. 1295. cf. Jourdain p. 71), cuius finis (cf. Spec. ap. Jourd. p. 442) cum fine secundi apud Leonardum libri plane consonat. Edita est haec versio in libello quodam quem in bibl. Berolin. nuper inveni ita inscripto: „Arestotelis Stagirite philosophorum maximi Oeconomicorum libri duo sub gemina translatione" (fol. s. a. et l., Lipsiae sec. Panzer. Ann. typogr. IX, 239), in quo post Leonardi prologum in quovis capite utraque versio componitur, primum ea quam se fecisse ait Aretinus, deinde antiqua illa. Quibus comparatis patet ita Leonardum vertisse ut antiquam versionem sermone passim correcto primi libri novae versioni adderet (idem enim et in Eth. et Polit. antiquas translationes respexit; cf. tres Ethicorum versiones coniunctim editas cum comm. Jacobi Fabri Paris. ap. Henr. Steph. ed. secund. 1505 et iterum 1516, sc. Argyropuli Byzantini Leonardi Aretini et antiquam), sicut simili fere ratione Joachimo Camerario novam Oeconom. versionem edenti (a. 1564) „ut essent inter se similia et congruentia omnia, visum fuit quasi transferre convertendo a Leonardo Aretino addita libris divulgatis, quae sane de Graeco maluissemus si illorum copia potuisset contingere" (ed. Francof. 1581, Epist. dedic. p. 6). Nulla igitur iam causa est cur librum hunc non ipsum illum putemus in ind. Anonymi memoratum, praesertim quum et liber ille ab eodem positus pseudaristotelicus *περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναβάσεως*, quem exscripsit Plut. plac. philos. 4, 1 (cf. Anon. de vita Pyth. ap. Phot. bibl. cod. 259. Procl. in Tim. p. 37) latina sec. XIII versione in multis codd. servata eademque a Graeco fragmento quod a Henr. Stephano olim editum Athenaeo inepte tribuit Schweighäuser (cf. ed. Athen. Argent. 1801. t. I p. 278) diversa (cf. init. et fin. apud Bandini Catal. codd. lat. bibl. Laur. t. III p. 238; uti enim non licuit textu in Ar. opp. lat. Ven. 1491 et 1551 ut aiunt edito, cf. Buhle de libr. Ar. deperd. p. 119 in Comm. Gotting. vol. XV) legeretur (citatur etiam a Rogero Bacone in Op. mai. p. 202 „Ar. in libro suo de Nilo" etc. cf. 202—4). Eo vero maxime memo-

rabilis est liber ille novus (licet spurius) a me nunc repertus qui inscribitur *νόμοι ἀνδρ. κ. γ.*, quod inde manifesto exemplo docemur quid ex ceteris quoque illis multis Aristotelis libris quos lugent deperditos philosophiae eius accessisse credamus, nihil scilicet. Attamen si non propter dignitatem philosophicam, eo certe et hic libellus et Pseudopythagorici illi lectu satis digni sunt, quod iis potissimum mulierum conditionem virtutemque qualis erat apud Graecos in doctrinae exemplique speciem ab ipsis Graecis redactam legimus.

Politicis his et historicis ex eodem collectionum genere adiicienda sunt quae ad physicum maxime argumentum pertinent problematum collectiones plures — multa enim quae nunc perdita problemata citantur — velut quae praeter servata de quibus rectissimum iam fuit Henrici Stephani iudicium (sec. Sylburg. praef. in Problem.) 38 libris digesta (haec enim sunt de quibus multi multa hariolati sunt Diogenis — 5, 26 cf. An. — illa *φυσικὰ* sc. *προβλήματα κατὰ στοιχεῖον λη'*: ceterorum enim falsi sunt numeri 70 v. N. p. 15, 28 Dschem. sive 68 in alio codice) recensentur (D. L. l. c.) *ἐπιτεθεαμένα προβλήματα* (II) i. e. ut opinor revisa et correcta (Pollux 6, 115), non vero ut vertit vit. Nunn. p. 15 adspectiva, *ἐγκύκλια προβλήματα* (II) de quaestionibus vulgaribus „in praeceptorum usum" (Dschem. ap. Wenr. 153) unde problema de histrionum infamia ap. Gell. 20, 4, *μηχανικὰ προβλήματα* (I) cf. Arist. mech. 847, 23—28 quae in hoc a ceteris recedunt quod et brevi prooemio instructa et uberiori partim sermone exposita sunt, argumento tamen ad philosophum nihil faciente aeque damnantur, *προβλήματα Δημοκρίτεια* II (*ἰατρικὰ προβλήματα* vit. Nunn. 15. Wenr. 154, de quibus infra). Cf. Theophrastea D. L. 5, 45. Problematis similes sunt rerum logicarum illae in usus dialecticos (cf. Ar. Top. 105, 21) ex Aristotelis libris factae auctaeque ipsiusque verbis (Top. 1, 13. 14) excitatae collectiones quae sive *θέσεις* inscribuntur (cf. Ar. Top. 1, 10—11) de ethicis et politicis, de physicis et logicis agentes (D. L. 5, 24. cf. Alex. in Top. p. 45), sive quod idem fere (Ar. Top. 1, 4. 10. 14) *προτάσεις* (D. L. 5, 23. 24. Dschem. W. 155 sq. cf. Theophr. D. L. 5, 45) sive *ἐνστάσεις* (D. L. 5, 23. cf. Top. 2, 2. 110, 11. Top. 8, 10. An. pr. 2, 26. Theophr. D. L. 5, 43) et *ἐπιχειρήματα* (cf. D. L. 5, 24. Dschem. W. 152. *ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν λογικῶν ἐπιχειρημάτων* cit. Philopon. Anal. post. 227, 46. cf. 18 libros Theophrasti D. L.

5, 43. cf. 5, 49. Alexand. in Top. p. 16. Sch. 254 b 10. de argumento cf. Arist. Top. III—VII. p. 155, 37. 2, 4 sqq.), sive λύσεις (cf. Heraclid. D. L. 5, 88 etc.), διαιρέσεις et ὑπομνήματα sc. logica sive ἐπιχειρηματικὰ (D. L. 5, 23. cf. An.) ab historicis diversa, in quibus dicit Simplicius (e Porphyrio) sicut ἐν τοῖς μεθοδικοῖς καὶ ἐν ταῖς διαιρέσεσι categorias recenseri (in Categ. 47 b 40. 41. Dexipp. 48, 46). Διαιρέσεων vero scriptio in schola tunc maxime Platonis frequens erat hoc ipso Aristotelis tempore dialecticis studiis i. e. definitionibus et divisionibus ex more Platonis vigente nec fere minus post Aristotelem quam ipsi Peripatetici θέσεων fama celebri (cf. Xenocratis θέσεων βιβλία κ', στίχων μ,γ. Plut. de Alex. fort. 1, 4 etc. inter antiquos enim non minus insignis dialecticus habebatur Xenocrates, in quem adeo multi libri dialectici quod ex ipso Diogenis indice elucet aliorum Academicorum referrentur, quam postea Clitomachus D. L. prooem. 19. 18, de quo tamen quae disputavit Lehrsch Sprachphil. d. Alt. II, 46—55 ea prave iudicata sunt: non enim magis novae sectae auctor fuit quam Arcesilaus et Lacydes). Memorat Diogenes Speusippi διαιρέσεις (4, 5. cf. Pseudoplat. ep. 13) et Xenocratis (4, 13. cf. eiusdem λύσεις et XV libros τῆς περὶ τὸ διαλέγεσθαι πραγματείας, item VIII τῶν περὶ τὴν διάνοιαν): quo pertinent etiam Speusippi ὅμοια decem libris exposita (D. L. 4, 5) — si quidem fuere ipsius revera Speusippi neque potius ut quis suspicari posset post Aristotelis demum historiam animalium cum qua componuntur Athen. 7, 300 edita sunt (cf. Athen. 3, 105) sicut anonymi medici libri de diaeta (cf. lib. II in Hipp. ed. Kühn. p. 680—83) — in quorum secundo (nam Athen. 4, 133 pro ἐν δ' corrigendum est ἐν β') quae similes essent plantae (Athen. 2, 61. 68. 9, 369), quae animalia (3, 86. 105. 7, 327. 308. 313. 319. 323. 329) dignoscebat diversa secernens (cf. 7, 303). Ad quos aliosque Platonicorum libros dialogo scriptos (cf. D. 4, 5 de Speusippo cuius erant praeter ὁμοίων dialogos vel ὑπομνηματικοὶ διάλογοι) et ita quidem ut in eo ipse ut par est dissereret Plato quasi quibusdam ἀγράφοις συνουσίαις sive δόγμασιν (Ar. Phys. 4, 2. 209 b 14), referendae sunt et priorum illae definitiones quibus identidem quum alibi tum in Topicis Aristoteles utitur et sine auctorum nomine et nomine Platonis apposito, velut Top. 6, 10 Πλάτων ἐν τοῖς τῶν ζώων ὁρισμοῖς (de definitione hominis, cf. 6, 6. 144 b 33, quae saepe ab ipso Platone exempli causa exhibetur, cf. etiam Sophist. 220. Tim. 90—92)

et Metaph. 1, 9, ubi memoratur Platonis i. e. Platonicorum — saepissime enim in Metaphysicis Plato est pro Platonicis — definitio puncti mathematici (cf. *φασί* de eadem sententia iam Top. 1, 18. 108b 30. et sane illam linearum insecabilium sententiam non Platonis iam fuisse sed Platonicorum magistri doctrinam de triangulis primitivis subtilius excolentium et maxime Xenocratis, et rei ratio docet et ipsa Platonis in Timaeo verba p. 53d. cf. Alexand. et Porphyr. ap. Simpl. in Phys. f. 30, Schol. Brand. p. 333 sq. etc.), cf. Metaph. 4, 11 qui locus minime ad Timaeum solum (Bonitz Comm. p. 251) spectat, et referendae sunt sicut simili ratione post ipsius Platonis citatam sententiam *τὰ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας λεγόμενα* Platonis sive Platonicorum libri de philosophia sc. Platonis (cf. D. L. 4, 4. 13 etc.) ita *αἱ γεγραμμέναι διαιρέσεις* (de part. an. 1, 2), de quibus quae dicit Platonicorum illam in duo dividendi et definiendi methodum aggressus (de part. an. 1, 2 sqq. Anal. post. 2, 5. cf. Platon. Sophist. 219 sqq. et 235. 264. 266. 267) ad Speusippi illa *ὅμοια* et id genus libros (ita etiam in libro de vita Platonis narrabat Xenocrates Platonis divisiones sua quidem ratione explicatas, ut certa in hoc loco Timaei comparatio docet, v. fr. ap. Simpl. in Phys. Sch. 427, 16) optime quadrant. Quae vero ab Arist. de gen. et corr. 2, 3 citantur (*καθάπερ Πλ. ἐν ταῖς διαιρέσεσιν*), ea ad *διαιρέσεις* illas apud veteres omnes clarissimas (cf. Sext. Emp. p. 669) animae et elementorum in Timaeo factas manifeste spectant (cf. Trendelenburg de id. p. 19 sq.). Ipsius denique Aristotelis (secundum Diogenem) librum *Πλάτωνος διαιρέσεις* simili titulo inscriptum (cf. *Πλάτωνος ὅροι* Platonici cuiusdam sectas miscentis et qui ab ipso Arist. citantur Top. 6, 10 Dionysii Platonici cuiusdam *ὅροι*, cf. Dionys. sophist. ap. Pseudarist. Physiogn. 808, 16 et ex Eudemo apud Rufum citatus p. 31 ed. Paris. 1554) spurium esse vidit Alexander (ap. Philopon. in Ar. de gen. et corr. l. l., vers. lat. Bagolini Ven. 1568 p. 66b. *Ἀριστοτέλους διαιρέσεις* in cod. S. Marci 257 eaedem videntur quas verbis paullo mutatis exhibet Diogenes, cf. animae divisionis exemplum apud Villoison Anecd. II p. 254 cum D. L. 3, 90). Similem his modo recensitis commentariorum indolem studiumque omnia rei momenta modosque subtilius etiam distinguendi et colligendi gessisse, ut ex quarto Metaphysicorum coniicias *περὶ τῶν πολλαχῶς* fortuita illa plane et incondita collectione, ii libri videntur qui singularum dialecticae partium locorumque quasi quasdam

Aristotele excerpto et retractato monographias continerent discipulorum more, cuius rei exempla habes praeter titulos a Diogene citatos Stratonis illud *περὶ τοῦ προτέρου καὶ ὑστέρου* in quo *πολλοὺς ἀπηριθμήσατο τρόπους* (Simpl. in Cat. Sch. 90, 13. 89, 39), Theophrasti *περὶ καταφάσεως καὶ ἀποφάσεως* Alex. in Top. 277 b 36. An. pr. 144 b 32. D. L. 5, 44 et *περὶ τῶν πολλαχῶς* qui liber dialecticus (cf. Ar. Top. 1, 15 et Categorias, Alex. in Top. 261, 22) in indice Diogenis inter Theophrastea non memoratus idem videtur esse cum eo quem Aristoteli dat ille (5, 23) eodem ut alter titulus docet in argumento versantem (*περὶ τῶν κατὰ πρόσθεσιν λεγομένων* i. e. *καὶ μὴ ἁπλῶς*, nisi potius est *περὶ τῶν κατὰ πρόσθεσιν* — cf. Walther Burley de vit. phil. c. 53 „de hiis quae multipliciter dicuntur vel secundum additionem" — *πολλαχῶς λεγομένων καὶ μὴ καθ' ὁμωνυμίαν* cf. Top. 2, 3. 110b 16 sqq. 2, 11 de quibus Theophrasteum quoque libellum egisse Alexandri citationes docere videntur Sch. 266b 14. 284, 28 ad Top. 110b 28. 130, 8) et a Metaph. IV cum quo conferri solet (vel a Bonitz. Comm. p. 6) sine dubio diversum. Ita et Aristoteli ipsi falso adscripti sunt praeter propositionum et argumentorum collectiones libri *περὶ τῶν προβλημάτων* (D. L. 5, 23. An. cf. Alex. in Top. 258, 21) et *τὰ πρὸ τῶν τόπων* (cf. D. L. 5, 49) sc. divisiones *περὶ τῶν ποσαχῶς* sive categoriae quarum quae in dialectica fuerit ratio docet Top. 1, 8—9 et quae ex Theophrasti et Eudemi *περὶ λέξεως* libris citantur (Brand. Rh. Mus. vet. I, 4 p. 271 sq.), cuius libri secundum Aristotelis sententiam comprehendentis et categorias quibus per decem summa genera descriptis omnes homonymorum omnium modos contineri docet et *τὰ ἐναντία* ultimam hanc partem separatim exequebatur liber *περὶ τῶν ἀντικειμένων* (*περὶ ἐναντίων* D. L. 5, 22. cf. W. 143?) Porphyrio (Simpl. in Cat. 83, 14) Jamblicho (ib. 88, 29) et Simplicio lectus qui hac doctrina minutius etiam exculta et subtilius divisa (cf. 83, 25. b27. 84, 2. 6. 86b 42. 88b 5) et magno *ἀποριῶν* acervo congesto (83, 19. quarum exempla ponit Simpl. 83, 25—33. 84, 29) vel categoriarum libro manifesto posterior ad Stoicorum et Chrysippi tempora et in his rebus subtilitatem accedit. His ex indicibus addendi sunt libri *περὶ τοῦ αἱρετοῦ καὶ τοῦ συμβεβηκότος* (?), *περὶ εἰδῶν καὶ γενῶν* (?), *περὶ ἰδίων* (cf. W. Burley l. c. de genere specie et proprio I), *ὅροι πρὸ τῶν τοπικῶν* VII, *ὁρισμοί, τόποι πρὸς τοὺς ὅρους* II, *περὶ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως*: quorum neque hos duos neque

ceteros ulla idonea est causa cur eosdem putemus cum Aristotelis qui idem argumentum tractant Topicorum sexto et octavo (Brandis, Aristoteles I, 79. 88) quum potius omnium quos recensui occasionem tantum argumentique rationem praebuerint Topica horumque quo universus dialecticae ambitus describitur liber primus. Etenim quum omnes disputationes fiant ex propositionibus, quae secundum quod varie enunciantur aut *προτάσεις* dicuntur aut *προβλήματα* aut *θέσεις*, propositiones vero sive quidquid aliquis de quadam re aut circa rem in disputando proponit significet eius rei aut *ὅρον* aut *ἴδιον* aut *γένος* aut *συμβεβηκός*, porro verba quibus horum quatuor unum semper praedicetur pluribus modis possint intelligi secundum decem praedicabilium genera et quasi *ὁμωνυμίας* modos, quum igitur ut ad quatuor illa evertenda falsasque propositiones refutandas *τόπους* et *ἐπιχειρήματα* inveniat, quorum modos quidem dicit Top. II, ipsa vero Top. III—VI (Top. III *τόποι πρὸς τὸ συμβεβηκὸς*, IV *τόποι πρὸς τὸ γένος*, V *τόποι πρὸς τὸ ἴδιον*, VI *τόποι πρὸς τοὺς ὅρους*), bene gnarus esse debeat dialecticus et similia cognoscendi et secernendi diversa omninoque intelligendi sagax quot quid modis categoriisve dicatur (*ποσαχῶς ἕκαστον λέγεται*) sive quia *ὁμώνυμον* est aut *τὸ προκείμενον* aut quod eius est contrarium sive alio modo (cf. 2, 3), ipse ita Aristoteles librorum a discipulis editorum rationes quasi dertermınavit, qui aut materiam disserendi colligerent aut contra eam *ἐπιχειρήματα*. Atque hi quidem sunt isti *ἄλλοι βίβλοι* quos *περὶ τῆς διαλεκτικῆς* edidisse Aristotelem tangit Alexander in Top. 252, 8 similique ratione qua ipsi ad dialecticam ita ad analyticam (cf. analytica illa multa Theophrasti, Brandis Rh. Mus. I, 4 p. 267 sq.) pertinent *συλλογισμοί* (D. L. 5, 23), ad rhetoricam *ἐνθυμήματα* (5, 24), ad physicam *ἀνατομαί* (5, 25) etc.

Jam si quae huc usque memoravi aliis auctoribus adscribenda ea ut ex indice Aristotelico removeantur sufficit ipsa librorum compositio hypomnematica accedente quidem argumenti natura aut abhorrentis a philosopho eoque qui ab artium singularum peritis quorum experimentis et observationibus utitur philosophi tamen studia diligenter seiungat aut ut maxime in logicis bis tractati et ex ipso Aristotele repetiti, ita in iis libris quorum partim propter ipsam rerum naturam formam quae collectionis rationem negligentem referat non reprehendas, reprehendas vero quae hoc scribendi genus postularent atque progignerent ipsas res tractatas, partim

non offendente forma argumentum tamen in corpore disciplinarum philosophicarum Aristoteli omnino non habeatur, τὰ κατὰ τέχνην dico et genus universum et grammaticum et mathematicum (Metaph. 11, 8. 12, 2 sq. Anal. post. 1, 13), in his igitur considerandis satis est illud φορτικὸν τὸ ἐνδιατρίβειν, quod si non de logicis, non de physicis rebus in quarum minimis vilissimisque divina vestigia legit philosophus, at de omnibus valet quae non sunt ὄντα sed humanae mentis arbitriique inventiones. Nam Aristoteles certe si quis alius liberaliter eruditus bene novit poetas bene Homerum bene Homerica sophistarum studia (cf. Poet. max. c. 25. Rhetor. 3, 11 etc. et Homerum vocesque Homericas in physicis libris identidem citatas et explicatas velut in hist. anim. 519, 574 b, 575 b, 578 b, 606, 615 b, 618 b, 629 b) ita quidem ut vel quum Iliadis illud exemplar ἐκ τοῦ νάρθηκος (Plut. Alex. 8. Strabo XIII p. 101. Plin. 7, 30) quo usus esse in itineribus φιλόμηρος ὤν (Plut. de fort. Alex. 1, 4. 5. Strabo l. c.) Alexander dicebatur quaedam repperirent veteres Alexandrini habere σημειωθέντα id modo praeceptoris opi Aristotelis (Plut. Al. 8) coniectura in fabulam postea conversa (cf. vit. Nunn. p. 12) tribuerent, modo comitum doctorum Anaxarchi et Callisthenis quem item in libris intelligebant Homerum saepe tetigisse geographica maxime corrigere tentantem (cf. Strabon. XII, 16 et fr. 26—30, quae inter fragmenta historiae de Alexandro 19—38 quorum tamen tria tantum certa sunt sc. 25. 33. 37 posuit C. Müller in Scr. rer. Alex. Callisthenis nomini sine dubio antiquo ita tempore suppositae ut novissimo illa quam primus nunc edidit idem Müller: nam et ceteri comites seniores demum gesta Alexandri perscribebant nec verisimile est ita scripta fuisse eius quos fingunt commentarios quasi diurnos ut more omnino a veterum Graecorum litteratura alieno, licet idem postea de Thucydidis ultimo libro aliisque mutato hominum ingenio fingerent, post mortem edi potuerint, ipsa vero rhetorica indoles cum miraculorum et assentationis studio coniuncta quam monstrant fr. 25. 37 et praeterea fr. apud Strabon. XVII, 459 sicut e libris spuriis fr. 42. 43. 46, et Aristotelis amico (cf. Müll. p. 2—5) et libertate hominis ingenui et morte eius praeclara sit indigna: nihili enim sunt quae disputat Geier de histor. Alex. scriptor. p. 219 sqq.) — si igitur bene novit Homerum Aristoteles ut qui theoriam poeticam invenerit et argumentationis scenicae naturam philosophicam et dignitatem, tamen neque de Homero neque de fabulis scenicis neque omnino gram-

matica scripsit ille ἀφ' οὗ φασι τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν (ut ait Dio Chrys. p. 634 Emper.), contra multi in his rebus fuerunt discipuli velut Phanias Aristoxenus Dicaearchus (περὶ μουσικῶν ἀγώνων Müller hist. Gr. II fr. 33a. 37—50, περὶ Ἀλκαίου fr. 34—36) Heraclides (D. L. 5, 87. 88) cf. Plutarch. Non posse suav. viv. sec. Ep. 12, quum tamen veriores et qui maxime essent Peripatetici Theophrastus Eudemus Strato in physicis maxime praeter logica ethicaque versati eo similiores essent magistro. Falsa igitur sunt et Ὀλυμπιονῖκαι, qui praeter indices numquam disertis verbis citantur (cf. fr. 182—184 Müll.) ita ut quaecunque ad hoc opus nunc referuntur excepto Schol. ad Pind. Ol. 7, 1 ad alia quoque opera pertinere potuerint velut quae ad libros de poetis manifesto spectant ab Eratosthene in Olympionicis citata (D. L. 8, 51. cf. 74. 57), et Πυθιονῖκαι Plut. Sol. 11. Sch. Pind. 2, 87 (cf. Müller), Διδασκαλίαι Müller II p. 184 sq. huiusque generis alia a Diog. 5, 26 citata; praeterea quae spuria esse recte vidit Lehrs de Aristarcho p. 227 ἀπορήματα (sive quod idem est προβλήματα cf. Philop. vita Ar.) Ὁμηρικὰ vit. Nunn. p. 12. Wenrich p. 157 (cf. Heraclidis λύσεις Ὁμηρικαὶ cit. Schol. Il. 2, 649, Demetrius Phalereus D. L. 5, 81) quae ut cetera fere grammatica post Andronicum demum inclaruere (cf. Schol. e Tzetze duct. extr.) a Porphyrio saepissime usurpata in opere ζητήματα Ὁμηρικὰ inscripto ex quo quae in scholiis Homericis quaestionum solutionumque exempla leguntur ad unum omnia ducta sunt unaque Aristotelis fragmenta (ex operis praefatione fr. legitur Sch. Il. 10, 252. ex Porphyrio sua hausit de Arist. Diogenianus Sch. Il. 5, 576 = 2, 169), cf. indices in Schol. Od. ed. Buttmann. (et praeterea Schol. Od. Harl. in Cramer Anecd. Paris. III, 462, 7. 463, 22) et maxime Sch. Il. ed. Bekker. in quibus tamen neque a locis ex historia animalium ductis saepissime in scholiis citata (quaedam fortasse ex politiis ut Sch. Il. 16, 233. e peplo Sch. Od. 22, 9) satis haec sunt segregata neque ab iis non sane paucis ubi Aristoteles legitur pro Aristophane vel Aristarcho velut Sch. Il. 1, 303. 1, 481. 16, 283. — 11, 385. 21, 122. 4, 137 ap. Cramer T. III p. 9, 6 = Bekk. p. 127, 7 cf. Cram. 282, 25. — 11, 636 Cram. III, p. 16, 20 cf. Bekk. p. 325, 12. 14. 31. — Sch. Il. Bekk. 20, 252. 24, 340. — praeterea Cram. p. 162, 10. 204, 6. 209, 26. 291, 28. 27, 21 (ad Il. 21, 252, ab Arist. certe alienum cf. hist. an. 3, 9). — Cf. praeterea Phrynich. v. βασίλισσα p. 225 Lob. (inde Anecd. Bekk. I, p. 84, 26), Strabo XIII p. 108; incertus est

locus quem citat Fabricius Plutarchi de aud. poet. 12 qui potest spectare librum de divitiis. Homericis Anon. addit ἀπορήματα ex Hesiodo non solum sed Archilocho etiam Euripide Choerilo collecta (cf. Heraclid. D. L. 5, 87). In quibus omnibus eodem plane modo quo in ceteris problematum libris quaestioni propositae (Διὰ τί etc.) subiunguntur λύσεις sive una sive plures (ἢ ὅτι — ἢ ὅτι cf. Sch. Il. 2, 305. 3, 277). Ipsae vero quaestiones modo verba tangunt et sermonem poetae modo quae ad argumentum pertinent varia sive historica sive mythologica (cf. Sch. Od. 12, 129 de Solis gregibus interpretationem quae Stoicam aetatem sapit physicam), praecipue vero causas poeticas subtilius fere observatas quam solutas. Falsa deinde sunt mathematica (de quorum divisione et partibus cf. Arist. Metaph. 12, 3. Anal. post. 1, 13), velut quae maxime ad philosophiam accedunt (Metaph. 11, 8) astronomica, musica (cf. Anal. post. 1, 27) quae ad arithmeticam pertinent sicut ad geometriam optica et mechanica (An. post. 1, 13. cf. 1, 7. 9, 12. quatuor enim illae disciplinae mathematicae sunt Platonicorum cf. post Plat. Rempublicam Nicom. Isag. ar. p. 69 sqq. Geminus ap. Procl. in Euclid. p. 11 etc. etc.), de quibus cf. D. L. 5, 26 (24), David in Categ. 25, 35 et ibid. Simplic. f. 3; ubique enim Aristoteles ubi de harum artium principiis agit de singulis specialiter inquisituros mittit ad mathematicos, sicut eodem modo de medicis rebus et georgicis ad harum peritos.

Ad grammaticum quodammodo et philologum non vero, ad Aristotelem, qui ut principia ostendat sententias priorum in disciplinarum initiis primis lineis solet designare atque diiudicare huius ipsius generis litterarum historiae haud dubie inventor (nam vestigia tantum huius rationis sunt in Platonis Sophista et Phaedro), nondum tamen illius, id quod discipulorum erat ulterius iam procedentium, a disciplinae corporae solutae, ad recentiorem igitur auctorem grammaticis tamen illis quae modo recensui paullo priorem pertinent omnia quae historiam illustrant sive rhetoricae artis et poeticae sive philosophiae. Et primum quidem historia rhetorum (τεχνῶν συναγωγή D. L. 5, 24. Wenrich p. 146) quod opus quale describit Cicero (de invent. 2, 2. de orat. 2, 38. Brut. 12) simile fuit et certe coaevum illis quae discipulorum memorantur velut Theophrasti ἱστορία φυσική (περὶ φυσικῶν δοξῶν libri XVIII D. L. 5, 46. 48. cf. Plut. adv. Col. 14. D. L. 9, 22 Θ. ἐν τοῖς φυσικοῖς πάντων σχεδὸν ἐκτιθέμενος τὰ δόγματα. cf. 8, 48. 55. 9, 6) quam Sim-

plicius a physica disciplina *Φυσικὰ* inscripta (D. L. 5, 46) accurate seiungit (cf. in Phys. f. 33 = Sch. 335, 31. f. 25. *ἐν τῇ ἱστορίᾳ* f. 32 fin. cf. f. 6 etc.), eiusdem praeterea Theophrasti *ἀστρολογικὴ ἱστορία* et *ἀριθμητικὴ* (D. L. 5, 50) et *γεωμετρική* (5, 48) et *τῶν περὶ τὸ θεῖον ἱστορία* (D. L. 5, 48), quae tamen Eudemi librorum in similibus argumentis versantium (nisi forte iidem sunt varie inscripti) apud posteriores fama superantur et historiae geometricae (Simpl. in Phys. Sch. 327b 22 cf. 327, 36. 346b 31. Proclus in Euclid. p. 92 qui ex Eudemo sine dubio sumsit recensionem illam mathematicorum in Platonis discipulis et ante Euclidem citatum subsistentem p. 19 cf. 79. 87. 99. 109. scripsit praeterea Eud. librum *περὶ γωνίας* ib. p. 35) et astrologicae (Simpl. de coelo Sch. 498b 48 e Sosigene cf. 497, 11. D. L. 1, 23. Eud. *ἐν ταῖς ἀστρολογίαις* ap. Theon. Smyrn. astronom. p. 322—24 Mart.) et theologicae quali usus esse Posidonio ut credo tradente intelligitur Damascius de princip. p. 382. 383. 384. 385 (de Orphei theologia et Acusilai et Magorum — cf. D. L. prooem. 9 — nec non Sidoniorum et Aegyptiorum); Physica vero Eudemi Aristotelis rationem ut in omni tenore ita in historicis exponendis servant. Aristoxeni historiam harmonicam citat Plut. Mus. 16 (de Heraclide c. 3) cf. Aristox. harm. p. 2. 6. Nec magis Ciceronis de sermone illorum de artibus expositorum laudes Aristoteli favent numquam ea in Rhetoricis neque scripta neque scribenda memoranti quam aut Theophrasto similiter et ab eodem laudato aut ceteris discipulis. Ipsum vero talium librorum consilium quam diversum fuerit ab Aristotele, discas ex libri Theophrastei *περὶ αἰσθήσεων* (D. L. 5, 42) servato exemplo quem partem fuisse physicae historiae ne credas Schneidero. Rhetoricae accedit altera quae Aristoteli adscripta est poetarum historia (*περὶ ποιητῶν* sive *περὶ ποιητικῆς*, cf. Heraclidis dialogum *περὶ ποιητικῆς καὶ τῶν ποιητῶν* D. L. 5, 88) de poetarum vitis fabulas colligens studio quodam biographico Peripateticis apto et *βίων* scriptoribus easque vel ineptissimas velut famosam illam de Homero Plut. vit. Hom. 3 (cet. cf. locos a Müllero T. II p. 185—187 citatos) quem librum vel propter ipsam hanc fabularum curiositatem alieni esse auctoris suo iure contendit Nitzsch hist. Hom. II, 37. 42, frustra qui simile affert exemplum politiarum eodem potius iure condemnatarum Welckero (Ep. cycl. I, 158) repugnante. Ad idem denique genus pertinent et ille *περὶ φιλοσοφίας* i. e. (cf. Speusipp. D. L. 4, 4 et 9, 23) *περὶ φιλοσόφων* de quo infra dicendum,

et libri omnes peculiares ii quibus more Theophrasti (cuius duorum de Anaxagora librorum alterum citat Simpl. in Phys. Sch. 335 b, cf. ap. D. L. 5, 42. 43. 44. 47. 49 libellos de Anaximene Archelao Diogene Democrito Metrodoro Aeschylo Xenocrate) ipse quoque Aristoteles veterum philosophorum dogmata et explicasse et refutasse perhibetur utpote qui scripserit de Magis, de Alcmaeone, de Xenophane, Parmenide, Melisso, Zenone, de Gorgia, de Pythagoreis, de Platone, Speusippo, Xenocrate (cf. etiam de Democrito problemata); quum tamen philosophus si antiquos adhibet et breviter hoc facit nec historiae causa ut posteri sed ipsi philosophiae intentus (cf. Metaph. 1, 3. 983 b 4. Phys. 1, 2. 185, 18 — ἔχει γὰρ φιλοσοφίαν ἡ σκέψις), sparsa in illis quae foveat illustretque veritatis semina colligens principiaque consensu confirmans; de quo ipse dicit Metaph. 1, 10 (cf. 1, 7 in.) qui liber historiae philosophorum universae quaedam adumbratio huius litterarum generis apud posteros quasi initium fuit et primum exemplar.

Huius rationis specimina servata legimus tres libros de Xenophane, de Melisso, de Gorgia, nullo inter se nexu ut falso conclusit Mullach (in edit. Berol. 1845 praef. p. XV. Zeller 1, 135) coniunctos nec magis Theophrasto (Brandis Gesch. d. Phil. 1, 358) quam Aristoteli (Krische Forsch. 1, 89) ut recte iudicavit Th. Bergk tribuendos, ne ipsi quidem ut videtur Simplicio quibusque ille potissimum usus est Porphyrio et Jamblicho lectos, quum quae auctiora habet et ampliata auctor libri de Xenophane qui quidem secundum Theophrasti rationem et fortasse exemplum primi Eleatici doctrinam recentiorum formulis et dialecticorum loquela adulteravit (cf. Plut. ap. Euseb. p. e. 1, 8, 5), eadem ex Theophrasti physica historia (Simpl. in Phys. f. 6) quam ex hoc auctore qui ferebatur Aristoteles sumere maluerit Simplicius neque etiam alium librum singularem Aristoteli adscriptum πρὸς Παρμενίδην quem omittunt indices Jo. Philoponus nisi fama accepta cognoverit (in Phys. Sch. 331 b 1). De Xenophane hunc esse librum qui vulgo de Zenone inscribitur et ex sententiae tenore theologico, propter quem ad theologicam potius historiam quam ad physicam pertinere Xenophanis doctrinae expositionem quam in hoc tamen physicae historiae loco instituit Theophrastus excusans dixit (cf. Zeller 1, 137 not.), et ex ipsius auctoris verbis sequitur Zenonis doctrinam ab ea quam initio proposuit diserte discernentis p. 979, 5 (quae corrupta male intellexit Zeller 1, 135 not.) cf. Mullach p. 61. Sicut vero quae de Xenophane

tradidit auctor ab Aristotelis narratione et sententia (Metaph. 1, 5) satis magno distant litterarum et philosophiae antiquae magis explicatae intervallo, ita libri de Melisso auctor, licet vix opus sit ipsa horum librorum natura rem conficiente externa addere argumenta, et in Anaximandri sententia explicanda diversus est ab Aristotele — nam quod illius rerum omnium elementum et principium dicit Aristoteles fuisse *τὸ ἄπειρον* („das abstractum der materie" Zeller 1, 83. rectius cautiusque cum Schleiermachero Werke III, 2, 176. 189 „ein bestimmungsloses" Brandis 1, 128), hoc ille aquam p. 975 b 24 (ed. Mullach p. 22): *ἔτι δὲ οὐδὲν κωλύει μίαν τινὰ οὖσαν τὸ πᾶν μορφὴν, ὡς καὶ ὁ Ἀναξίμανδρος καὶ ὁ Ἀναξιμένης λέγουσιν ὁ μὲν ὕδωρ εἶναι φάμενος τὸ πᾶν ὁ δὲ ὁ Ἀναξιμένης ἀέρα,* quem locum ab omnibus historiae philosophicae auctoribus praetermissum esse miror — et ipsum Aristotelem significare videtur dicens *ὡς καὶ τὸν Ἀναξαγόραν φασί τινες λέγειν ἐξ ἀεὶ ὄντων καὶ ἀπείρων τὰ γιγνόμενα γίγνεσθαι* (sc. *συνθέσει,* p. 975 b 18 cf. Arist. Phys. 1, 4. 187 b 26 sqq.). Attamen quod ad primum pertinet, satis manifestum est illud Aristotelis sententiam definire potius quam mutare. Non enim id voluit Aristoteles *τὸ ἄπειρον* simpliciter ita dictum Anaximandri esse principium, ex antiquissimi primique philosophi cosmogonia cuius placita ex parte in antiquiorem et fabulosum Thaletem, quem primum philosophum iniuria fecit antiquitas (cf. Theophr. Simpl. in Phys. f. 6) — cur enim non aut Hesiodum aut septem sapientum quemvis? — et de quo quia nil scripsit licet multis mox et libris donatus (D. L. 1, 23. Simplic. l. c.) fuerit et inventionibus mathematicis (iam Eudemi tempore sec. Procl. in Eucl. p. 79. 92) nil omnino ne ab Aristotele quidem certo traditur, translata esse par est praesertim quum sermonis genere poetico (Simpl. f. 6) theologis veteribus quibus proxime coniungitur ab ipso Aristotele Meteor. 2, 1 videatur fuisse simillimus, ex huius igitur cosmogonia non satis certo ille concludens qualis esset quasi Chaos illud primarium et sine fine omnia comprehendens. Non igitur *τὸ ἄπειρον* principium esse dixit Anaximander, sed ut omnes physici veteres qui unum sumunt ex quo omnia principium aeternum et divinum, prout eorum mentem Aristoteles explicat 203 b 7—15 (qui quae de infinito principio demonstrando profert ex ipsa illa notione non vero ex scriptis auctorum disputat 203 b 15 sqq.) de coelo 3, 5 in. de gen. et corr. 332, 26, *ἀεὶ ὑποτιθέασιν ἑτέραν τινὰ φύσιν*

τῷ ἀπείρῳ τῶν λεγομένων στοιχείων (203, 16) sive aquam ut Thales aliique sive aerem ut Anaximenes, ita Anaximandrum rerum generationem describentem sive ἔκκρισιν hanc logice dicis contrariorum sive physice magis μανώσει et πυκνώσει factam — utrumque enim re vera his antiquis idem est — σῶμά τι αἴσθητον ἄπειρον subiecisse et ipsum intelligebat, licet numquam eum huius opinionis diserte auctorem praedicet omnino eum negligens (cf. Phys. 1, 2. 184b 17) ut rudiorem. Quod tamen infinitum quid esset neque ipse definivit Anaximander poetica obscuritate usus nec ceteri (cf. Movers Phönic. I, 268 sqq. etc.) qui umquam fuere theologi et cosmogoniarum auctores, velut apud Graecos et veteres ut Hesiodus quosque Eudemus recenset et recentiores Asiaticis opinionibus aucti ut Orpheus Alexandrinus et Pherecydes, quibus ex primitiva caligine quasi ex quadam prima materia quae aereae simul naturae est et humidae et aether sive aer et terra mareque gignuntur ita ut varie posteri modo hoc modo illud urgentes certaque principia quaerere docti (cf. D. L. 9, 2) rerum apud eos primordia interpretentur. Itaque sicut erant qui Hesiodi χάος (sec. Zenonem, cf. Krische Forsch. 1, 395) et Pherecydis dicerent aquam (Achill. Tat. Isag. in Arat. p. 83, cf. de Pherecydis terra Sext. Emp. p. 126, de Orpheo Lobeck Agl. I, 472. 485. 487), ita Anaximandri primum illud cuius

οὐδέ τι πεῖρας ἔην οὐ πυθμὴν οὐδέ τις ἕδρη,

a quo initium faciebat narrans ille

ὡς οὐρανὸς ἐς πέρας ἦλθεν (Orph. Argon. 422)

quomodoque rebus Ζεὺς πέρας διδοῖ (Pherecyd. Alex. ap. D. L. 1, 119: ita enim licet contra sentiat Preller Rhein. Mus. 1846 p. 379 legendum, non γέρας), illud igitur ita interpretatur Aristoteles ut fuerit (non enim mihi persuasit suam sententiam Schleiermacher in nota illa de Anaximandro dissertatione, Werke 3, 2, 173—183, cf. 152. 156) μεταξὺ quoddam neque aer neque aqua igne tamen densius, sive inter aquam et aerem id putes medium quid (Phys. 3, 4. 203, 18. 303b 12) sive inter aerem et ignem (Met. 1, 7. 988, 30. cf. 328b 35 et ubi utrumque 332, 21), id est sive aquae propius sive aeri, sive potius quum nullum ex tribus elementis ipsum fuerit παρὰ τὰ στοιχεῖα quoddam (204b 25. 332, 20), quod Aristotelem secuti non διορίσαι Anaximandrum dicunt Theophrast. ap. Simpl. in Phys. f. 33. D. L. 2, 1. Plac. phil. 1, 3. Porphyr. ap. Simpl. in Phys. f. 32, ut idem de Hippone Alex.

in Metaph. p. 21, 17. Manifestum inde est ἄπειρον illud physici Jonici parum diversum fuisse ab eo quod ponebant Thales et Anaximenes, et Thales quidem eodem fere modo poetico et populari, Anaximenes vero Anaximandri doctrina certius et clarius definita aerem illud declarans ex quo omnia nascerentur principiumque ita philosophicum primus statuens primus revera philosophus. Nec si quando de physico quodam dicit Aristoteles qui unum illud sicut alii amorem, aerem, simpliciter habuerit τὸ ἄπειρον (Metaph. 1053b 16) aliud dicit nisi eum fuisse auctorem qui ἄπειρον illud unum quod sumebant Jonici physici non accuratius definierit atque igitur simpliciter τὸ ἄπειρον sumsisse putandus sit. Quod si aerem esse explicabat Anaximenes, si alii posteriores et de Thalete et de Anaximandro aquam fuisse statuebant, ita ipse alio loco Aristoteles τὸ πρῶτον ὑγρόν (Meteor. 2, 1 ubi primos physicos Thaletem et maxime Anaximandrum intelligendos esse ex iis quae de theologis praecedunt, cf. Meteor. 2, 3. 347b, et ex Pseudoplutarchi testimonio sequitur), id quod ex Aristotele sumsit Plut. pl. ph. 3, 16 et ex alio antiquo fonte idem 5, 19. Hermias irris. gent. c. 4. Plut. Sympos. 8, 8 cf. Plut. ap. Eus. 1, 8. Orig. phil. p. 11 Mill. Censorin. c. 4, ita ut ex Anaximandri ratione petita videantur quae Thaletis sententiae argumenta (Brandis 1, 114) fingebant veteres; idem denique diserte aquam dicit libri de Melisso auctor Peripateticus. Nihil igitur ad Anaximandrum pertinet τὸ ἄπειρον, neque magis ἀρχῆς vocabulum quod tamquam primo qui philosophus i. e. qui ex uno omnia repetens cosmogoniam physice primus, non theologice descripserit Simplicius ei tribuit f. 6. 32b, nihil deinde contrariorum secretio et potentiarum elementariarum nomina (Simpl. f. 32b. Schleierm. p. 189. cf. Plut. Eus. 1, 8) quae Platonis sunt et Aristotelis et post eos ad veteres illos interpretandos translata, a Parmenide et qui ipsa tantum elementorum quatuor nomina habet Empedocle aeque aliena (cf. de Parmenide interpolato Simpl. f. 7b. Karsten p. 131. Stob. Ecl. 1, 482. Emp. ap. Karst. 341. cf. de Anaximene Brand. 1, 145), nihil ἄπειροι κόσμοι (Ar. Phys. 8, 1. Brand. 1, 135) qui ex ipso rerum propter infinitum principium (ἄπειρα αἴτια) numero infinito mera ipsius Aristotelis coniectura effecti (cf. de Metrodoro Plut. pl. ph. 1, 5) — etenim principio infinito mundus infinitus est, mundus vero infinitus et mundi infiniti idem est — in Epicuri deinde sententiam transierunt (D. L. 10, 45. cf. Alex. qu. nat. p. 199), nihil denique mundi totius certis intervallis

conclusa consummatio sive conflagratio, quae ex ipso aeterno rerum ex una substantia generatarum et rursus singularum quasi vita peracta corruptarum motu omnibus physicis communi efficiebatur (cf. Anaxim. ap. Simpl. f. 6, quae verba recte auctor explicat quem sequitur D. L. 2, 1) a vetustissima cogitandi ratione plane aliena nec solum ab Anaximene (Zeller 1, 86) et Diogene (ex cuius ipso loco ap. Simpl. f. 6. Schleierm. p. 158 male concluserunt interpretes, cf. Simpl. f. 257b. Zeller 1, 95. Brand. 1, 288), sed ab Heraclito de quo praeclare sensit Schleiermacher iniuste a recentioribus omnibus reprehensus (Brand. 1, 178 sqq. Zeller 1, 156. Bernays Heraclitea 1848 p. 7. Rhein. Mus. 1850 p. 107 sq.) — una enim rerum divina et ignea substantia rerumque mens sibi ipsi in aeternum est contraria (cf. Orig. 283) et differentiae quam ipsa genuit aeterna harmonia — nec nova fragmenta illa apud Pseudoriginem p. 283 Mill. repugnant nec Aristoteles qui ipsa haec verba (*τὰ δὲ πάντα οἰακίζει κεραυνὸς* et ibid. *πάντα γάρ φησι τὸ πῦρ ἐπελθὸν κρινεῖ καὶ καταλήψεται*) manifesto spectat (Phys. 3, 5 *ἅπαντα γίνεσθαί ποτε πῦρ*), licet auctor illa explicans errare maluerit cum Aristotele et qui huius auctoritatem secuti sunt Stoicis Empedoclem et Heraclitum falso intellectos cum Platonis anno magno male coniungentibus non sine vi quadam et momento sapientiae Asiaticae, a cuius tamen fabulis (cf. quae Sibyllina clamitant e Chaldaeis ducta et quae Sibyllinis his simillima a Stoicis aliena sunt Senecae — qui astrologis usus est cf. qu. nat. 7, 4 et ipso Beroso — verba qu. nat. 3, 27. Cons. ad Marc. 26, 6) a Christianis postea usurpatis (de quibus cf. Simpl. in Phys. f. 258, de Coelo Sch. 488, 45) longe distat etiam Stoicorum sententia. Plane eadem erroris ratione qua omnium rerum mutationem de omnium uno simul tempore id est mundi mutatione intellexerunt Aristoteles Empedoclem explicat (cf. 250b 26. 279b 14), de quo recte partim Zeller 1, 176 bene intelligens Empedoclis, qui de quatuor elementorum in quas *ἕν* illud divisum est quasi aequis partibus loquitur sicut de ente Parmenides, de conversione autem eorum secundum duas vias aeterne motorum sicut Heraclitus, illius igitur aeternam amoris et discordiae in mundo (una sc., cf. Emped. ap. Orig. p. 248 et 181 Mill.) regnantium vicissitudinem niti eorum versuum (v. 88—123) interpretatione quos nunc quoque ad singulares tantum res generationisque spectare imaginem intelligamus (v. 140 sq. 171. 180. 152. 162. 142: *εἰς ἕνα κόσμον* i. e. in unum ordinem —

Anaxag. fr. 11 — ut recte Panzerbieter p. 22 cf. etiam Karsten p. 382 sq.); alii autem versus quibus nimium tribuunt Zeller 1, 177. Panzerbieter Zur erklärung des Emp. Meining. 1844 p. 23. 29 cosmogoniae explicatae formam exhibent poetice ornatam (cf. Simpl. Sch. 488b 40. Zeller 1, 232) et symbolicam primae philosophiae et vel Platoni scienti tamen huic et volenti propriam, et mundi discordiae ope amori reagenti itaque nunc omnes res formanti se adiungentis et elementorum inde natorum mixtionis primam ex omnium quae initio fuit et ante mundum unitate (*σφαῖρος* v. 60, unde Neoplatonicorum ille *κόσμος νοητός* Karst. 369 sqq., est conglobatio cf. 364—77 de regno amoris et rerum immortalium in mundo recens creato et iuveni, cf. Lucret. II, 1150 sqq.) semel factam generationem (cf. v. 67 de quo falsus Karsten p. 363 sq. et v. 165—181. Arist. 279b 12), nec illud *ἀμοιβαῖος* plures potius significat vicissitudines (Zeller l. c., Panz. p. 28) quam hanc unam quae in vicem sphaeri succedit mundi formationem. Rectius Empedoclis aeternam elementorum tantum *σύγκρισιν καὶ διάκρισιν* intelligere videtur auctor de Melisso 976b 23 sqq. 975b 1 sqq. (cf. de Democrito 975b 29 de quo loco alibi dicendum erit), ceterum quidem ille quae eadem magister in Phys. uberius et ex ampliori nexu rerum refutavit dialecticis solis argumentis ex ipsa sententia auctoris, non ex vera notione petitis refellere contentus nec solum omni sermonis genere ab Aristotele satis recedens, sed etiam iudicii eius alacritate et audaci concinnaque certitudine longe superatus, ea tamen ipsa ingenii quadam tarditate in enuntiandis priorum philosophorum placitis accuratior.

Quid vero quod ne verisimile quidem est neque de eo cuius in physicis et metaphysicis ne tetigerit quidem unquam sententiam Gorgiam dico, de eo peculiari libello scripsisse Aristotelem neque ipsum Gorgiam talem omnino librum edidisse, qui si quidem ex Platonis dialogis (cf. Arist. Pol. 1, 13) iudicas rhetor totus fuit, licet praeter ethicas sententias in physicis quoque quaestionibus et quidem Empedoclis popularis sui ut par erat doctrina versatus (Theophr. de igne 73, Plat. Menon. 76) de quibus si omnino dixit memoraverit passim in declamationibus cf. Cic. de or. 3, 32 — coloris tamen illa in Menone definitio Socratis est i. e. Platonis, cf. Tim. 67 sq. Theophr. de sensu 91, non Gorgiae (Foss de Gorgia p. 13. 48) —, quem praeterea fuisse Empedoclis discipulum ex hoc demum Platonis loco a veteribus conclusum est, praesertim quum Aristotelem

audirent de Empedocle dicentem propter ipsum carminis cultum quendam studiumque rhetoricum (cuius documentum sit praeter prooemium locus de primaeva illa vita beata) primo quasi artis rhetoricae exemplo magistroque. Multi vero illi qui propter sermonis figurati ornatique studium quoddam ex coniectura non ut vult Frei Rhein. Mus. 1850 p. 537 sq. ex testimonio Gorgiae discipuli dicuntur et oratores clari et philosophi, velut Antisthenes (de quo erravit C. F. Hermann Gesamm. abhandl. p. 238) ceterique adeo Socratici Aeschines Xenophon et vel ipse Plato et Isocrates non philosophi putantur sed oratoris Gorgiae, qui a theoretica doctrina adeo alienus erat ut ne artem quidem sive praecepta rhetorica scripsisse putandus sit (Welcker Kl. schrift. II, 2, 456) neque si revera habuerit illam *τοῦ μηδὲν εἶναι* sententiam, id quod dicit Isocrates *π. ἀντιδόσ.* 268, libro illam singulari explicasse (potuit enim de hac thesi, velut Lycophron Arist. Phys. 1, 2, in declamatione quadam mentionem facere similiter atque Xenophanes Jon Epicharmus quos propter sapientiam in carminibus passim exhibitam fecerunt philosophos alienos libros eorum partim nomine inscribentes. quid quod Aeschyli et Euripidis et vel Homeri principia rerum ex versibus conclusa inter philosophorum sententias referunt Pythagoreum appellantes Aeschylum et Anaxagoreum Euripidem, cf. Sext. p. 539. Plac. ph. 1, 7. Stob. Ecl. I, 2. Cic. Tusc. 2, 10 etc.), nedum eo quem excerptum habemus et in libro de Gorgia et sermone plane renovato apud Sextum (citat eum *περὶ φύσεως* inscriptum et Galenus I, 487) qui Aristotelis librum non legisse intelligitur. Est enim lusus potius dialecticus et subtilis vel ultra Antisthenis (Ar. Metaph. 5, 29. cf. de Gorg. 980b 2) sententiam ille evolans (cf. ab Empedoclis amico maxime alienum locum de intelligendis rebus). Quae dialectica quum post Platonem maxime floreret ab iis quidem exculta qui ab ipsa Platonicorum sententia et disciplina ut omnes huius temporis sectae profecti (quod maxime in ethicis conspicitur cf. de Euclide D. L. 2, 106. Heraclid. ap. D. L. 2, 135) dialecticae tamen virtutis et eristicae a sophistis et ab ipso maxime Platone propagatae vel ludendo (cf. Plut. adv. Col. 32 sq.) famam sectarentur ipsas Platonis ideas ut Aristoteles disputatione evertentes (D. L. 2, 119. Polyxen. ex Phania ap. Alex. in Metaph. p. 62) — non enim illi in Platonis sophista *εἰδῶν φίλοι* neque Megarici intelligendi sunt (Zeller II, 107 sq. Hermann Ges. abh. 246 sq.) neque quod maxime alienum est Pythagorei

(Petersen ap. Zimmermann. Zeitschr. f. Alterthumsw. 1836 p. 892 sq. Mallet hist. de l'école de Mégare Paris 1845 p. LVIII) sed revera ipsi soli Eleatici (id quod in alio libro de Pythagoreis postea edendo amplius demonstravi) —, Alexini Eubulidis Menedemi Stilponis cuidam aequali illum etiam Gorgiae de natura libellum tribuas; cui tempori deberi videtur et Xeniadis Corinthii Diogenis patroni (D. L. 6, 73. 82 etc. cf. Arist. ap. Themist. Oratt. p. 295 Hard.?) liber dialecticus suppositusque (Sext. 201. cf. 60. 275. 277. 289) et alia id genus multa (veluti quam Anacharsidis ratiocinationem Sextus recitat p. 201 sq.), nisi forte ex Isocratis verbis iam huius tempore librum illum pseudogorgianum extitisse credas. Falsa multa Gorgiae tributa esse notum est nec absimili ab illius libri ratione procedit Palamedis apologia. Ceterum dirimere hanc quaestionem videtur ipse Aristoteles El. soph. 183 b 37, ubi quum eristicorum studia cum Gorgiae aliorum rhetoricis comparentur ab eristicorum igitur ratione hic secluditur. Sequitur ergo eximendum esse Gorgiam e philosophorum numero et historia, quod idem iudicandum est de plurimis istis quos sophistas nominare male consuevimus (cf. Grote hist. of Greece VIII, 434—544) praeter unum Protagoram Heracliteum (nihil enim huic cum Democrito commune esse nisi patriam aevumque recte demonstravit Frei Qu. Protag. 79 sq. 101—110), qui omnes ex universa litterarum Graecarum historia in historiam philosophiae eo tantum nomine recipiendi sunt et paucis commemorandi quod propter eruditionis doctae incrementa et dicendi disputandique artes et libertatem et Graecorum ingenia una cum florente democratia maxime promoverent et excolerent ita ut mox aetas ferre posset et Platonem quamvis horum ipsorum oratorum et dialecticorum et democratiae acerrimum inimicum et iniustissimum, et ipsum Aristotelem solidae veraeque eruditionis conditorem.

Ex hoc iam trium librorum servato exemplo non minus quam ex universa Aristotelis scriptione verisimile est ceteros quoque qui eiusdem sunt generis disciputi alicuius esse, non ipsius Aristotelis. Quorum quidem Archytea illa (et de philosophia Archytae libri tres D. L. cf. Wenr. 143 et huius operis ipsius sc. *τῶν Ἀρχυτείων* Aristotelis epitome D. L. 5, 25. Anon.), quum scripta iam tunc ut Gorgiae Leucippi et fortasse etiam Hippasi (Syrian in Met. 313, 5) aliorum ita Archytae extitisse ipso titulo significent, eo vero quod inde citat Damascius (*Α. ἐν τοῖς Ἀρχυτείοις* ap. Creuzer Meletem. I,

p. 105. Gruppe Archytas 79 sqq. in hac quidem re a Beckmanno p. 4 sq. frustra impugnatus) de Pythagora materiam appellantis ἄλλο „ὡς ῥευστὴν καὶ ἀεὶ ἄλλο καὶ ἄλλο γιγνόμενον", eo quam ipse Aristoteles dicit in Metaph. 13, 1. Bonitz Comm. 571 Platonicorum sententiam ad Pythagoreos eadem posteriorum plane more (cf. Plac. ph. 1, 9. Stob. I p. 318. 414. Alex. in Metaph. p. 777, 22 Bon.) ita referatur ut ipso Aristotele magis auctor platonizet in Pythagoreorum enarranda doctrina, quum denique quod ipse Aristoteles de Archyta in definiendo rudi prodit ita quidem et de hoc et omnino de Pythagoreis nec ille solum sed Theophrastus etiam et Eudemus, qui de mathematicis Pythagoreorum inventionibus nulla ut neque de Thaletis (ap. Procl. in Eucl. p. 79. 92) nisi famae auctoritate agit (ibid. p. 99. 109. 110. cf. Karsten Xenophan. p. 58) Platonisque aequalem Archytam dicit (Procl. p. 19. cf. Pseudodemosthen. Erot. 46 de cuius testimonii quod attulit Beckmann p. 18 auctorisque antiquitate Westermann in Qu. Demosthenicis II p. 82), mentionem iniiciens ut traditione sola usus esse non libris reperiatur [ἀπεδέχετο ὅρους Metaph. 7, 2. ἔφη Rhet. 3, 11. ἠρώτα Eudem. Phys. ap. Simpl. Sch. 363, 21. ποτ' ἔφη Theophr. Met. p. 312 Br., ἔλεγε Pseudarist. Probl. 16, 9 cf. Eudem. Simpl. Sch. 360, 12. numquam autem tamquam ex libro dicitur φησί. similiter de Hiceta Theophr. ap. Cic. Acad. pr. 2, 39 qui idem de illo dicit quod de Philolao alii cf. D. L. 8, 85, qui ipse Philolaus eo quod Thebis commoratus dicitur cum Lyside commutatur ob traditionis incertitudinem ex ipso librorum genuinorum et scriptae notitiae defectu ortam. de Philolao denique Eudemus Eth. 2, 8 ὥσπερ Φιλόλαος ἔφη. cf. etiam anonymi Pythagorei de tempore dictum — ἔλεγε — ap. Arist. Phys. 4, 13. Eudem. Phys. ap. Simpl. in Phys. f. 178b cf. 175. Xuthum tamen quo iure Pythagoreum velint interpretes Simpl. f. 160b. 161 nescitur], illud igitur adeo repugnet ut neque qui haec dixit Platonis licet familiaris disciplina usus esse (Beckm. 17 sq. 23 sq. cf. praesertim cum sententia Archytea de mundi ἀπειρία eodem plane argumento et fere etiam verbis utentes Epicureos ap. Alexandrum qu. nat. 3, 12 p. 194. 200. 202 sqq. Speng. cf. Lucret. 1, 968—83 duo praecipua eorum argumenta — de altero cf. Lucret. 1, 958—64. D. L. 9, 41 — studiose refellentem) nec qui fragmenta scripsit dicere illa potuisse intelligatur, nedum ipsum Aristotelem peculiari libello talem ornasse doctrinam credibile sit, illa igitur Archytea ab Aristotele facile

removentur. Neque vero magis quod identidem repetendum est Aristotelis ingenio consentire videtur fabulis illis operam impendere quibus de vita Pythagorae et Pythagoreorum moribus institutisque et sententiis tres eum refersisse libros perhibent historicorum fere modo velut Andronis Theopompi Timaei Aristoxeni (scripsisse praeterea de Pythagoreis dicuntur Speusippus et Zeno Stoicus D. L. 7, 4, ipse hic quodammodo pythagorissans cynicorum more D. L. 7, 13. 26. 27. 6, 105 cf. Pythagoreum illum Atheniensem Theocriti Id. 14, 5 de quo nihil quod traditum sit sciunt Scholl. ed. Dübner p. 85, 43): certe enim librorum illorum de Pythagoreis sive de placitis aut philosophia Pythagoreorum saepius a posterioribus citatorum (duorum et separatorum quidem sec. D. L. 5, 25. cf. *ἐν τῷ δευτέρῳ* Simpl. Sch. 492b 41. Anonymus unum tantum habet cf. Theon. *ἐν τῷ Πυθαγορικῷ* qui tamen manifesto idem opus Simplicio in duos divisum intelligit, cf. Wenr. p. 145 „de arte poetica — i. e. philosophia nescio quo Arabis errore male ita reddita — sec. Pythagorae eiusque sectatorum placita libri II") maxima pars fabulae erant et religiones atque symbola cf. Apollon. mir. 6, Jambl. v. P. 31 (cf. Aelian v. h. 4, 17), Porphyr. v. P. 41, Plut. ap. Gell. 4, 11, Alexand. Polyh. ap. Diog. L. 8, 19. 34 (ubi ineptum illud *ἐν τῷ περὶ κυάμων* iure correxit Cobet), Hieronym. adv. Rufin. 3, 10. p. 261; cetera vero quae de physicis et cosmicis placitis inde pauca referuntur ea fere sunt quae ex ipso Aristotele nota sint, quibus nova ex illo libro traditionem eandem quam Aristoteles sequente ut non voluerunt addere interpretes ita non potuerunt: id quod maxime patet in scholl. ad. Metaph. 1, 5 et 8, ubi quum Alexander bis citet Aristotelem p. 56, 10 et 31, 1 (ex Alex. Asclep. Sch. 543b 19) dicens (cf. Simplic. de Coelo Sch. 505, 23. 35 ubi v. 23 scribas *ἐν τῷ περὶ τῶν* pro *ἐν τῷ πέρατι τῶν Πυθαγορικῶν*) de decem corporibus mundanis et antichthone — de qua re quod ipse Aristoteles dicitur (Bonitz Comm. 79. Schwegler Comm. in T. 3, 47) citasse librum suum de Pythagoreis (p. 986, 12) id plane falsum est: solos enim libros de coelo significat, ubi 2, 13. 293, 20—b21 *ἀκριβέστερον* dicitur de iis quae decem faciunt (*προσεγλίχοντο* 986, 7 = 293, 26. 30. 33) mundi corporibus, de igne medio et terra altera — et de rerum numeris (*τῶν ἐν τῷ οὐρανῷ* 990, 20. 28 cf. 22 i. e. rerum sensibilium cf. 997, 6) illum ibi quoque memorasse, nihil tamen inde loci obscuritati adhibet: quae enim et ille et Asclepius de numerorum signis aliaque addunt ex

fontibus Platonicis hausta sunt. Isti etiam sunt Neoplatonici, antiquiores scil. quos Pythagoreos appellant, qui rectius veriusque quam ipse Aristoteles — hic enim secundum interpretum Platonicorum opinionem sexcenties repetitam *πανταχοῦ τὸ φαινόμενον ἐλέγχει καὶ οὐ τὴν διάνοιαν τῶν ἀρχαίων* Philopon. in Phys. Sch. 367b 31 — Pythagoricorum placita genuina explicantes (hic enim sensus est verborum Simplicii Sch. 505, 32 a Gruppio Kosm. syst. d. Gr. p. 129 corruptus; cf. de eadem re Asclep. Sch. 541b 2 „*οἱ γνήσιοι Πυθαγόρειοι*") ignem intelligerent ex Platonis placito de anima mundi, quam sibi arrogabant Pseudopythagorei velut Pseudophilolaus aliiqui (cf. Cic. de n. d. 1, 11, 27. Krische Forsch. 1, 78—85), interpretati in ipsa terra universi media vim quandam animalem, quae terra licet immota inter astra tamen et ipsa sit habenda utpote *ὄργανον χρόνου*, sicut Timaeum explicans Proclus dicit cf. Simpl. 505, 38 (quod ipsum de terra immota placitum Platonicum — sicut quae ex Timaeo de musica mundana multa variaque imitatione repetuntur vaga tantum similitudine a Pythagoreis concepta cf. Arist. de coelo 2, 9. Plato de Rep. p. 617. 530 — Pythagoreis a Platonicis falso tribuitur, cf. Alex. Polyh. D. L. 8, 25 sq. Theo de astr. 180 etc., a quibus vel illam de epicyclis theoriam Platone recentiorem facientibus Pythagoricam in errorem ducti sunt Martin Études sur le Timée II, 104—8 et Gruppe Kosm. syst. p. 51 sqq. 77), alteram vero terram esse lunam (= Sch. 504 b42 sqq.): quam ipsam de mundo sententiam Pythagoreis tribuisse Neoplatonicos Procli narratio ostendit in Tim. p. 154a. 42b Anon. v. P. ap. Phot. § 10. cf. etiam Theolog. arithm. p. 7 Ast. Ille vero de Pythagoreis auctor Aristoteli consentit: citat enim praeter Alexandrum Aristotelem de uno quod sit *ἀρτιοπέριττον* recentiori vocabulo et Philolaico et Aristoteli ignoto (cf. 986, 20) Theo Smyrnaeus arithm. ed. Gelder p. 30 (Arist. Metaph. 1, 5 quae eodem modo explicat Alex. p. 30, 17); de mundi regione dextrorsa et sinistrorsa — cetera enim Aristotelis interpretationi debentur — Simpl. de Coelo ex Alexandro Sch. 492, 26, ubi ipse auctor e peripatetica consuetudine ceteras illas addit *τοπικὰς ἐναντιώσεις*, omnes idem dyadas illas quas *ἀρχὰς* dicit Aristoteles *τὰς κατὰ συστοιχίαν λεγομένας* boni et mali categorias faciens secundum Aristotelis exemplum (Eth. 1, 4) ab omnibus Platonicis probatum, et Simpl. 492 b41, qui locus exemplo est eadem explicandi libertate contaminatam in hoc libro fuisse Pythagoricam sententiam quam Xenophanis in libro

de Xenophane (Arist. de coelo 2, 2. Boeckh Kosm. syst. des Plato 109 sqq. quae in hoc loco repugnantia videtur ex eo procedit quod superiori et inferiori mundi partibus ex sua sententia sumtis Pythagoricum illud dextri et sinistri discrimen, de quo solo dicebant, Ar. accommodat); de mundo et circa eum infinito Stob. Ecl. 1, 380 (Arist. Phys. 4, 6); de astrorum ordine et Jovis arce Simpl. de Coelo Sch. 505, 22 et 505, 35 (Ar. de coelo 2, 13). Quae eadem maxime res, scil. quod nihil fere continuisse videntur nisi quae ex ipso iam Aristotele satis nota essent, obiiciatur libris de ideis, de bono, de philosophia, Platonicorum doctrinam tranctantibus, neque vero etiam Pythagoreorum ut ex supposita Pythagoricae et Platonicae doctrinae similitudine dicere solent interpretes Neoplatonici (cf. Simpl. et Philop. ad Arist. de an. 1, 2), quos eodem plane modo post ipsius Alexandri licet cautioris exemplum in Metaphysicorum etiam explicatione versatos nunc demum Bonitz neque is tamen in omnibus quibus debuit locis correxit: quos ipsos non legisse libros illos ex Alexandro citantes, in ipso vero textu interpretando nihil aliud agentes quam quae ipse passim de ideis et numeris tradidit Aristoteles ea ut uberius subtiliusque ex sua mente explicarent, et manifestum est (cf. Brandis de perd. Ar. libris de id. et de bono p. 5. 47. Trendelenburg de id. p. 26 sqq.) dicitque diserte Schol. cod. reg. 788, 45. Neque vel ipse Alexander qui de ideis Phaniam etiam et Eudemum citat nova inde tradit, ipsa Aristotelis argumenta pluribus fere suisque verbis repetens nec fortasse maiore iure ea quae exponit p. 59, 8—17. 72, 15—73, 10 (Bonitz Comm. p. 112. Zeller II, 189 sq.) ex libris de ideis sumsisse putandus, quam ἔκθεσιν illam idearum neoplatonicam p. 91, 10 sqq. Ipse quidem illud significat Syrianus (in Metaph. extrem. κἀκεῖ — in libris sc. de ideis — τὰ αὐτὰ ἀνακυκλεῖ), duos fuisse de ideis libros testatus (ap. Brandis Sch. in Metaph. 302, 1 = 351, 24) Aristotelis contra Platonis ideas eadem quae et in Metaphysicis argumenta mere dialectica repetentes (cf. Schol. in Dionys. Thrac. ap. Bekker. Anecd. gr. II, 660, 32: περὶ ἰδεῶν ἃ πρὸς τὰς Πλάτωνος ἰδέας ἐστὶν αὐτῷ πεποιημένα. ex Syriano apud Alex. in Met. 63, 15 corrigendum est ἐν β' pro ἐν δ', praesertim quum in eadem re paullo ante p. 59, 7 primum, mox p. 73, 11. 157, 2 secundum is citet. cf. D. L. 5, 23 περὶ τῆς ἰδέας α'? Wenrich 144 „de ideis utrum existant nec ne libri III"). Ceterum περὶ εἰδῶν libros scripsere et Heraclides (D. L. 5, 88) et Speu-

sippus (ib. 4, 5) et Xenocrates (4, 12). In libris de bono (III sec. D. L. 5, 22. cf. Wenrich p. 143. vit. Nunn. p. 15), quibus compares eiusdem tituli libros Heraclidis D. L. 5, 87, Xenocratis 4, 13 et praeterea Speusippi (Sch. 334 b 29) Hestiaei aliorumque Platonicorum sec. Porphyr. comm. in Philebum (Simpl. in Phys. f. 104b. cf. Alex. ap. Simpl. f. 32. Sch. 334 b 28) ex quo Platonis dialogo discipulorum illae disputationes maxime ductae erant (cf. etiam quem ex Dercyllide citat Porph. ap. Simpl. f. 54 Sch. 344, 36 Hermodori de Platone librum) — in illis igitur de rerum principiis e mente Platonis historice egit, non critice (sc. de uno et indefinita dyade quae sint rerum principia Alex. Met. 42, 23. 63, 18; de rerum causis sec. Platonem materia et forma, reliquis duabus neglectis 45, 12; de dyade quae sit τὸ μέγα καὶ μικρόν Alex. ap. Simpl. Sch. 334 b 27. cf. 362, 10; de contrariis quorum quidem quum in hoc quoque libro animadverteret mentionem factam Alex. 206, 22 — καὶ ἐν τῷ β′ περὶ τἀγαθοῦ —, ἐκλογὴν illam quam ex libro Metaphysicorum deperdito περὶ τῶν ποσαχῶς Aristotelem citasse credo ad hunc librum falso retulit, cf. 588, 2. 616, 2. 669, 28. ex Alexandro eadem Asclepius Sch. 649, 41. Bonitz ad Metaph. p. 178 etc.), nihil tamen nisi quae ipse statuit Arist. Met. 1, 7 etc. ex iis allegans quippe nova non ferentibus: quo magis credo dialogum fuisse hunc librum et exotericum. Posteriores quidem interpretes Simplicius et Philoponus (non vero Alexander v. Sch. 371, 47 et Themistius Sch. 371 b 20 qui potius citat Xenocratis librum περὶ φύσεως saepius adhibitum, Aristotelis verba repetere satis ducentes) libros de bono ipsis non lectos spectare putant quae Platonis περὶ φιλοσοφίας dicta (de an. 1, 2. cf. Trendelenburg de id. p. 88 sq.) et ἄγραφα δόγματα (Phys. 4, 2. cf. Sch. 371 b 26. 372, 21) citat Aristoteles, licet idem Simplicius parum sibi constans similem Arist. locum Phys. 2, 2 (εἴρηται δ' ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας) ad Eth. Nic. coniectura referat (Sch. 349 b 13. Philop. ibid. 17. Bonitz in Met. p. 499 hic quoque libros de bono intelligit, cui non concedo), rectius Alexandro a libris de bono libros de philosophia (tres sec. D. L. 5, 22 et Dschem. W. 142. cf. Speusipp. D. L. 4, 4. Xenocr. 4, 13) distinguente: id quod Xenocratis etiam exemplo comprobatur et de ideis et de bono et de philosophia scribentis. Tractabat enim liber ille et ipse historicus de philosophia sive de rerum principiis priorum suasque sententias, — id quod ipse declarat titulus historiam philosophiae indicans, cf. Aristoclis librum apud

Eusebium pr. ev. 15, 1, Metrodori *περὶ φιλοσοφίας* ap. Plut. adv. Col. 33, Seleuci gramm. *π. φιλοσοφίας* D. L. 3, 109 etc. — et ita quidem ut primo libro antiquissimorum philosophorum poetarum sc. et theologorum velut Orphei (Philop. de an. f. 43. Cic. n. d. 1, 38, ubi Ciceronis illud „ferunt" non ex Aristotele est sed auctore eo quem exscribit) sententias exhiberet et Magorum Aegyptiorumque (D. L. prooem. 8), de quibus licet ipse Aristoteles Met. 13, 4. 1091 b 10 Magorum etiam sententiam tangat, uberius tamen enarrare et praesertim peculiari libro qualem inter pseudepigrapha index Hesychii refert *Μαγικὸν* Aristotelis (cf. Suid. s. Antisthenes et Plin. 30, 1 quem negligenter excerpsit Isidorus Orig. 8, 9, 1, quum quod de Hermippo dicit Plinius id Aristoteli tribuatur; cuius iterum Isidori verba ut solet Hrabanus Maurus repetit de Universo lib. 15, 4 ed. Colon. 1626 T. I p. 204) discipulorum erat, non Aristotelis; deinde Platonis, ut et ipsa res flagitat et locus Aristot. de Platonicis in l. de an. 1, 2 qui ansam fortasse dedit iis qui talem librum Aristoteli tribuerent, cf. Alex. in Metaphys. 86, 32 et ex Alex. Pseudoalexandrum in Metaph. 756, 17 idemque dicentem ad eundem locum (Met. 12, 9 in.) Syrianum ap. Brandis de perd. p. 47 *ἐν τῷ β' τῶν π. φιλ.* cf. vers. Bagolini p. 93 b „in his quae de philosophia Platonis"; tertio denique libro, cuius quo Platonico plane disserendi more immutabile esse *τὸ θεῖον* comprobatur fragmentum servavit Simplicius de coelo 487, 6—18 (ad Ar. 279, 30) id quod primus vidit Ravaisson Essai sur la métaphys. d'Arist. T. I p. 67 sq., hoc igitur suam ipsius et quidem eandem fere doctrinam (Cic. n. d. 1, 13) quam exponit Metaphysicorum liber XI, quem eundem cum Ciceronis tertio falso voluit Krische (Forsch. 1, 263—276). Dialogo scriptos fuisse libros Aristotelis qui dicebatur de philosophia significare videntur Ciceronis verba. Jam vero Aristoteles de talibus libris quum Metaphysica scriberet numquam cogitavit, qui potius in his ipsis Metaphysicis satis sibi visus est idearum doctrinam refutasse, adeo ut longiorem disputationem operae supervacaneae iudicaret (cf. Met. 13, 6 extr. 12, 5 extr. cf. de Pythagoreis 1, 9 init.). Quod vero asserit Philoponus (de an. f. 1) *ἔστι δὲ γνήσιον αὐτοῦ τὸ βιβλίον*, librum ille dicens de bono, id nihil nisi ipsorum iam veterum suspicionem declarans similiter atque Porphyrii de libris Pythagoricis verba (Porph. in Ptolem. harm. p. 236 Wall.) et de Aristotelis politiis Simplicii contrariam firmat opinionem. Qui vero restat *Πλατωνικὸς* citatus

Plutarcho adv. Col. 20 de Delphico illo *γνῶθι σαυτὸν* philosophiae Socraticae principio), is secundum Olympiodorum (in Gorg. ed. Alb. Jahn in Jahn's Archiv XIV. Leipz. 1848 p. 395) *λόγος* fuit *ἐγκωμιαστικὸς* de vita Platonis (*ἐκτίθεται γὰρ τὸν βίον αὐτοῦ καὶ ὑπερεπαινεῖ*) qui Speusippum decebat (cuius *Πλάτωνος ἐγκώμιον* habet index D. L. 4, 5) et Hermodorum de vita Platonis scribentem ceterosque Platonicos, non Aristotelem. Quae vero de Speusippi et Xenocratis philosophia edidisse credebatur, ea vel Xenocratis nomen, cuius quum numerorum doctrinam saepe maximeque in Metaphysicis refutet numquam tamen utpote viventis et amici nomen tangit, post Ol. 116, 3 mortemque Xenocratis scripta esse arguit.

Cognatae quodammodo et ratione et consilio historiis philosophis ceterisque huius generis sunt epitomae, quas fecisse traditur Aristoteles librorum Platonicorum et Reipublicae (D. L. 5, 22. An. Wenr. 144; cit. Procl. praef. in Pl. Remp. sec. Fabric. Bibl. gr. III, 400 Harl.) et Legum (D. L. 5, 22. An.) et Timaei (5, 25. An.) cf. Simpl. de coelo 491 b 37 ubi bene nosse Aristotelem Platonis in Timaeo sententiam eo quoque comprobatur quod ille vel *σύνοψιν ἢ ἐπιτομὴν τοῦ Τιμαίου γράφειν οὐκ ἀπηξίωσε,* quem tamen librum Simplicium qui ex eo numquam aliquid citat non legisse verisimile est ex tituli indicisque auctoritate non ratione iudicantem. Immo et haec *ἀπηξίωσε* Aristoteles multoque magis illa quibus sua ipsius opera in compendium redegisse dicitur, quales fuere *ἐκλογαὶ τῶν ἀνατομῶν* (D. L. cf. Apollon. mirab. 39) quae sine ordine excerpta fuisse videntur earum rerum quae in anatomica historia memoratu digna essent et quasi quaedam mirabilia anatomica, deinde *ἐπιτομὴ τῶν ῥητορικῶν* (nisi forte *ἡ ἐπιτομὴ τῶν ῥητόρων* est ipsa illa *τεχνῶν συναγωγὴ* sicut Theophrasti *ἐν ταῖς τῶν φυσικῶν δοξῶν ἐπιτομαῖς* auctoritatem adhibens magnum illud de placitis philosophorum opus spectavit Galenus XV, 26 de Xenophane agens, de quo eodem citatur Th. *ἐν τῇ ἐπιτομῇ* a Diog. L. 9, 21) quam citat Demetrius Magn. ap. D. L. 2, 104, aliaque. Fuit enim hoc apud Graecos vulgatissimum ut pro excerptore inscriberetur cuius quod ad argumentum revera liber erat auctor excerptus, velut in *θαυμασίων* libris ex historicis quibus tribuuntur collectis. Ita exemplo nunc quoque manifesto Aristotelis nomen obtinuit in Ethicorum compendio quod inscribitur *ἠθικὰ μεγάλα* in Oeconomico aliisque disciplinarum compendiis, ita

Theophrasti in libris quibusdam quos recenset index Diogenis, velut *νόμων ἐπιτομή* (5, 44), *φυσικῶν ἐπιτομή* (5, 46 = 48 operis sc. historici): quem quidem Theophrastum qui et Platonicae reipublicae epitomen scripsit (D. L. 5, 44) abbreviando praeceptorem explicasse, non se ipsum par est. Citantur ap. Diogenem 5, 49 Theophrasti *ἐπιτομαὶ Ἀριστοτέλους περὶ ζώων*, et sane post uberrima Aristotelis de animalibus opera ea quae *περὶ ζώων* scripsit Theophrastus (cf. hist. plant. 5, 6, 13) praeter septem illos tractatus singulares, e magistri libris brevius repetita videntur, praesertim quum idem constet de Physicis eius (cf. Themist. de an. lat. Ven. 1542 p. 227) quorum primus liber et secundus erat de motu — undecimus enim et quartusdecimus qui apud Simplicium citantur librariorum errori pro *α'* falso *ια'* aut *ιδ'* legentium deberi videntur, sicut simili exemplo Schol. Il. *π*, 407 Bekk. legitur *ἐν τῷ ιθ' περὶ ζώων* pro *ἐν τῷ θ'* (= hist. an. 9, 37), item Schol. Nicand. Alex. 13 p. 203, 5 Dübner *ἐν τῷ ἐννεακαιδεκάτῳ (ιθ') περὶ ζώων* (= 9, 6. p. 612), cf. Sch. Nic. Alex. 99 ubi quum in Aldina citetur Theophrastus *ἐν τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ περὶ φυτῶν* (= hist. pl. 4, 2, 5) nunc recte ex codice quodam *ἐν τῷ τετάρτῳ* restituit Dübner (cf. annot. p. 412). Simplicium vero in Phys. f. 94 post Theophrastum citatum *ἐν β' τῶν περὶ κινήσεως* (sc. *φυσικῶν*) citantem eundem *ἐν τῷ τρίτῳ*, physicorum tertium, non tertium de motu voluisse credo — tertius de coelo, in quo simul de generatione et corruptione (*περὶ τῶν ἐν γενέσει καὶ τῶν τοιούτων ἀρχῶν*) sec. Alex. ap. Simpl. de coelo prooem., Sch. 468, 11, quartus et quintus de anima secundum Simplicium (Brandis in Mus. Rhen. vet. I, 4. p. 282 sqq.) cuius testimonium luculenter confirmat Prisciani Lydi aequalis in Theophrasti Physica metaphraseos particula nunc quoque servata, in qua quae de sensu imaginatione et mente in quinto libro posuerat Theophrastus (*ἀκολούθως τῷ Ἀριστοτέλει* p. 284) ille explicavit (edita est cum Theophrasti Opp. per Hieron. Gemusaeum Basil. 1541 p. 273—91, ubi in metaphr. de sensu fin. p. 284 iam tractaturum se esse promittit *τὰ λοιπὰ τοῦ πέμπτου βιβλίου*. eiusdem autem Prisciani Aristotelici medio aevo de Graeco in Latinum conversus legebatur „liber de quaestionibus naturalibus ad Cosdroe regem Persarum directus" sec. Vinc. Bell. Spec. hist. 21, 50 et Walther. Burl. c. 118, ex quo multa passim excerpsit Vinc. in Spec. natur. cf. 4, 23. 39. 42. 47. 5, 9. 24. 15, 4. 20, 10. 11. 23, 68 ubi pro animae immortalitate a Prisciano citatur Ptolemaeus, deni-

que 26, 8—9. 10. 32). Atque omnino primi Peripatetici retractantes locos ab Aristotele ante tractatos magistri quodammodo commentatores erant, ita quidem ut Eudemus ὁ γνησιώτατος (Simpl. in Phys. 93b) eum quasi παραφράζων (cf. Simpl. f. 121b. 201b etc.) per omnia sequeretur (cf. f. 124. 242), id quod et Ethica docent a Spengelio ei reddita et Physicorum fragmenta, nihil fere nisi novas librorum Aristotelicorum recensiones continentia (cf. Theophrasti Politica D. L. 5, 24), Theophrastus vero ὁ κορυφαιότατος quaedam liberius mutaret aliterque disponeret (cf. e. g. de Topicis eius Procl. in Parm. p. 26 Cous.) in brevius contrahens, quaedam vero peculiari opera augens (cf. de eo Brandis l. c. p. 284), Strato denique in multis ab Aristotele recedens singulos disciplinarum et praecipue physicarum locos separatim tractare omnino mallet, cuius inter μονοβίβλους Diogeni L. enumeratos Simplicius citat librum περὶ προτέρου καὶ ὑστέρου (Sch. Br. 89, 14. 90, 12) et περὶ κινήσεως (in Phys. f. 225. cf. 168), cf. περὶ χρόνου Simpl. in phys. 187. 187b. 189b, περὶ τοῦ κενοῦ f. 153. 154b. 155b. 163b. (περὶ τόπου? 144b). Quibus comparandae sunt librorum eiusdem aetatis pseudaristotelicorum tituli partes quasdam in universae disciplinae tenore iam tractatos accuratius iterum expositas esse significantes, de quibus partim supra iam dictum est partim dicetur in recensendis singulis disciplinis. Qui omnes auctores librique ita erant et in argumentis et in sermone Aristotelici — id quod inventis nunc demum et vera scientia et verae scientiae sermone consentaneum sane erat — ut ex illis solis de libri cuiusdam peripatetici auctore vix quisquam pronunciare posset facileque in ipsum scriberentur Aristotelem. Quis enim umquam si sola nobis restarent Ethica Eudemea de Aristotele auctore dubitasset? Quo confidentius dico in hoc omni negotio ex sola rei ratione aetatisque natura et studiorum historia diiudicandum esse neque ullam esse titulorum traditorum auctoritatem. Accedit quod ipsi veteres qui post Andronicum et Ciceronem studiaque Aristotelis renata titulos hos ab Alexandrinis acceptos audirent, eos saepissime ipsos non iam intellexisse ipso dissensu docent: qui ubi disciplinae nomini additum fuit viri nomen adiectivum (velut Nicomachea Eudemea Theodectea Menonea), modo significari eo existimarent ad quem libri illi scripti essent (ad Nicomachos et patrem et filium David in Cat. 25, 40 idemque Anon. Prolegg. in Porph. isag. Cramer Anecd. Paris. IV p. 424 = Sch. Br. 9b 23, ad Eudemum Anon. l. c.,

ad Theodectem auctor rhet. ad Alex. praef. extr.), modo a quo (cf. auct. ex quo de Eudoxo Diog. 8, 88 *φησὶ δ' αὐτὸν Νικόμαχος ὁ Ἀριστοτέλους τὴν ἡδονὴν λέγειν τὸ ἀγαθόν* = Eth. Nic. 10, 2. cf. 1, 12. similiter Theodectes citatur a Dionys. Rhet. p. 8. 1101. cf. D. L. et An. quibus Theodectea illa sunt *τέχνης τῆς Θεοδέκτου συναγωγή* — non ut falso scribitur ap. D. L. *εἰσαγωγή* — s. epitome ab Aristotele facta). Inter utramque rationem incerti haerent in Nicom. Cic. de fin. 5, 5, in Theodecteis Quintil. 2, 15, 10. cf. 1, 4, 18. 1, 14. cf. Valer. Max. 8, 14, 3. Ipse Aristoteles numquam talibus titulis in citationibus utitur: nihil enim huc pertinent Theodectea quorum mentionem facit Rhet. 3, 9 (cf. post Fabricium Brandis. Arist. 1, 89 voce *ἐξηρίθμηνται* falso intellecta ductos) quibus ipsum ut saepe Theodectem eiusque orationes et tragoedias respicit idem eius vitium vituperans quod in Rhetoricorum ad Alexandrum praefatione obtinet; Theodectea vero illa Aristotelis pseudepigrapha Aristotele fuisse recentiora illud etiam docet quod tres, non duas (Lehrsch Sprachphil. II, 11—18 cf. III, 197) numerant orationis partes et elementa. Ipsos vero Aristotelis Rhetoricorum libros tres cur ad Theodectem discipulum scriptos habuerint primi editores itaque citaverint (cf. Lud. Vivis censuram l. c., eundem Opp. I, 491 etc. similiterque Graeci huius aetatis auctores, velut Theophilus Corydalleus in Rhetorices exposit. ap. Fabric. XIII, p. 651. 744, qui scriptor vixit c. 1630. cf. Fabr. X, 498. Demetr. Procop. de erudit. Graecis c. 15 ap. Fabr. XI, 776) nullam nisi in Valerii Maximi loco illo levius inspecto ipsiusque in Rhet. ad Alex. Aristotelis comparato testimonio causam invenio. Eiusdem de librorum inscriptionibus Alexandrinis apud veteres incertitudinis illud est, quod quum duos quosvis libros qui et similis essent argumenti et eiusdem ut putabatur auctoris ita bibliothecarii Alexandri more recepto distinguere solerent, ut nulla argumenti ratione habita notae causa operis titulo adiicerent sive *τὸ πρῶτον* — *τὸ δεύτερον* sive *τὸ μεῖζον* — *τὸ ἔλαττον* sive *τὸ μέγα* — *τὸ μικρόν* ita tamen ut in libro notiore adiectionem fere omitterent, vario conamine id explicare frustra nitebantur. Revera enim titulis illis velut *ἠθικὰ μεγάλα Νικομάχεια* (Magna Moralia) et *ἠθικὰ μικρὰ Νικομάχεια* (Eth. Nic. cf. codd. Bekk. p. 1181) nihil significari nisi duos libros ethicorum Nicomacheorum titulo inscriptos hac nota fuisse seiunctos, neque ullum iis inesse neque de libri ambitu iudicium neque ut male concedit Spengel de Ethicis agens

(Münchn. acad. abh. III, 453) de ambitu argumenti, exempla sint haec: Aristotelis Metaphysicorum *α' μεῖζον* et *ἔλαττον* (cf. Alex. p. 100), Platonis Alcibiades primus (qui idem *μείζων* vocatur = *πρῶτος* D. L. 3, 62) et secundus, Hippias maior et minor (Thrasyll. D. L. 3, 59. 60), Antisthenis *μικρὸς Κῦρος* et *Ἡρακλῆς ἐλάσσων* (D. L. 2, 61. cf. 6, 16 et 18. spuria haec), Democriti *μέγας* (et spurius: assentior enim auctori illi quem sequitur Hesych. ap. Suid. s. v. Dem. solos Democriti fuisse libros *περὶ διακόσμου* i. e. *μικρὸς διάκοσμος ἢ κοσμογραφίη περὶ τῶν πλανήτων* D. L. 9, 46 et *περὶ φύσεως β'*, quorum secundus *περὶ ἀνθρώπου φύσεως*) et *μικρὸς διάκοσμος* (D. L. 9, 41. 46), Hippocratis libri de morbis duo magni et duo parvi sec. Galenum (cf. Littré Introd. T. I. p. 361 sq.), Epidem. lib. I et III ceteris quinque libris oppositi utpote *τὰ ἐκ τοῦ μικροῦ πινακιδίου* (Galen. VII, 855 Kühn), Hesiodi *ἔργα μεγάλα* (Procl. in Hes. *ἔργα* 128) et *ἠοῖαι μεγάλαι* (Paus. 9, 31, 4. Sch. Ap. Rh. 2, 181 — erant igitur et *μικραὶ ἠοῖαι* sive *κατάλογοι*), Homeri denique *Ἴλιας μικρά*.

Fuisse tamen etiam in hoc compendiorum Peripateticorum genere quae ab Aristotele et sermone et argumenti ratione ad ceterarum sectarum similitudinem pro Academicorum more accedente essent remotiora reliquisque adeo pseudepigraphis paullo recentiora, id docent praeter librum qui vocatur de spiritu de quo postea dicetur liber de mundo (cf. An., Wenr. 161, a Justino Proclo Davide Stobaeo citatus) et ars rhetorica sive ut in editionibus latinis vocatur de praeceptis civilibus liber (cf. prooem. extr.) *πρὸς Ἀλέξανδρον* ambo inscripti quasi epistolae (cf. Demetr. de eloc. 234. p. 99. Stob. Ecl. 1, 81. 188. 640). Quorum primus ad philosophiae de mundo *τυπώδη μάθησιν* (397 b 10) Aristotelis theologiam (*θεολογῶμεν περὶ τῶν συμπάντων* 390 b 4. cf. quae de primo motore deo in coelo residente quomodo moveat regatque pro varia rerum „apostasi" 397 b 30. 398, 3 cf. Theophr. Metaph. p. 322, 15 Brand. mundum aeternum disputantur c. 6. p. 398 sq.) in Platonicorum quodammodo et Stoicorum sermonem sententiamque pantheisticam deflectens interpretatur: inde enim popularis illa theologia (velut de dei multis variisque nominibus p. 401. cf. D. L. 7, 147 etc.), inde studium illud Heracliti Orphei Platonis cuius Timaeum maxime referunt c. 2 et 5 (cf. etiam 397, 5. 16. 18 etc.), inde manifesta quaedam et in sermone et in rebus cum libris Pythagoreorum platonicis similitudo in quibus et ipsis, uti par est

in eo tempore ubi ipso sua defendendi studio ipsoque negandi molimine in contrariae quandam partis speciem coloremque schola quaevis abiit, et Peripateticorum et Stoicorum quasi translucent sententiae ex uno revera communi fonte ductae Platone. Certum enim illud et constans apud Peripateticos discrimen quo sibi opponuntur pars aeterna et corruptibilis quae tamen ipsa divini non expers (397b 32. a27), *ἡ ἀπαθὴς φύσις* aetheris et *ἡ δι' ὅλων παθητὴ* elementorum quatuor (392, 31—34. 400, 20—24), ex quibus constat quem ipse deus *περιάγει* (398b 9) sedens *ἐν ἀκινήτῳ* (400b 11. *ἀκινήτως ἡγούμενος* 400b 31 cod. O cf. Philol. 151) mundus, *ὁ διάκοσμος οὐρανοῦ καὶ γῆς* (400b 32. cf. 391b 9), idem late patet in fragmentis pythagoricis: plane ita enim *τὸ ἀειχίνατον* et *τὸ ἀειπαθές* apud Criton. Stob. Flor. 3, 75. Metop. 1, 64. Ocell. 2, 2. 3, 5. Ocell. ap. Stob. Ecl. 1, 338 et apud ipsum denique Philolaum ap. Boeckh p. 167 qui in hoc fragmento (Stob. Ecl. 1, 418 sqq.), etiamsi essent id quod non est, ea tantum Philolai verba quae selegit Boeckh, plane est et Peripateticus — ut in eo quod mundus sit *ἐνέργεια ἀΐδιος θεῶ τε καὶ γενέσιος* (cf. Ar. Met. 11, 7. de coelo 2, 3. phys. VIII etc. etc. et Photii Anon. de v. P. 20) *κατὰ συνακολουθίαν* (cf. Ar. de gen. et corr. 2, 10 sq. Ocell. 1, 12; cf. Onatae illud *κοινὸν ἔργον* Stob. ecl. 1, 96. vox ipsa est peripatetica cf. Met. 12, 9. 1085, 16. 8, 10 etc. Ocell. 2, 22 similique ratione licet in alia re Platonis Timaeum in Peripatetici modum locutus explicat eius epitomator et in ipso enarrando interpres Tim. Locr. 96d = Theon. astron. 216. 282. cf. 320. 330. 336) *τᾶς μεταβλαστικᾶς φύσιος* i. e. ipsius *γενέσιος* (cf. T. L. 99d *ἡ ἀλλοιωτικὰ φύσις*) — et Platonicus: quid enim sunt *μορφαί* illae aeternae (cf. 399, 34. Ar. de gen. et corr. 2, 9) nisi ideae i. e. formae quarum aeternitate divini particeps est mundus sensibilis et per quas mente et ipsa aeterna cognoscitur (nam *λόγος μορφᾶς τὸ εἶδος* Tim. Locr. 97 extr. cf. Platon. Tim. 50b. T. L. 94a. Archyt. fr. 1) sive numeri Phil. p. 58 B. (ubi scribendum est *ὧν ἑκάστα αὐταύτα ἀεὶ μένει* cf. Pl. Phaedon. 104 init.) sine quibus i. e. sine ideis sive eo quod est in rebus aeternum — per numeros enim omnes res sunt aeternae Phil. ap. Syrian. 313, 6. 304, 3 — nullam rem cognosci posse Philolaus dicit ex Platonis imitatione (cf. Philebum) et argumentum et ipsa verba ducens (Syrian. in Met. 315, 19 cf. Platon. Cratyl. 439 extr. — 440. cf. etiam Soph. 238. Phileb. 17 etc. Alex. in Met. p. 30, 12): etenim

si omnia essent infinita nec numeros haberent res neque cognosci quidquam posset (p. 58. 141 B.) neque esset ipsum *τὸ γνωσόμενον* i. e. *ἡ γνῶσις* (p. 49 B.). Haec vero non minus quam ipsa illa de rerum ex finiti et infiniti mixtione et harmonia constantium disputatio (p. 45 B. quae ut omnis numerorum apud Platonicos doctrina metaphysica e Platonis Philebo pendent, cuius cf. p. 16 sqq. 18. 23—26. 30 sq.) mirum quantum distant a Pythagoreorum qualem ostendit Aristoteles simplice indole et rudi in philosophia et a dialecticis metaphysicisque rebus remotissima, nec de Platone diffidendum est qui se semper dialecticae doctrinae methodique i. e. idearum sententiae non sine gaudio inventorem praedicat (cf. Soph. 259 in. etc.): quamquam ut ait revera non est nova neque *ἤρξατο νῦν*, sed semper fuit, primaevum dei munus hominis rationi inditum quo inscii usi sunt ii qui primi artium humanarum velut grammaticae musicae fuere inventores — hi enim id quod in libro de Pythagoreis exposui sunt *οἱ παλαιοί* isti, non quos plane absurda veterum interpretatio finxit Pythagorei eius aequales, cf. etiam quae huius loci quasi commentarium continent Plat. Epinom. 976 extr. et sqq. —: nempe omnes artes ut ipsa natura et vera methodus hac definiendi quasi arithmetica nituntur, quapropter et *μαθήματα* quae proprie ita vocantur (cf. Xen. Memor. 4, 7) sec. Platonis verba in Republica et ipsa postea Pythagoreis male vindicata (propter loc. sc. de Rep. p. 519 = Arist. de coelo 2, 9) gradus sunt ad eam quae iis inest dialecticam, licet qui eas possident se dialecticam ipsam possidere ipsi non videant. Sed redeamus ad auctorem de mundo duasque illas mundi partes, quae ita describuntur ut altera sit regio coelestis, quam Olympum sec. Homerum appellat liber de mundo 400, 7 cf. 397 b 26 sicut Parmenides v. 141 (cf. Plat. Epin. 977. Xenocratis dei Olympii et Titanii Krische Forsch. 318. Stob. ecl. 1, 62 et Neo-Orphica illa *γῆ ὀλυμπία* luna Lobeck Agl. 500 = Phil. 130 B. — cet. cf. de sensu vario vocis *οὐρανός* Arist. de coelo 1, 9. 278 b) et Philolaus, nisi quod hic solam ita *τὴν ἀπλανῆ* dixisse errore sine dubio perhibetur eodem scil. quo Parmenidem posteriores corruperunt (cf. Karsten Parmen. 254 sqq. neque enim recte disputavit Krische Forsch. 114 sqq.) et Neoplatonici cuiusdam narrantis culpa, sicut ipsum magis docet dividendi studium quam illa *φιλομετάβολος γένεσις* (cf. Procl. Th. pl. 259. 353. Tim. 293 c et saepe *τὰ πολυμετάβολα* Plut. de psychog. Tim. 25. Sext. Emp. 617. Hippodam.

Stob. 98, 71 etc.) et εἰλικρίνεια τῶν στοιχείων (Procl. in Tim. 154 cf. cod. Paris. 1832 ap. Bekk. Schol. Plat. ibique Taurus in Tim. p. 186 in ed. Turic. min., Plotin de mundo 189 sqq., Porphyr. in Tim. 187, Procl. 188 sq.), qui quidem doctrinam retulit ex Platonica et Peripatetica de mundi sententia eaque quam tamquam Pythagoreorum traditione famaque accepit Aristoteles mire conflatam atque confusam (ap. B. 94), altera vero regio sit sublunaris (Philol. 95, 167. Ecph. 48, 64. Ocell. 2, 2.), et illa quidem τὸ πρᾶτον τᾷ δυνάμει, haec τὸ ὕστερον etc. (cf. Ocell. Stob. ecl. 1, 338), illa νόῳ καὶ ψυχᾶς ἀνάκωμα, haec γενέσιος καὶ μεταβολᾶς (Ocell. 2, 3 ubi dicitur δυναστεία naturae et γενέσεως cf. 2, 2); porro illa sit aetheris i. e. τοῦ ἀεὶ θέοντος θείου (de mundo 392, 8. 9. Philol. 168 et qui prorsus eadem cum Philolao verba repetit Ocell. 2, 23. similiter Onatae Stob. ecl. 1, 96 θεοὶ sunt οἱ θέοντες κατ᾽ οὐρανόν, ceterum cf. Platon. Crat. 410. Arist. 270b 22), haec quatuor elementorum (Athamas ap. Clem. Al. p. 746 Pott., cum aethere quinque de m. 392, 5. 31 sqq. 392b 35 πέντε στοιχεῖα = πέντε σώματα Philol. 160 sec. Platonis discipulos et Aristotelem, Stoicos tamen sapit quod aetheris figura conus (κωνοειδής) dicitur pro pyramide illa Platonica, cf. Pl. ph. 1, 14. Stob. ecl. 1, 356. cf. Cleanthes Ach. Tat. Is. 87. Krische Forsch. 434 sq.). Jam quum τὰ αἰθέρια sint δίχα διαίρετα (T. L. 96c. cf. Procl. in Tim. 154 et Stoica ap. Ach. Tat. Isag. 83. 84 sq. 93) et τὰ ἀπλανῆ et planetae, quorum partim nomina Alexandrina (cf. Ach. Tat. Is. 89. Lepsius Chronol. 1, 90) auctor de mundo addit 392, 25 (Ares-Heracles, Hermes-Apollo, Aphrodite-Hera de quo ultimo nomine cf. Tim. Locr. 96e. Plin. 2, 6. Augustin. civ. d. 7, 15. Plotin. 3, 5, 8 p. 542 Creuz.: est enim haec Venus et Isis Aegyptia et Syria illa dea Luciani quam utramque modo Venerem Graeci intelligunt modo Junonem cf. Eckermann Religionsgesch. I, 115. 121. II, 38. 204 etc. E. Curtius Rhein. Mus. 1850 p. 457 sq.), itemque sublunaris regio daemonum sedes ab ipsa quae hominis est terra dividatur (de m. 392, 34. b14. Ecph. 48, 64. Oc. 3, 3. cf. de coelo deorum sede de m. 391b 15. Ach. Tat. 85. Onat. p. 96), ita quatuor illae mundi regiones Philolai efficiuntur post Platonem vulgares. Universus autem mundus περιαγεόμενος ἐξ ἀρχῆς ἀϊδίου (Phil. 167. de m. 398b 9 cf. Ar. Metaph. 11, 8. 1073, 28 et quidem ἐξ αἰῶνος ἐς αἰῶνα Phil. 165. de m. 397, 10) aeternus est (de quo supra dictum est), nec nisi terra et ipsa quidem aeterna (397, 27. 30. cf. Critol.

ap. Philon. p. 943 sq. Plotin. p. 179 sq. Cr. Censorin. 4) *κατὰ μέρη* tamen est corruptibilis (de m. 397, 29. 400, 31. 25. Ocell. 3, 4) igni coelesti (*ἐξ οὐρανοῦ* 397, 21 cf. Ach. Tat. Is. 85 cf. 83, quo ex loco eundem quem Philolao vocis *οὐρανὸς* de sublunari regione usum potuisset aliquis et huic auctori affingere) et inundatione (*κεραυνοὶ* opp. *ὄμβροι, χειμῶνες* cf. Procl. in Tim. 22. 33 sq. *ἐκπύρωσις* et *κατάκλυσις*: etenim *ὁ σελήνης κύκλος ὑγρὸς ὢν συμπάσης γενέσεως σωματικῆς αἰτιώτατος* Aristid. mus. p. 147. Hipp. de diaet. p. 639. cf. Aristid. p. 110. 124: *ὁ ὑπὸ σελήνην τόπος ὑγρᾶς ὢν συστάσεως*. in terram igitur quae est *θολερὸς τόπος* de m. 400, 5 *ὄμβροι* ruunt e lunae sphaera (*σεληνιακὸν ὕδωρ* Phil. 111): haec enim est illa *διττὴ φθορὰ* mundi i. e. terrae (*αἱ παράδοξοι νεοχμώσεις* 397, 20, quae verba Stoicos tangunt, cf. 401, 13. Critol. ap. Philon. p. 944 b. 945 a cui est *ἡ γῆ ἀεὶ νεάζουσα*) Phil. 111 = de mundo 397, 19—b8. 400, 25—39. Ocell. 3, 4 sq., qua purgatur mundus et renovatur (Orig. philos. p. 26. de m. 397, 33 sqq. cf. Phil. *τροφαί*), ab omnibus Platonicis recepta (cf. etiam Arist. Meteor. 1, 14. Theophr. ap. Phil. p. 964). Quae de mundo medio simul et imo traduntur de m. 393 b 35, Platonicorum sunt et Stoicorum Platonis in Timaeo sententiam contra physicos Jonicos disputantis p. 62 sq., ex quo ipso sua hausit Philol. 91 B. cf. D. L. 8, 26, nihil proprie dici in rebus neque superius neque inferius tradentem nisi quid a sede sua naturali quam repetit in contrariam *μετενήνεκται* (= Tim. 63 b-e), ad usum consuetum modo ab ipso Platone significato post Peripateticos accommodantium (cf. Alcin. c. 20). Deus autem hunc mundum ex rebus elementisque contrariis (de m. 396, 33. b 24. 32 cf. 5. 29) coactis in harmoniam coire fecit et *ὁμολογίαν* (396 b 33. 35 sive *ὁμόνοιαν* 397, 4. 396 b 4), quam concordiam cum civili saepe comparatam (de m. 396, 1—5. Diolog. 48, 61. cf. 62. Ecphant. 48, 64. Callicrat. 85, 17. Ocell. ap. Stob. 1, 338. Crito 3, 75. est enim omnino haec musicae harmoniae imago in ethicis fragmentis — cf. Aristid. Quintil. de mus. p. 129 sqq. Meib. ex Pseudopythagoreis haurientem quos significat p. 131. 124 et apud eundem p. 3 Panacae sive sec. Phot. cod. 167 Panacaei Pythagorei fragmentum, cf. de m. 396 b 11 sqq. — frequentissima ubi de conditione vitae animae virtutis domus agitur) efficit *ἡ ἰσομοιρία τῶν στοιχείων* de m. 396 b 35 sec. Timaeum (cf. D. L. 8, 26) vel *ἰσοδυναμία, ἰσοκρατία, ἰσονομία* Tim. Locr. 95 b.c. 99 b. Ocell. 2, 4. Philo de aet. m. p. 959 b. Ipsa vero

illa de harmoniae Heracliteae quae *ὁμοίαν ἐξ ἀνομοίων ἀποτελεῖ διάθεσιν* (de m. 396b 5) natura definitio, quae Platoni debetur Symp. 186 sq. cf. Arist. ap. Plut. de mus. 23, apud Platonicos frequentissima est et apud recentiores (Nicom. Isag. arithm. 1, 6. Theol. arithm. p. 4 sq. 47) et apud veteres, cf. cum l. de mundo c. 5 Philol. 61. 62 B. Hippod. 103, 26. Aresas Stob. ecl. 1, 850. Callicr. 85, 16 et ex eodem fonte apud medicos, cf. Hipp. de nat. hom. 351 sq. de diaeta I p. 643 sq. sive § 18 ed. Littré, quo in libro post Aristotelem scripto harmonia iisdem trium quibus constat quaeque solae ante Aristoxenum agnoscebantur (cf. Aristox. el. harm. p. 2. 45) symphoniarum nominibus hoc Theophrasti tempore usu frequentibus appellantur (*ξυλλαβή, δι' ὀξειῶν, διὰ πασέων* p. 636. s. § 8 Littr. T. VI p. 482 ex praeclara Bernaysii emendatione, v. Heraclitea p. 18. cf. Pseudarist. probl. 19, 34 *δὶς δι' ὀξειῶν*), quibus a Philolao multisque aliis (sec. Nicom. harm. p. 17. Aristid. de mus. p. 17. Porph. in Ptolem. p. 193 W.) Pythagoricis: amplus enim erat locus in libris pseudopythagoricis (cf. Philolai et Archytae apud Nicom. et Ptolem. fragmenta. Georg. Pachym. de harm. p. 466 Vinc. *Ἀρχ. δὲ ὁ Τ. μάλιστα τῆς Πυθαγορικῆς ἐπιμεληθεὶς μουσικῆς*, in libro sc. *περὶ μουσικῆς* Porph. p. 267 = *περὶ μαθηματικῆς* p. 236) musicis rationibus eoque amplior quod ex clarissimis veterum Pythagoreorum placitis derivari videretur. Et sane fieri potuit ut vera postremorum musicorum placita, quorum quidam Pythagorei habebantur velut Xenophilus, ex multis illis Platonicorum et Peripateticorum de musica libris (Plut. de mus. 3) haurirent auctores illi pseudonymi. Huius igitur harmoniae causa deus mundum *διεκόσμησε* (frequens in fr. pyth. *διακόσμασις* et *διάκοσμος*, cf. de m. 399b 16. 400b 32) vi quadam usus (*δύναμις* cf. 397b 23. 398, 2. b8. 396b 29. cf. Onat. Stob. ecl. 1, 94. aliena tamen est quae cui similis videatur Philonis doctrina de qua Dähne Jüd. alex. religionsphil. 1, 202 sq. 226 sqq.) sive spiritu (*πνεῦμα* 394b 10 = *ἔμψυχος οὐσία* s. anima mundi 394b 11. 397, 19) omnia permeante: hoc enim non decet secundum Platonicos et Arist. ipsum summum deum (cf. p. 398 ubi Stoicis auctor adversatur). Apud Philolaum quoque eadem est Platonica mundi anima (167 B. *τὸ ὅλον περιέχουσα*) sive natura quae harmonia definitur (167 cf. 62 et praeterea ex Demetrio D. L. 8, 85 initium libri Philolaici de natura, qui idem liber variis titulis citatur *περὶ κόσμου, περὶ ψυχῆς* cf. Preller de Philolao in Ersch. et Gruber. Encyclop. III, 23,

p. 372 sq., alia ut ipso initio „Φύσις δ' ἐν τῷ κόσμῳ" etc. declaratur volumina sequens, cf. Galen. de Xenophontis Oeconomici initio XVIII, 1, 301 K. ceterum auctori de diaeta Heraclitissanti ut multi aequales cf. Probl. 23, 30 eidemque Platonissanti p. 639 etc. anima mundi est ignis cf. de insomn. p. 4. Xenocr. Plut. de fac. lun. 29. Pyth. D. L. 8, 27) recteque ab ipso mundo ἡ φύσις τοῦ κόσμου distinguitur, cf. Plut. mus. 24. Critol. ap. Philon. 947a-b (cf. Stoicorum ap. D. L. 7, 148 ἡ φύσις — συνέχουσα τὸν κόσμον). Deus ipse in mundo et astrorum harmonia est velut κορυφαῖος ἐν χορῷ (400b 7. 399, 15. cf. Onat. Stob. 1, 96 quem citat Porphyr. ap. Stob. ecl. 1, 50) sive in urbe νόμος (400b 7. 28. vel ut malunt fr. pyth. νόμος ἔμψυχος rex Diotog. 48, 61 etc.); munus ei est ἡ σωτηρία harmoniae (cuius ipse causa est, ἡ τῶν ὅλων συνεκτικὴ αἰτία 397b 9. 400, 13, cf. συνοχή Phil. 94. 137 et Ocell. ap. Stob.); eoque ipso mundi est ut ἡγεμὼν ita γενέτωρ 399, 31. 397b 21 (cf. Tim. Locr. 96c), ἀόρατος ὢν ἄλλῳ πλὴν λογισμῷ 399, 31 (T. L. ibid.), nec nisi ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων (θεοῦ ἔργα 399b 24. cf. Onat. Stob. 1, 92 sqq.) θεωρεῖται (399b 22). Magni regis imagine (p. 398a) et Pythagorici (Archyt. 43, 134) utuntur et saepius Philo (cf. ed. Pfeiff. T. III p. 26). Ad has vero veterum Peripateticorum et Academicorum et Pseudopythagoreorum communes doctrinas inter Stoicos postea etiam Posidonius a schola discedens suas efformavit sententias, qui ut Pythagoreorum libros novit, ita quum omnino saepe Aristotele tum hoc de mundo libro usus esse deprehenditur et iis quidem quae ibi de meteorologicis compendio (394, 8) traduntur (c. 4): inde enim verbotenus et mundi definitionem (D. L. 7, 138 = 391 b 9. e Posidonio posteri velut Cleomedes 1, 1 init. Achill. Tat. Is. 85) et iridis fulminisque quam in brevius contraxit (D. L. 7, 152—53 = 395, 32. b 2. 6. cf. de cometis etc. 395, 31) recepit ille in librum inscriptum μετεωρολογικὴ στοιχείωσις a maiore περὶ μετεώρων opere diversum. Eandem mundi definitionem ex Posidonio videtur ille sumsisse qui confecit epitomen doctrinae Stoicae sive Chrysippeae in multis illam et maxime ut par est in definitionum genere cum libro de mundo cuius nec ipse fortasse auctor notitia lectioneque carebat (cf. 392b 20—22 quae ap. Stob. repetita ex eodem sine dubio fonte hausta sunt sive auctore de mundo sive qui eum sequitur Posidonio; tertius locus est 392, 17) consentientem (Osann Beiträge 1, 211—14), qua usus est Stobaeus ecl. 1, 444 sqq., nisi forte epitomator ex-

scribit ipsum qui apud Diogenem est Dioclem, quum et alteram illam mundi definitionem priori nexam apud D. L. quam non habet l. de mundo verbotenus repetat ex Posidonio sine dubio aeque sumtam, et ἀστραπῆς quoque quam ex Zenone infert Diocl. D. L. 7, 153 et βροντῆς explicatio ad verbum eadem sit quae ap. Stobaeum, nisi quod Zenonis illa citatio omissa est. Quod vero ad ipsam denique terram, multus est auctor de mundo in rebus geographicis (cf. Posidonii librum περὶ ὠκεανοῦ magnum itidem locum geographicis concedentem teste Strabone 1, 149. 155 cf. 1, 8) provocans ipse ad τοὺς εὖ γεωγραφήσαντας 390b 22, quos ne ipsum potius Eratosthenem ut primo obtutu placet quam antiquiores velut Dicaearchum sive historicos Timaeum Ephorum alios intelligamus (cf. etiam Arist. Meteor. 2, 5), vetare videtur ipsa quam ex illis sumit auctor de terrae habitatae longitudine (c. 70000 stad.) et latitudine (paene 40000) mensura. Eratosthenes enim postquam multis probavit terrae habitatae longitudinem necessario plus quam duplo latitudine esse maiorem, in quo plurimi eum et geographi secuti sunt et alii auctores (Strabo 1, 101. 102), quum latitudinem diceret stadium 38000 (Str. 1, 99), longitudini iam antea ut ex Strabonis verbis verisimile est receptae stadium 70000 (sc. ab ostio Gangetis usque ad columnas Herculis, accuratius sec. Erat. stadium 70800 cf. Str. 1, 101) addidit, in hac re a Strabone reprehensus, Europae extra columnas incurvatae 3000, utrimque vero insuper ex coniectura 2000 stad., ita ut omnis sit longitudo stad. 77800 (Str. 1, 101—2). Quos numeros ita reliquit Hipparchus ut longitudinem diceret 70000 stad., latitudinem 30000 st. (Str. 1, 179—84. cf. 100. 167), posterioribus plerisque Hipparcho consentientibus (cf. Strabo 1, 184. Agathemer. 2, 1). Posidonius quoque longam fecit terram 70000 st. (1, 162) sicut plerique (1, 167). Artemidorus denique Ephesius hypothesi illa relicta hos dedit numeros 39520 : 68544 (sive alio itinere 71560, additisque a Gadibus usque ad prom. sacrum 3928 st., 72472 sive 75488), post quem Isidorus Characenus 45920 : 78544 (Plin. 2, 112). Inde iam constat non solum ante Hipparchum, quod certissimum est, sed etiam ante Eratosthenem vixisse Peripateticum illum qui librum de mundo composuit. Accedunt alia. Sequitur auctor falsam Clitarchi (Str. 2, 398. cf. Plin. 6, 15) opinionem, ex qua a mari Hyrcanio στενώτατος ἰσθμὸς εἰς τὸν πόντον διήκει 393b 25: huius vero isthmi latitudo Eratostheni iam est 1000 st. (Str. 1, 145), Posi-

donio 1500 (Str. 2, 398), aliis veluti Cornelii Nepotis auctori 2000 (Plin. 6, 12), Straboni 3000 (2, 398 cf. Plin. 6, 12). Citat porro auctor de Europae Asiae Libyae terminis eorum (cf. Str. 2, 427) sententiam qui has partes fluminibus dividant Tanai et Nilo (393b 25. 30), ipse potius fines dicens isthmos quibus seiunguntur Pontus et mare Hyrcanium itemque a mari interno sinus Arabicus: utraque vero sententia memorata Eratosthenes hanc omnem quaestionem ut vanam et inutilem reiecit (Str. 1, 103). Nec repugnat marium descriptio: erat enim opinio illa de oceano sive Atlantico terram cingente secundum antiquissimum placitum, ex quo illa de Africa circumnavigata coniectura nata est et ex coniectura fabula inepte credita (cf. praeter Aegyptiorum iactantiam ap. Herod. 4, 42 varias illas narrationes apud Herod. 4, 43. Strabon. 1, 155—58. Plin. 2, 67. Melam 3, 9), et in maximos quatuor sinus incurvato (de mundo 393, 16—b11, cf. Strabo 1, 192 sq. J. Philopon. *περὶ κοσμοπ.* 4, 5 p. 546 qui Aristotelem citat huic doctrinae nescio quo in libro — Probl. Homer.? — repugnantem; cf. Meteor. 354, 2) ab omnibus fere primisque Alexandrinis recepta (cf. Humboldt Asie centrale II, 172. cf. 176 sq.), auctore ut videtur Patrocle quem ex Eratosthene auctorem illum et in hac re et in multis probante (1, 107 sq.) citat Strabo 1, 118. 2, 442: quamquam fuerunt qui Alexandrina etiam aetate *λίμνην* haberent Caspium mare i. e. terris undique clausum, velut Polycletus (de quo errat Humboldt l. c. p. 171) cf. Strabo 1, 427 sq. Plut. Alex. 45. Macrob. S. Sc. 2, 9, quam tamen opinionem quae antea fuerat Herodoti et Aristotelis, cf. Philopon. *π. κοσμοποιΐας* p. 547 Gall. — in hac enim re ipsa accuratior orientalis orbis notitia in errorem duxit homines — ab Eratosthene (Str. 1, 428) profligatam mox reliquerunt Alexandrini. In recensendis denique maris interni partibus nominibusque distinguendis parcior est Strabone (1, 194 sqq.) auctor de mundo (393, 23—b2), licet hoc narrationis brevitati possis tribuere: attamen constat antiquis eum et Aristoteli (Meteor. 2, 1. 354, 21) et Eratostheni (Plin. 3, 10. cf. Straton. ap. Strab. 1, 78) in eo consentire quod „inter ostium Oceani et Sardiniam quidquid est Sardoum" appellatur (393, 27, nisi quod Galatici etiam meminit auctor, Tyrrhenicum tamen quod habet Aristoteles omittens, deinde Siculum ponens et Creticum ut Eratosthenes). Jam vero ea quoque quae maxime propria fuisse videtur huic libro sententia (392b 23—29): esse praeter eam quam nos tenemus *οἰκουμένην* et alias multas

sive maiores sive minores, insulas quidem maris universi cuius pars est Atlanticum nobisque incognitas, haec quidem propter eam ipsam qua recedit a vulgari singularitatem et audaciam philosophicam antiquior videtur Eratosthene qui geographiae posterioribus unus fere praeceptor erat. Nam et Strabo ubi eandem aliquando coniecturam verbo significat (I, 103) loci Aristotelici videtur esse recordatus. Duos quidem esse orbes continentes (non vero plures) mari circumfusos multorum veterum opinio ferebat, praecipue Stoicorum (hos enim sequi videtur Cleomedes 1, 2 p. 10. 11. cf. p. 9 = D. L. 7, 156, non vero Posidonium cui de cingulo terrae torrido non assentitur p. 24 sq.) et Platonicorum (cf. Cic. Acad. 2, 39 de antipodibus sec. Antiochum; praeterea Melae duos orbes 1, 9, 4. 3, 7, 7, quem locum quod ad Hipparchum corruptum esse docet Plin. 6, 24. cf. Strabon. 1, 188. 178. 192 etc. Humboldt Exam. crit. de l'hist. de la géogr. T. I p. 113 sqq. 125—206. qui zonam torridam oceano obtegi sumebant terram cogitabant quadrifidam Macrob. 2, 9. cf. 2, 10, 10), non tamen ut videtur Eratosthenis (Str. 1, 103. cf. 107 sqq. 102. Senec. qu. nat. prol. 13); antiqua certe quippe a terrae forma globosa et antipodum cogitatione (quam Plato iam quodammodo iniicit Tim. 63a) manifesto pendens et in Platonis de Atlantide mytho (quem imitati sunt postea Theopompus et Plutarchus, et vel ipsa verba cf. Plut. de fac. lun. 26 et Tim. 25a) primum significata. Et Plato quidem quum dicat praeter Atlantidem illam Europa et Africa maiorem alias multas fuisse Oceani insulas minores (Tim. 25a) auctor fortasse fuit libri de mundo scriptori ut idem certi placiti instar et philosophici primus solusque fere proponeret, nam eundem hic Timaei locum atque adeo verba (Tim. 25c = de m. 400, 26. cf. Tim. 22c-d) etiam in doctrina illa de mundi partium interitu respexisse deprehenditur. Accedit ultimum quod supra tetigi: qui enim Mirabilia Aristoteli tributa e variis auctoribus excerpsit, Callimachi ut congruum est et qui hunc excerpsit librumque Aristotelicum ignoravit Antigoni Carystii simili operae intentorum sive aequalis sive potius paullo antiquior, hoc ipso iam libro usus est. Quae igitur omnia quum satis certa argumentatione constent, eadem quoque de Pseudopythagoreis auctoribus eidem fere tempori assignandis demonstratum est. Jam vero et hic auctor de mundo elato sermonis genere et Platonem divino ideae amore plenum redolente usus, quo rei quam explicat magnitudinem (cf. praef.) affectu quodam animi

praedicat ut ipsi passim Pseudopythagorici, mirum quantum distat ab aureo illo et sedato flumine Aristotelis, nec minus ille qui Rhetoricam scripsit ad Alexandrum regem sive *ὑπομνήματα περί τε τῶν πολιτικῶν καὶ τῶν δικανικῶν παραγγελμάτων* (1421 b 5. cf. Theophrasti *παραγγέλματα ῥητορικῆς* D. L. 5, 47). Hic enim rhetor plane est, quum in epistolica quam praemisit praefatione tralationibus et figuris distincta „ut verba verbis quasi demensa et paria respondeant, ut crebro conferantur pugnantia comparenturque contraria et ut pariter extrema terminentur eundemque referant in cadendo sonum," extollens ille rationis (*λόγου*) dignitatem (cf. Isocr. Nicocl. 5—9. *περὶ ἀντιδόσ.* 253—57. Panegyr. 47—49 etc.) et *τῆς τῶν λόγων φιλοσοφίας* et more plane Isocrateo et ipso vocabulo, tum eo ipso quod non artem ex priorum orationibus exemplisque describit demonstratque ut philosophus, sed in ipsum eorum usum qui se orationibus sive habendis sive scribendis (cf. c. 39 in. 30. 1436, 26) exercere velint (*περὶ τοὺς λόγους γυμνάζεσθαι* 1446, 35. cf. *κατὰ τὰ προγυμνάσματα* 1436, 25) praecepta tradit locosque (*τόπους* quasi rhetoricos) colligit sermone ad discipulum lectorem semper converso satis quidem exili (cf. repetitum illud *ἐξ ὧν εὐπορήσομεν*), eo tamen quem ab epistolae auctore minime seiungas (id quod voluit Spengel Art. script. p. 187, Anaxim. rhet. p. 93, eodem iudicii arbitrio quo idem in libro de mundo Osann Beitr. 1, 246 sq.): certe enim ridiculus fuisset aut potius insanus qui in docendo et in praeceptis eundem cui potuit in epistolico ethicoque sermone (similiter atque Isocrates in ipsis ethicis praeceptis ad Demonicum et ad Nicoclem) indulgere figurarum ornatum adhibuisset. Itaque sicut fecerant iam ante eum dudum recepto litterarum genere *τεχνογράφοι* multi (1420, 10. 1421, 39) ipseque Pseudaristoteles in praeceptis rhetoricis ad Theodectem scriptis et qui auctor fuit libri in Coracis veteris illius nomen editi — talem enim revera extitisse significare etiam ea videntur quae habent Syrian. Schol. in Hermog. status ap. Walz Rhet. Gr. IV p. 575 et Anon. Prolegg. in Hermogen. rhet. ib. p. 12 sq. cf. Spengel art. scr. p. 24 — quibus duobus se fontibus usum esse dicit 1421, 38 sqq., ita huius artis auctor exhibet *μεθόδους λόγων πολιτικῶν* (1420, 7. 1421 b 7. 1436, 28, cf. Isocratis illa *ἐπιστήμη τῶν πολιτικῶν λόγων* contra Soph. 21. cf. 9 sq. 16—18 etc.) quas e principali parte definit addens *καὶ δικανικῶν* (1421 b 4) ceterisque generibus demonstrativo sc. et deliberativo vere poli-

ticis — id quod sexcenties clamat Isocrates Socraticus ille inter oratores et philosophus, sicut bene sensit Plato et praedicavit in Phaedro sero scripto — opponens tamquam publico generi privatum (cf. etiam 1421 b 12. 18—19. 1445 b 27 et ipsum Arist. 1354 b 23, ubi politicis et publicis subiungit quodammodo genus laudativum deliberativo satis cognatum, cf. Ar. Rhet. 1367 b 36 *ἔχει δὲ κοινὸν εἶδος ὁ ἔπαινος καὶ αἱ συμβουλαί* etc. Quintil. 3, 7, 28). Omnis vero haec doctrina etsi mutatis in quibusdam vocabulis definitionibusque tamen et omni ordine (cf. e. g. locos de argumentis) et consilio eo artis ambitu nititur quo rhetoricam primus donavit Aristoteles (cf. Rhet. 1, 1. 2. Isocr. c. Soph. 19. Spengel art. scr. p. 13 sqq.), priorum praeceptis in iudiciali fere genere et *τοῖς ἔξω τοῦ πράγματος* versantibus. Et revera primus *τέχνην* scripsit Aristoteles, hic invenit: *τέχναι* enim dicuntur et orationum exempla arte scripta (*τεχνογραφικά,* quo pertinent et posteriorum *προοίμια* et *ἐπίλογοι* partium exempla), quales quidem fuere primorum ostentationis causa scribendi auctorum Coracis et Tisiae, item Gorgiae Eveni Poli Thrasymachi (cf. huius *ἔλεοι* ap. Ar. Rhet. 3, 1) et quae huius generis Antiphonti Lysiae Isaeo Demostheni tribuebantur, et dicuntur regulae ac praecepta ipsa instituendae ac disponendae orationis artificiosae velut quae erant Licymnii et qui clarissimus fuit Theodori Byzantii, quorum *τέχνας* tuetur Aristotelis testimonium, et postea Isocrateorum (Cic. de inv. 2, 3, 8. cf. praeter Platonis Phaedrum rhetoricae historiae primum exemplar p. 266 sq., Arist. Rhet. 3, 13. Isocr. *π. αντ.* 47. 183. 280. Panathen. 2). Multae vero etiam veterum illorum nominibus falso inscriptae ferebantur, velut Coracis Alcidamantis Antiphontis Theodectis Anaximenis Isocratis denique quem nullam scripsisse artem praeter ipsorum antiquorum suspiciones ex Aristotele ipsiusque Isocratis scriptis intelligas: quae enim postea legebatur Isocratei cuiusdam fuerit. Ceterum vel Isocrateorum artes (Cic. de inv. 2, 2) *τεχνικὰ* potius *παραγγέλματα* quam artes vocat Dionys. p. 722. Posteriorum autem ars Academiae (Cic. part. or. 40) et Peripateticis (Cic. Top. 2) maxime debetur (Quint. 3, 1, 15) et quibus ipsa dialecticae pars erat (D. L. 7, 41 sq.) Stoicis etiam: id est philosophis. Aristoteles enim primus ex orationum artificiis effecit artificii oratorii theoriam atque naturam, ille rhetoricae materiam in tria illa genera quibus sex modi sive species (*εἴδη*) comprehenduntur primus divisit, ille primus argumentationes (*πίστεις*) diligenter tractavit et divisit

(Quint. 5, 1) et ἐντέχνους addidit. Hunc sequitur rhetoricae ad Alexandrum auctor, nisi quod quum praecepta tantum dare properet a philosophia alienus et artis definitionem omnem omisit (diversus in hoc a Theodecteorum auctore cuius definitionem servavit Quintil.) et omnem trium generum rationem. Postquam enim divisionem Aristotelicam breviter tetigit, statim ad ipsas species animum advertit καϑ' ἓν ἕκαστον εἶδος ἀπολαβὼν (1421 b 15, non ut Aristot. 3, 14 sqq.): idque eo maiore quidem iure, quod ipse dicit inesse in omni genere omnes has species (c. 6. 1427 b 30—36. cf. c. 7), maxime tamen in eo cui proprie singulae quaeque subiungantur; ita in δημηγορίαις maxime sunt προτροπαὶ et ἀποτροπαὶ (1421 b 19), in ἐπιδείξει maxime ἐγκώμια et ψόγοι (1440 b 12, de quo igitur loco vana prorsus sunt Spengelii contra Lerschium verba ad Anaxim. p. 229. cf. 1426 b 18), in δικανικῇ πραγματείᾳ maxime κατηγορίαι et ἀπολογίαι; cui iudiciali generi (c. 37 init.) coniungit septimum εἶδος, τὸ ἐξεταστικὸν, quod solum per se non fere usu venit sed ceteris generibus mixtum est, et πολιτικοῖς ξυλλόγοις (qui sunt αἱ πανηγύρεις ludorum publicorum, cf. Isocratis Panathenaicus et qui mixti generis — cf. Quint. 3, 4, 14 — exemplum est Panegyricus: habet enim et suasionem et laudationem et Lacedaemoniorum sicut in Panathen. ἐξέτασιν cf. § 20. 129) aptum et τοῖς ἰδίοις (sc. iudiciis) et τοῖς δημοσίοις (qui sunt αἱ βουλαὶ et αἱ ἐκκλησίαι). Haec ἑπτὰ εἴδη ita in initio sine ratione ponuntur, ut ab ipso auctore non inventa esse neque sex illa neque septimum concludas, sed receptum ab alio quodam — inventoris enim erat demonstrare rationem, ipsa vero inventio theoretici non qualis hic est praecepta compilantis — scil. ex Theodecteis quae ipsa fortasse tangit Syrian. in Hermog. Rhet. Gr. IV, 60 Walz.: verba enim Aristotelis ab hoc citata (cf. Quint. 3, 7, 1) in artem certe ad Alexandrum inscriptam etiamsi cedas arbitrariae Spengelii correctioni minime quadrant, cf. c. 38. Speng. ad Anax. p. 101, in Theodecteis autem quibus se usum esse ipse auctor confitetur et definitio erat artis rhetoricae auctoris anonymi rationi consimillima (Quint. 2, 15, 10: „ducere homines dicendo in id quod actor velit") et ut in fonte consentaneum est eadem divisio. Syriani autem de Aristotele testimonium si consonum est de Anaximene Quintiliani, non statim inde sequitur eundem librum voluisse utrumque, praesertim quum veri minime simile sit post Andronici πίνακας in omnem posteritatem valentes

opus Aristoteli tributum alio ab aliis titulo inscriptum fuisse, etiamsi de Aristotelis auctoritate dubitaretur. Deinde si vel concedamus Pseudaristotelis librum, sive fuerint Theodectea sive quod arbitrarie sumitur Rhetorica ad Alexandrum, Anaximenis nomine significasse Quintilianum vel significatum repperisse in antiquiori quem exscribit auctore, non sequitur revera illum Anaximenis fuisse, historici quidem clari sed in arte mediocris nihilque proprii tentantis (Dionys. p. 722. cf. 974. 626), ne tum quidem si quod necesse est post Aristotelis mortem — Spengel ante Arist. voluit art. scr. 188 — scripsisse Anaximenem sumamus (cf. C. Müller Scr. rer. Alex. p. 34. Anax. fr. 15—17). Quum vero hic auctor tria illa genera singulatim describat ita ut demegoriarum nomen latius patens in solum *γένος προτρεπτικὸν* diserte coerceat (cf. c. 3. max. 1423, 20—27. 1436b 39 etc.) nec comprehendat eodem nomine laudativum, profecto quod vocabulo *ἐπίδειξις* non saepius sed bis tantum usus est, verum a parte designans, sicut idem *τὸ δημηγορικὸν εἶδος* simpliciter *τὸ προτρεπτικὸν εἶδος* 1440b 3. 8. cf. 1436, 39 et *τὸ κατηγορικὸν εἶδος* pro universo iudiciali 1441b 30, cum Cicerone etiam (velut Top. 24. part. or. 3, 10. 28, 98) et Quintiliano (3, 7, 28) Stoicisque (D. L. 7, 42) dicere praefert genus laudativum i. e. *ἐγκωμιαστικὸν* (cf. ipsum Arist. 1358b 27. 38. cf. 1, 9, sive ab utraque qua definitur parte *τὸ ἐγκωμιαστικὸν εἶδος καὶ τὸ ψεκτικὸν* ad Alex. c. 4. 36 vel *ἐγκώμια καὶ ψόγοι*), de quo usu diserte Quintil. testatur (3, 4, 12): id quidem si tamen aequali iure iuxta posita tria revera genera (*γένη* sive *εἴδη*: haec enim vocabula apud Graecos auctores et ipsum Aristot. ibi quoque commutantur ubi distincturi videbantur, velut in categoriis. ita hic *τῶν τριῶν εἰδῶν* i. e. *γενῶν* c. 18 fin. 1432b 8. cf. c. 29. 4 extr. et 7) nec unum in duo divisa exhibet, uti cuivis legenti manifestum est, parum referre patet nec quomodo cuiquam imponere suam coniecturam Spengel potuerit ego intelligo. Omnis enim libri divisio haec est ut altera pars (de inventione) complectatur *λόγων μεθόδους καὶ μέρη* (7) et quidem I *περὶ τῶν εἰδῶν* c. 2—6, quae sunt 1) *αἱ προτροπαὶ καὶ ἀποτροπαὶ* c. 2—3 (cf. 1421b 17 et c. 3 extr.) 2) *τό τε ἐγκωμιαστικὸν εἶδος καὶ τὸ ψεκτικὸν* c. 4 (cf. 1425b 34) 3) *τό τε κατηγορικὸν καὶ τὸ ἀπολογητικὸν εἶδος* c. 5 (1426b 22. 1427b 9) et 4) *τὸ ἐξεταστικόν εἶδος* c. 6. II *ὧν προσδέονται κοινῇ* c. 8—29, et quidem 1) *πίστεις* c. 8—18 2) *τά ὑπόλοιπα* quae (S. 18 fin.)

χρήσιμα παρὰ πάντας τοὺς λόγους c. 19—29; — altera deinde pars (cf. c. 29) de dispositione partium agat 1) *πρῶτον μὲν ἐπὶ τῶν δημηγορικῶν καὶ προτρεπτικῶν* (1436b 39) c. 30—35. 2) *τὸ δὲ ἐγκωμιαστικὸν καὶ τὸ κακολογικὸν* (1440b 5) c. 36. 3) *τό τε κατηγορικὸν καὶ τὸ ἐξεταστικὸν* (1441b 30. cf. 1445, 28) c. 37. 38. Additur tertia pars (c. 39 usque ad 1446, 35) de ipsius oratoris morum probitate et apud auditores auctoritate. Ceterum ut hoc quoque adnotem in praefatione pro obscuro illo *οἱ Πάριοι λεγόμενοι σοφισταὶ* legendum censeo *οἱ παρά τισι λεγ.*

Perlustratis his pseudepigraphorum generibus, quae licet ab Aristotele aliena quodammodo tamen et argumentis et librorum forma sermoneque ex Aristotelis exemplo ducuntur, saepe in libris et priorum sententias recensente et *ἀπορίας* disquisitioni praemittente et historica inducente singulosque in ipsa universa doctrina locos accurate deinceps tractante, physicorum adeo problematum et physicarum historiarum revera auctore, reliquum est librorum genus et sententiae ratione et disputationis forma ab Aristotelis ingenio plane recedens nec ullo similitudinis vestigio in servatis eius libris significatum, dialogorum, qui si alia sunt quae disputandi formam sermonisque et gratias et tenorem nimis negligunt, eo ipso quod nimium formae concedunt damnantur. Quam diversitatem accedente argumenti natura populariter scripti, cuius rei ipsum consilium ab Aristotelis mente abhorret, ita senserunt veteres ut explicationis quadam desperatione exotericorum librorum ficto discrimine ab acroamaticis (i. e. *αὐτοπροσώποις*) eos et esotericis seiungerent, voce usi quam male intellexerant ipsius Aristotelis. Dubitationes enim illae et quaestiones quae ipsam qua diluerentur doctrinam solent praecedere (tamquam *πεφροιμιασμένα τῷ λόγῳ* Polit. 7, 1) cf. Metaph. 2, 1. de an. 1, 2. Anal. post. 2, 19 etc., eae aliorum plerumque et aequalium e sententiis (cf. Metaph. 2, 1 in., Top. 1, 14) repugnantibus deductae sunt sive ut saepius dicit Aristoteles ex exotericis sive externis sermonibus (i. e. non suis, non propriis cf. *ἐξωτερικαὶ πράξεις παρὰ τὰς οἰκείας* Pol. 7, 3. *ἐξωτερικωτέρα σκέψις* ib. 1, 5, opp. *οἰκειώτερον* Ethic. 1, 12. *ἐξ. ἀγαθὰ* Pol. 7, 1 = *τὰ κύκλῳ,* Stahr Arist. II, 272 cuius plane confusa est de hac quaestione disputatio II p. 237—279, quam fere sequitur Brandis Arist. I, 101—9), omnino ille non de libris scriptis cogitans nisi per accidens, nedum de suis ipsius sed de receptis tunc temporis in philosophia locis (cf. Michelet ad Eth. ed. II p. 29 sq.)

et Platonicorum qui dominabantur in vulgus latis definitionibus, velut de animae partibus (Eth. N. 1, 13), de triplici bonorum divisione et vita beata (Eud. Eth. 2, 1. cf. Eth. Nic. 1, 8. Polit. 7, 1. Eth. N. 1, 3), de idea boni et omnino de ideis (Eud. Eth. 1, 8. Metaph. 12, 1), de rerum publicarum formis diversis (Polit. 3, 6. cf. praeter Platon. eadem fere apud Xenoph. et Isocr.), de discrimine inter *ποίησιν* et *πρᾶξιν* (Eth. N. 6, 4), de temporis definitione (Phys. 4, 10): quae omnes fuerunt Platonicae quaestiones in vulgus notae, ab oratoribus etiam et sophistis occupatae et fere communes: quapropter Eth. Eud. 1, 8 *οἱ κατὰ φιλοσοφίαν λόγοι* i. e. eorum qui tunc erant philosophiae magistri Platonicorum (cf. *οἱ ἐν τοῖς λόγοις* i. e. Platonici idearum magistri Metaph. 8, 8 fin.; *οἱ κατὰ φιλ.*, *τὰ κατὰ φιλ.* i. e. philosophi, philosophemata, opp. *τὰ κατὰ τέχνην, τὰ κατὰ φύσιν,* cf. de part. an. 1, 1. Polit. 3, 12. 8, 7 etc.) et *ἐξωτερικοὶ λόγοι* (i. e. iidem Platonicorum quatenus in vulgus manarant extra philosophiam sermones) una coniungnntur. Idem igitur sunt *οἱ ἐξωτερικοὶ λόγοι* atque *οἱ ἐν κοινῷ γιγνόμενοι* (ita enim appellantur de an. 1, 4 Platonicae ex Phaedone argumentationes contra Heracliteorum et medicorum et Empedoclis de anima quae sit contrariorum in corpore elementorum harmonia sententiam, non illam Pythagoreorum ut Plotinus etiam hunc sine dubio locum respiciens sumebat 4, 7, 8 p. 862 Cr., cf. Philol. 177 sqq. qui etiam in animae tripartitae vel quadripartitae tribusque corporis vel quatuor organis inditae placito apud Boeckh. p. 159. 191 quod Pythagoreis tamquam Platonis magistris tribuere solent, cf. praeter fragmenta Plac. ph. 4, 4. 4, 5. Posidon. Gal. V, 478. 425 etc., Platonicus est cuiusque verbis — velut quoad imaginem vocis *ῥίζωσις* opp. *ἀνάφυσις* Galen. V, 531 sq. cf. 656. 199. cf. Chrys. ap. Gal. 288. 362. Alcin. c. 17. Arist. de gen. an. 2, 7. 745 b 25. cf. 740, 26. de part. an. 2, 3. 650, 18—26 etc. — ex Arist. et Galeno multa possunt comparari, cf. etiam similem quandam divisionem Pseudo-Pythagorici ap. D. L. 8, 30. Tim. Locr. p. 99—100) et *τὰ ἐγκύκλια* (cf. *τὰ ἐγκύκλια* i. e. phaenomena nota et vulgaria Meteor. 1, 1. *ἐγκύκλια διακονήματα* Polit. 1, 7 etc.) *φιλοσοφήματα* (de coelo 1, 9 de eo quod deus sit immutabilis, Eth. N. 1, 3). Quum igitur dialogorum quoque auctorem docere viderent sententias quae non essent Aristotelis immo vulgaribus et Platonicis aptiores (cf. Alex. ap. David. in Cat. 24 b 35 *ὅτι ἐν τοῖς ἀκροαματικοῖς τὰ δοκοῦντα αὐτῷ λέγει καὶ τὰ ἀληθῆ, ἐν δὲ τοῖς διαλογικοῖς τὰ*

ἄλλοις δοκοῦντα τὰ ψευδῆ), hos dialogos interpretabantur esse exotericos quos Aristoteles vocat sermones itaque excusabant argumento sumto e Platonicae doctrinae forma symbolica, multarum hac ineptiarum matre (neque enim aliunde profecerunt etiam fabulae istae de Aristotelis sicut Pythagorae discipulos instituendi ratione, de ipsius Platonis doctrina secreta in scriptis libris non exposita aliaeque), ut acroamatica dicerent *τοῖς ἑταίροις* scripta, exoterica vero *τοῖς πολλοῖς* (Galen. IV, 758) sive *τοῖς ἀνεπιτηδείοις πρὸς φιλοσοφίαν* (David in Cat. 24 b 14 sqq.): „*ἀλλ' οὐκ ἔστι τοῦτο φιλοσόφου*" (David 24 b 37) neque illud neque hoc. Dialogi autem illi ita instituti erant, ut ipsi auctores praemisso prooemio (Cic. ad Att. 4, 16), omni tamen ornatu dramatico qualis Platonis fuerat neglecto (Basil. epist. 135 p. 327. T. III P. II ed. Paris. 1839), quae ipsi docentes magis quam invenientes disputassent ea deinceps alio tempore cum sociis communicarent: ita Aristotelis qui ferebantur (Cic. ad Att. 13, 19. cf. *ἔφην* in fr. *π. εὐγεν.*; quem Cicero morem imitatus est in l. de finibus et in posteriore Academicorum et librorum de Republica editione), ita sine dubio etiam Theophrastus (velut in Callisthene etc.), ita Heraclides qui omnes suos libros veteribus laudatissimos (D. L. 5, 86. 89) scripsit dialogo in multis tamen etiam Platonicum morem ut non interesset ipse secutus (cf. Cic. ad Att. 19, 3. ad Quint. 3, 5, sicut ipse quoque sine dubio interdum Aristoteles velut in Gryllo Menexeno), ita Epicurus (Plut. adv. Col. 6) in cuius symposio sicut in Heraclidis dialogo *περὶ τῶν ἐν οὐρανῷ* (cf. Boeckh Kosm. syst. d. Plato 134—40) anonymus quidam (*τίς*) inducitur auctoris praesentis et disputantis tuens sententiam (cf. praeterea dialogorum titulos e discipulorum personis sumtos ut Metrodorus Timocrates etc. D. L. 10, 27 sq. ita Polyaenus in Symposio cf. D. L. 10, 24). Quos inter dialogos referendi sunt omnes illi libri ethici maxime (qualis Theophrastei quoque ut *περὶ πένθους, εὐδαιμονίας* etc.) argumenti quos index Diogenis primos enumerat (id quod recte Brandis quoque posuit Aristot. I, 82 sq. ceterum librorum quibus dividebantur numeri satis incerti sunt, maxime qui apud Dschemaleddinum) et quidem praeter libros *περὶ φιλοσοφίας* et libros quibus dialogorum index apud Diog. finitur *περὶ τἀγαθοῦ* dogmata Platonica referentes de quibus supra dictum est et libros *περὶ ποιητῶν* (cf. Wenr. 143. dialogus de poetis vita Nunn. p. 12) de quo item hi fere: libri *περὶ δικαιοσύνης* (W. 142. Suid. s. *Εὐρύβατος*) in

quibus inducebatur aliquis *τὴν Ἀθηναίων πόλιν ὀδυρόμενος* a Macedonibus scil. captam (fr. ap. Demetr. *π. ἑρμην.* 28 p. 17 Walz.); *Πολιτικός* sive de republica et praestante viro, ut ait Cicero ad Quint. 3, 5, ad illius normam sibi iam placere nuntians de republica dialogos suos ita mutare ut ipse loquatur cum Quinto fratre sicut in Academicis cum Varrone; *Γρύλλος ἢ περὶ ῥητορικῆς* (Quintil. 2, 17, 14) subtilia quaedam argumenta continens sitne ars rhetorica quaerentis; *Κορίνθιος* (Themist. Oratt. p. 295 Hard.) sermonem ducens e Platonis Gorgia eiusque admiratore quodam rustico (cf. Theophrasti *Μεγαρικός* D. L. 6, 22); *Σοφιστής* (W. 142. D. L. 8, 57); *Μενέξενος*; *Ἐρωτικὸς* (W. 144. Athen. 15, 674, ubi lib. secundus citatur, cf. 13, 564), quae de more quaestio fabulis morumque exemplis aptissima omnibus fere quatuor sectarum Theophrastei aevi et postea philosophis in deliciis erat; *Συμπόσιον* (Plut. Symp. I prooem.) sive (sicut Epicuri convivium D. L. 10, 119. Plut. Symp. 3, 6 et Theophrasti cf. Plut. non posse suav. 13 et Athenaei citationes plurimas de quibus v. indic., et Hieronymi cf. Plut. Symp. I prooem. Athen. 10, 424. 11, 499. cf. praeterea Speusippi *Πλάτωνος περίδειπνον* D. L. 3, 2. Dionis Academici — de quo Strabo 3, 431. Cic. pro Caelio 10. Stob. fl. 19, 17 — convivium Plut. Symp. I pr. Athen. 1, 34 etc. etc.) *περὶ μέθης* (Apollon. mir. 25. Macrob. 7, 6), in quo auctor res convivales illustrans multus erat in Homero explicando id quod facere eum in aliis quoque dialogis solitum esse et Dio Chrys. testatur Or. 53 p. 634 ed. Emperius (velut in libro *π. εὐγεν.* ap. Athen., *περὶ ψυχῆς* ap. Sextum) cum Plut. Non posse suav. 13 (ubi falso nunc legitur *καὶ Ἀριστοφάνους περὶ Ὁμήρου* pro *Ἀριστοτέλους*) et confirmat fragm. ab Athenaeo 15, 674 citatum, cf. praeterea ubi idem liber citatur Plut. Symp. 3, 3. cf. 3, 7, 3. 3, 8, 1. Athen. 2, 44. 10, 429. 10, 447 (cf. 1, 34). 11, 464. 14, 641. cf. 2, 40. 11, 496 (de eodem argumento convivali ab Aristotele certe alieno tractabant etiam Aristotelis *νόμοι συμποτικοί* Athen. 1, 3. 5, 186. cf. Procl. in Remp. cit. Fabric. III p. 398 H. sive *συσσιτικός* apud D. L. 5, 26. cf. *προβλήματα συσσιτικὰ* Anon., Hadschi Khalfa ap. W. 159); *περὶ πλούτου*, ex quo libro sumtum esse locum illum communem et moralem quem post citatum Theophrasti librum *περὶ πλούτου* (cf. D. L. 5, 47) ex Aristotele affert Cicero de offic. 2, 16 bene vidit Fabricius (ad hunc fortasse librum pertinet citatio Philodemi in l. IX de virtut. et vitiis col. 21: *ὅπερ Ἀριστοτ. ἔπαθεν κατὰ*

τὸν ἐν τῷ περὶ π . . . . λόγον ὑπὲρ τοῦ τὸν μὲν ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ χρηματιστὴν ἀγαθὸν εἶναι τὸν δὲ φαῦλον καὶ χρηματιστὴν φαῦλον, ὡς ὁ Μητρόδωρος ἀπέδειξεν); *Προτρεπτικός* (cf. Wenr. 142), in quo cum Themisone regulo Cyprio collocutus ad philosophiae studium et hunc et lectorem cohortatus est (cf. Teletis epit. ap. Stob. fl. 95, 21. Alex. in Top. Sch. 266, 18. Olympiodori Prolegg. Sch. 7, 14 = Cram. An. IV p. 391, ex quo sua hausit David Prolegg. Sch. 13, 2) — nam de dialogo quam de oratione ad Themisonem quales ad Philippum et Nicoclem dedit Isocrates cogitare malo: similiter enim compositus videtur fuisse liber *περὶ βασιλείας πρὸς Ἀλέξανδρον* (Wenr. 143. Philopon. in Categ. Sch. 35b not., cf. Philop. vita Ar. et vita Nunn. p. 13: „scripsit Alexandro librum unum de regno, docens ipsum qualiter oportet regnare"), item liber cui titulus fuit *Ἀλέξανδρος* (cf. C. Müller Scr. rer. Alex. praef. p. V) *ἢ ὑπὲρ ἀποικιῶν* i. e. *ὅπως δεῖ τὰς ἀποικίας ποιεῖσθαι* Philop. in Categ. l. c.; deinde liber *περὶ εὐχῆς* (nusquam praeter indices laudatus, nam quae secundum Menagii Observ. in Diog. L. Amstelod. 1692 p. 193 affert Fabric. Nonii et Simplicii testimonia, ea nihili sunt et erronea); *περὶ παιδείας* sive *παιδευτικός* (W. 143. cf. D. L. 9, 53); *περὶ ἡδονῆς* (W. 145); *περὶ εὐγενείας* (W. 143), in quo libro more plane et peripatetico et academico quali bonorum generi (sc. *τοῖς ἐξωτερικοῖς ἀγαθοῖς* sive ut dicit auctor Rhet. ad Alex. 36 *τοῖς ἔξω τῆς ἀρετῆς*, opponens *τὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀρετῇ ὄντα*) accensenda sit nobilitas et quae ipsius sit natura (Plut. de nobil. 7) quaerebatur: qui tamen liber vel propter illam de bigamia Socratis narrationem (Athen. 13, 556 *ἱστορῶν τοῦτο ἐν τῷ π. εὐγ.*) multis quoque aliis Peripateticis narratam, quam ipsi apud Stob. fragmento inepte Luzac obtrudit Lect. Att. p. 94 sq., a Plutarcho merito reiicitur (Aristid. 27): nam omnino fallitur Stahr (Arist. II, 108 sq.) qui eo quod ipsorum tantum Plutarchi et Athenaei ex coniectura atque ex vulgari de Aristotele huius libri auctore opinione dictum est ex Aristotelis libro ceteros hausisse rem et amplificasse, ad Aristotelem verum auctorem stabiliendum utitur (eodem vitio de Eroticis idem cogitat). Aristoteles vero quum in Politicis (cf. 3, 13. 4, 8) et Rhetoricis (2, 15. cf. Rhet. ad Alex. 36. 1440b 37. a2. 7) saepius externa illa bona (cf. *περὶ πλούτου* Polit. 2, 16) eandemque definitionem tangat quam habent fragmenta ap. Stob. (*ἡ εὐγένεια ἀρετὴ γένους* cf. Stob. 88, 13) ita tamen loquitur, ut neque antea iam de hac re dixisse

neque haec omnino accuratius executurus fuisse putandus sit (cf. Luz. p. 92). Ipsa vero illa fragmenta quae ipse de nobilitate locos colligens Stobaeus exscripto prius Plutarchi *περὶ εὐγενείας* libro (cf. Stob. 86, 21. 22 = Plut. de nob. 10. Stob. 86, 12 = Pl. 1. St. 86, 7 = Pl. 16. St. 86, 14, ubi locus de Theognide ex Xenophonte Megarensi ap. Plut. citato = Pl. 15) tamquam Aristotelis ponit Stobaeus fl. 86, 24. 25. 88, 13, eadem etiam in Plutarchei libri excerptis iisdem verbis leguntur, non solum sine nomine Aristotelis (cf. 88, 13 = Pl. 14) sed adeo sub alienis: primi enim fragmenti verba ex Philonis Academici, secundi e Posidonii quodam cum Tuberone dialogo petita esse diserte Plutarchus ait. Fieri tamen potest ut non solum reliqui duo sed hic etiam qui dici videtur Posidonii locus ex Plutarcho Aristotelem citante re vera sumta sint: nam praeter quod ita sibi similes illi loci sunt ut ad eundem pertinere auctorem videantur, ut recte ait Wyttenbach ad Plut. Vol. V, 2 p. 970, quodque ex Aristotele locos plures adhibuisse eum verisimile est qui initio statim hunc librum omnino huc maxime facientem citat (c. 7 extr.), iam ex Arnoldi Ferroni versione latina (Lugd. 1556) ex codice paullo pleniori (cf. c. 14 et 20. J. C. Wolf Anecd. Gr. IV praef. p. 11) facta intelligimus eum qui ex integro Plutarchi libro Graeca haec excerpta selegit ita fuisse versatum ut non solum prooemium et finem, sed etiam auctorum citatorum locos plurimos (in codice Ferroni auctorum tantum nomina omissa erant, cf. Wolf praef. p. 5. 10) et ipsius plerumque omitteret Aristodemi verba Stoici cuiusdam, cuius librum quendam locis appositis (cf. verba Aristodemi ut dicit Stob. *κατὰ εὐγ.* c. 10 et in vers. lat. c. 14. 20. eundem increpat c. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 12. 18. 21. auctores de re rustica tres citavit Aristod. c. 20 in. sec. vers. lat., cf. Tullius c. 21) refutavit Plutarchus, abbreviator autem nomen eius in margine notare satis habens illorum loco ut ceterorum testimoniorum quae omisit asteriscum posuit. Plane falsum enim est quod et Wolf (p. 10 praef.) qui primus hunc librum e codice tunc Hafniae reperto post Fabricii specimina B. Gr. XII p. 268—75 edidit et Wyttenbach (l. c. p. 946. 976 cuius omnino plane perversum de hoc opere iudicium est) de dialogo cum Aristodemo cogitant. Ita factum est ut omitteret is qui codicem Wolfii scripsit c. 14 in. mentionem libri de nobilitate Aristotelis, ex quo tamen sec. Stobaeum locus hic ductus est id quod praeclare ostendit versio Fer-

roni in qua integra illa exstat Aristotelis citatio. Eodem modo verisimile est c. 18 Posidonii locum omissum esse ante verba Aristotelis de nobilitate citata, quae Plutarchus opponere solet Aristodemo Aristotelis Politicis nitenti (cf. c. 6—9): corrigendum enim sine dubio est c. 18 in. pro Philone (licet idem vitium etiam sit in vers. lat.) ὁ δὴ φιλόσοφος (sc. Arist.). Restat Eudemus ἢ περὶ ψυχῆς (in quo persona erat Eudemi Cyprii Dionis amici, cf. Plut. Dion. 22): quem maxime fere dialogum spectare videntur ii qui de discrimine dicunt librorum aut acroamaticorum aut dialogicorum. Hic enim auctor sermone satis rotundo et pro Aristotele certe subliminiori, argumentatione etiam rhetorica et qua uti in hac re solent Stoici πρὸς τὸ πιθανὸν facta disputat sicut Plato antea et Aristoteles (de an. 1, 4. Polit. 8, 5) contra eos qui animam esse dicerent corporis ipsius et elementorum harmoniam (cf. Simplic. et Philop. ad Ar. l. c.), velut etiamtunc praeter medicos Dicaearchus et alii certe ut omni tempore multi, atque insurgens animi quodam affectu, qui tamen ex parte quadam Ciceroniani sermonis nitori debetur, deos esse asserit et ordinem mundi divinum divinamque hominis animam et immortalem quae sicuti in somno se ipsam quasi recipiens colligat ita post mortem a corporis vinculis solvatur in vitam beatam (cf. Arist. fr. ap. Cic. n. d. 2, 37. Sext. Empir. p. 395 Bekk. quae ex hoc dialogo ducta esse eo est verisimilius quod nec praeter hunc alii conveniunt nisi forte ignoto illi περὶ εὐχῆς et Eudemi fragmento apud Plut. Cons. ad Apoll. 27 simillima sunt). Haec patet magis etiam quam librum de mundo sapere Academiam (cf. de fr. libri π. φιλοσοφίας ap. Simpl. Ravaisson sur la Mét. I, 68), abhorrere vero ut plurimum ab Aristotelis studiorum ratione, immo ingenio eius esse prorsus indigna; quippe cui una vera theologia sit prima philosophia quae licet obscurata insit tamen ipsi populari religioni (Metaph. 11, 8 quapropter vel vulgi placitorum interdum verbo rationem habet, de Coelo 1, 9. cf. Eth. 10, 8), immortalitas vero quam credit vulgus animarum eius de intellectu doctrina plane removeatur, ita tamen ut numquam ipsa commemorata refutetur a viro scil. sensualis theologiae plane incurioso nisi quod ut fere solent philosophi dei utitur vocabulo pro substantia intellectuali designanda mentisque lege et necessitate mundum movente resque omnes movendo formante (quapropter et quae inde manat hominis mens sive forma humana divina dicitur cf. Eth. 10, 7. de gen. an. 2, 10. 4, 10 et

reliquae res omnes ex uno naturae principio participantes), similis vel ipsi Platoni qui ipso de animae immortalitate Phaedone dialogo hanc ipsam negat immortalitatem animae declarata mentis sua ipsius natura universalis et a corpore et generatione solutae i. e. idearum aeternitate (idem Arist. de an. 3, 5. de gen. an. 2, 3) — immortalis enim mens est quatenus est causa cogitandi et notionum actualitas i. e. immortales solae sunt ipsae notiones — quemque eundem Platonem deum artificem i. e. mentem ordinasse mundum et naturam universam sermone Timaei poetico perhibentem recte ita intellexit Aristoteles Platonis genuinus discipulus ut ipsa natura sit *δημιουργός* et mundus aeternus. Non igitur ipsi scribenti ea imputanda sententia est qua in religionis patriae mythica forma excusanda et explicanda usus est (cf. Metaph. 11, 8. 2, 4. 2, 2), ea quidem ut scriberet non veritati, sed opinioni vulgi et civitatis utilitati. Quod si in Legibus maxime Plato instituit (ab Academicis mox et Scepticis certi placiti instar arreptum cf. Tim. Locr. 104 d. Philo ed. Pfeiffer II, 410—18. Plut. de genio Socr. 9. Arnob. adv. gent. 6, 25. Sextus Emp. p. 394. 397. 401 sqq. de Cicerone cf. Krische Forsch. p. 6 etc.) ita tamen ut ipsam popularem religionem in astrorum cultum reformaret symbolicum et hominis illud ingenio poetico et sermoni quem adamavit mythico et fabuloso convenit, et consilio oratorio et politico quod in omnibus adeo Platonis libris tamquam fons et causa dominatur; Aristoteles contra ipsi tantum rei rerumque naturae intelligendae intentus mythicum omne genus et religiosum adeo contemsit neglexitque, ut nisi quod in Politicis simpliciter saepius affirmat deos esse colendos (cf. 7, 9) et divinae auctoritatis speciem in utilitatem civium legislatori adhibendam ipse nunc legislator commendat, ne tangeret quidem in libris de anima illam de immortalitate vulgi aeterne infantis opinionem et ratiocinationem quam in Eudemo longo sermone explicasse dicitur, in hoc nimirum solo scripto veritatis quam praedicat non sincerus amicus suamque ipsius deserens sententiam (Metaph. 2, 4): — *ἀλλὰ περὶ τῶν μυθικῶς σοφιζομένων οὐκ ἄξιον μετὰ σπουδῆς σκοπεῖν.* Immo vero tanta per omnes libros opinionis constantia consensuque poetico Platonis dicendi generi eique quod ipse ait *μεταφορὰς λέγειν ποιητικὰς* (Metaph. 1, 9), quocum ipsum dialogorum genus cohaeret et omnis ratio utpote ex eodem fonte poetici Platonis ingenii prognatum, Aristoteles adversatur — pro more sane criticorum aevi antiqui omnium quibus maxime semper

ingrata fuit generum contaminatio et prosa oratio fastu poetico mixta quibusque (velut Dionysio) acri vituperatione digna videbatur Platonis in Phaedro sublimitas —, ut in hoc certamine omnis eius sensus mentisque indoles radices quasi agere indeque ali ingenium videatur, ut qui bene intelligeret circa verba differri plerumque hominum sensus et verbis ut plurimum decipi, liberandam igitur penitus esse philosophiam ab ornatu illo poetico qui Platoni quidem rerum unitate vera nunc primum reperta esse ideas identidem inculcanti, utpote rerum sensibilium quasi victori et religioso quodam amore at ab illo quod Aristoteli est τὸ φιλοσοφίας διψῆν maxime diverso triumphanti facile adhaesit, removendum esse illud quod cogitandi ratione in unitatis gaudium directa et intuitiva fere et poetica nititur interpretandi arbitrium in Platone quidem ad omnia fere secula aeternum atque cedere debere disputationi iustae et certo consilio procedenti et oratione plana et perspicua et ipsi notioni eiusque evidentiae adaequata pulcritudinem illam quae ut incedit velata specie ita numquam non amatur quia numquam satis introspicitur. Etenim si in eo fere historia religionis continetur ut animus recte sentire quibus religetur et ab ipsa sapientia vera amare edoceatur, iam omnis in eo est philosophiae historia ut mens humana discat loqui. Atque haec quidem causa est cur Aristotelis in ipso contra Platonis ideas contra animae partes et alia multa certamine, quorum sensum ubi non pugnat sed docet et narrat optime perspexisse intelligitur, et summa iniustitia fuerit et in ipsa iniustitia summum ius summaque auctoritas. Fuisse autem hanc Aristotelis propriam indolem et mentis eius quasi substantiam eandem iam antequam ad Platonem accederet nec demum longo viginti annorum errore et ingenii certamine emersam diu post Platonis mortem effulsisse quum libros nunc servatos scriberet nec multis iam et e Platonis fere sententia libris compositis quos ita postea reiiceret ut numquam eos verbo commemorare dignaretur ad propriae rationis confidentiam et virtutem eum pervenisse, id certe si ingenii eius monumenta spectas aversus a fabulis illis quas veterum de vita eius inscitia tulit sibi repugnantes fideque indignas, aversus ab annorum numeris illis docti Apollodori coniectura fultis et necessarium videtur et manifestum. Certe qui per viginti annos et a tenera adolescentis septemdecim annos nati aetate (ab Ol. 103, 1 et archonte Nausigene usque ad Ol. 108, 1) Platonem assiduus audivit magis Platonicus fuisset quam fuit Ari-

stoteles. Dixit illud Apollodorus et posteri omnes crediderunt. Nimirum Platonem audivit Aristoteles, sophistas vero et philosophos adire inde ab ephebiae fere tempore Graeci adolescentes consueverunt; viginti ergo annos Athenis cum Platone fuit ab ea inde aetate qua primum philosophiae operam dedisse eum par erat usque ad id tempus quo ipse magister vita defunctus successori cessit pro Alexandrinae aetatis more tunc ex discipulo scholarcha. Simili ratione quum Aristotelis consuetudine usum fuisse Alexandrum notissimum esset, a prima regii pueri quindecim annos nati adolescentia usque ad Philippi mortem filiique in regnum successionem praeceptorem illum fuisse continuo fingebant ita ut postquam ab Ol. 109, 2 — 111, 2 in Macedonia versatus fuerit et in regia Pellae aula, anno demum Ol. 111, 1 munere functus Athenas rediisse Apollodori coniectura Aristoteles diceretur. Nam ut de ceterorum huius maxime aetatis scriptorum vitis id fere solum constabat quo quisque anno mortuus esset ita etiam de Aristotele. Inde retro calculos ducebant. Annos natum sexaginta tres vita illum Ol. 114, 3 decessisse accepit Apollodorus idemque Philochorus: natus ergo fuit Ol. 99, 1 et Platonis ut ille coniiciebat discipulus usque ad a. Ol. 108, 1. Verum si certus est mortis annus, ne annorum quidem numerum certo testimonio constitisse docet Eumelus Peripateticus — qui quidem auctor Alexandrinus ut puto et satis antiquus praeter D. L. 5, 6 citatur apud Schol. in Aeschin. Timarch. p. 230 Bekk. Berl. acad. abhdl. 1836 (*Εὔμηλος ὁ περιπατητικὸς ἐν τῷ τρίτῳ περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας φησὶν* etc.) — qui septuaginta annos accepit: natus ergo fuit Ol. 97, 2; docet Philochorus qui sec. Olymp. in vita Nunnes. quorundam opinionem refutare conatus est quadraginta annos sub Platone moratum fuisse Aristotelem „tempore Odoxii" (sic Jo. Wal., Eudoxi Nunn.) dicentium, quum vulgaris opinio quadragenario Aristotele Platonem decessisse ferret. Nec certe magis reliqui Apollodori de rebus vitae eius numeri audiendi sunt, quippe quos ex eius cum aequalibus velut Alexandro commercio mera coniectura posuit ille secutus ut credo epistolarum illam fictitiarum collectionem amplissimam, in qua et Aristotelis et huius discipulorum epistolae et Alexandri eiusque militum et propinquorum ferebantur plurimae brevissimaeque, historicis non quidem inutiles quippe ex quibus plurimum hausit in vita Alexandri (cf. c. 7. 8. 17. 20. 22. 29. 41. 42. 46. 55. 57) sicut ex Platonis epistolis in vita Dionis Plutarchus probus

quidem vir at minime criticus, sed rarius tamen (bis tantum ab Arriano citantur 6, 1. 7, 23) a veteribus adhibitae quam quae praeter res privatas (cf. c. 42) novi et proprii multum continuisse putandi sint (cet. cf. Cic. de off. 2, 14. 15. Suid. s. Antipater. Philippi epistolarum liber ap. Gell. 9, 3. Stahr Aristot. 2, 191 sqq.), quasque auctoritate omni carere sicut Socraticorum et reliquae apud D. L. philosophorum veterum epistolae omnesque adeo quae huius temporis auctoribus doctam aetatem praecedentis adscribuntur iis exceptis quae non epistolae essent sed orationes forma epistolari de rebus publicis conscriptae velut Isocratis epistolae et Platonis septima et specimina docent ex Andronici libro servata (Gell. 20, 5 = Plut. Alex. 7 etc. cf. praeter servatas Arist. epist. ap. Stahr etiam Theophrasti (D. L. 5, 50) et Eudemi in Sch. Arist. epistolas et ep. ad Phaniam Theophrasti D. L. 5, 37, in qua nomen scholastici cf. Ps.-Arist. ap. Schol. Platon. p. 211 Turic., Stratonis ad Arsinoem aliosque epistolas D. L. 5, 60 etc. quae omnes spuriae) et alia exempla plurima velut Crateri illa ad matrem epistola (ap. Strabon. T. III p. 275) ad Gangem usque venisse Alexandrum inepte perhibentem (cf. C. Müller Introd. ad Pseudo-Callisth. p. XVIII). Quam parum in his curare temporum rationes consueverint auctores documento est quae inter Aristotelis a Laertio epistolas memoratur ad Democritum eundem sine dubio Abderitam ad quem et Hippocratem litteras dedisse fingebant: non enim scribebant illi ut fallerent homines, verum ingenii causa (cf. ep. Hippocr. ad Demetrium Antigonum etc. Aristippi nomine hominis luxuria famosi librum insigniebant *περὶ παλαιᾶς τρυφῆς* licet in hoc ipso de Aristotelis amoribus fabulae narrarentur D. L. 5, 3). Epistolas Aristotelis ad Philippum quas praeter viginti alias ad varios separatim ponit D. L. ter citat Olympiodorus (in vita Nunn. p. 12. 13), semel Harpocration (*καὶ Ἀρ. ἔν τινι τῶν πρὸς Φίλιππον ἐπιστολῶν* etc.) s. *ὅτι ξένους* (quae sub iisdem verbis eadem repetit Suidas); epistolas ad Antipatrum Demetr. de eloc. 225 p. 97. Aelian. v. h. 14, 1 etc. Quas Aristotelis epistolas qui primus collectas suisque fortasse auctas octo libris (sec. David. et Dschem.) edidit Artemon quidam, Cassandrensis fortasse ille id quod ex ceterorum huius librorum titulis sane verisimile est (*Ἀ. ὁ τὰς Ἀρ. ἐπιστολὰς ἀναγράψας* Demetr. 223 p. 97. cf. Gregor. Nazianz. epist. 165 p. 876 ed. Paris. 1609: *τὸ πυκτίον ὅπερ εἴληφας παρ' ἡμῶν τὰς Ἀριστοτέλους ἐπιστολὰς* etc. idem Artemonis nomen latere

sub „Arta" illo Dschemaleddini ex quo Aretam fecit Casiri recte dixit Roeper Lectt. Abulph. p. 24 not.), hic in praefatione ut videtur huius libri dicens (Demetr. l. c.) *ὅτι δεῖ ἐν τῷ αὐτῷ τρόπῳ διάλογόν τε γράφειν καὶ ἐπιστολάς· εἶναι γὰρ τὴν ἐπιστολὴν οἷον τὸ ἕτερον μέρος τοῦ διαλόγου,* satis significat epistolas quoque sicut dialogos rhetore potius auctore dignas fuisse quam philosopho scriptasque certo consilio eoque quod docti viri est et rhetorici: quo factum est ut Demetrius *πῶς δεῖ ἐπιστέλλειν* exponens exempla ducat ex Aristotelis epistolis quem adeo contendit *μάλιστα ἐπιτετευχέναι τοῦ τύπου ἐπιστολικοῦ* (230 p. 98. idem iudicium sequuntur Simplic. in Cat. Sch. 27 not. et Photius epist. 207 cf. Menage Observ. ad D. L. p. 198). Ipsa etiam praeter figurarum usum frequentem (cf. Arist. ap. Demetr. 154 p. 72 = 29 p. 18) harum litterarum quaesita quaedam brevitas rhetores prodit auctores rhetorici illius de necessaria epistolarum brevitate praecepti (cf. Demetr. 228 p. 98) bene memores. Itaque si dialogorum et epistolarum genera haec litterarum rhetorica aeque merito damnantur, antiquissimas tamen fuisse credo ut ceterorum plurimas velut Platonis et Hippocratis et Cratetis et Diogenis (cit. D. L. 6, 23) etc. ita etiam Aristotelis epistolas, ut adeo sicut ex Demosthenis epistolis discipulum hunc fuisse Platonis ferebatur (Cic. Orat. 4. Brut. 31) ex his sumsisse credam Apollodorum ceterosque Alexandrinos velut ipsum Eratosthenem (cf. Plut. Alex. 2) quae de vita Aristotelis tradidere plurima. Quod de viginti illis annis quibus Platonem audiverit ex Olympiodori constat testimonio qui illud ex epistolis ad Philippum Apollodori coniecturam praeparantibus refert (p. 12): quae epistolae ut posteriorum de Aristotelis et Alexandri consuetudine opinionem nimis augendo corrumpebant, ita ipsae iam hominum de hac re fabulis manifesto nituntur. Quid quod vix nato Alexandro filio ad Aristotelem scripsit Philippus, sperare se fore ut summi philosophi cura et institutione educaretur! In iisdem vero epistolis legebantur ea quae regum favore et Atheniensibus (cf. D. L. 5, 2) et suae discipulorumque patriis benefecerit (vita Nunn. p. 13. cf. Aelian. 12, 54). Nec dubito quin ex iisdem quoque de itineribus eius audiverint in Theophrasti et Phaniae terram natalem factis et ad Hermeam Platonis quondam ut ex huius epistolis falsis notum est cum Corisco in Aristotelis libris cum Socrate pro frequentissimo entis individui exemplo memorato (ceterum et ipse ut videtur dynasta fuit Hermeae vicinus, cf.

Plat. ep. 6) discipulum, ex iisdem quae de amicitia cum Hermea quam spectavisse etiam videtur epistola illa *πρὸς Μέντορα* D. L. 5, 27 (de quo cf. Magna mor. 1197b 21. Oecon. II 1351b 33; de ep. ad Philoxenum cf. Oec. II 1351b 36) fabulati sunt (cf. Ar. ep. ad Antipatrum ap. Euseb. pr. ev. 15, 2 ex Aristocle citatam), quae de Callisthene (cf. Alex. ep. ap. Plut. Al. 55), de secessu in Chalcidem (cf. David. Sch. 26b 28 etc.) alia; item ex discipulorum fortasse epistolis quae de morte eius varia et absurda narrabantur. Quae omnia ut diversis modis pleraque traduntur sibi invicem fidem derogant omnemque adeo Stahrii vitam Aristotelis meram fabulam esse persuadent. Carmine adeo celebrasse eum fingebant Hermeae mortui virtutem, ut scil. qui in omnibus litterarum generibus excelluerit ne poetae quidem laude caruisse videretur (cf. D. L. 5, 27: *ἔπη* et *ἐλεγεῖα*. cf. Theophrasti *ἐγκώμια θεῶν* D. L. 5, 47) et quum oratoriae artis princeps fuisset, virtutem quoque oratoriam et dialogis scriptis et epistolis et carminibus demonstraret et adeo etiam ipsis orationibus tam ex laudativo genere repetitis (cf. *ἐγκώμια πλούτου* et *λόγου* ap. Anon.) quam ex iudiciali. Nam quum similiter atque Socrates fuerat accusatum fuisse impietatis causa et Aristotelem fingerent qui secessus illius causas quaererent, atque adeo sive veneno Socratis exemplo interfectum sive ut in epistolis erat ad Antipatrum datis (vit. Nunn. p. 16 = David. l. c.) Socratis fato fugae ereptum perhiberent, facile scripsisse putabatur *Ἀπολογίαν εὐσεβείας* contra Eurymedontem (cf. Favorin. ap. D. L. 5, 9. 5. cuius orationis ab An. inter pseudepigrapha relatae fragmentum est apud Athen. 15, 697). Quae ficta omnia et commenticia voluisse etiam Apollodorus videtur, senem Aristotelem ut fere ceteri mortales *νόσῳ* decessisse sua coniectura commendans. Jam vero sequitur Aristotelis vitam nobis ut ipsis Graecis esse plane ignotam, si pauca exceperis haec fere: scil. audivisse eum Athenis cuius scripta lectitaverat Platonem disserentem — et quidem ut credo eo profectum quam iam et annis et sententiis maturus esset paucisque ante magistri mortem annis sex fere vel septem. Veritati enim propius videtur Eumelus qui Aristotelem voluit triginta annos natum ad Platonem accessisse, id quod ipso Timaei in Aristotelem invehentis vituperio probatur sophistam hunc *ὀψιμαθῆ* appellantis (ap. Polyb. p. 1393 Gron. fr. 74. 70. Aelian. 5, 9). Ut vero sui iam ingenii Athenas venit, ita iam ante Platonis mortem ipsum docuisse rationi potius credas quam Aristoxeno

(ap. Aristocl. sec. Olympiod. Nunn. p. 14. cf. 12) qui vel de Alexandro (Plut. Alex. 3) fere aequali fabulis non abstinuit. Deinde eum videmus in Macedonia degisse cum Alexandro (an Theocriti Chii epigramma ap. Aristoclem Euseb. l. c. Diog. L. 5, 11. Plut. de exilio 10 genuinum sit nescitur), Athenas postea — quo anno ignotum est — reversum; quibus post Alexandri mortem (Ol. 114, 1) quum democraticae factionis turbas utpote Macedo et monarchicis partibus addictus metueret denuo relictis, Chalcidem petiit (sive mavis Macedoniam et Chalcidicem et amicum Antipatrum cf. praeter vitam graec. textum latinae ap. Nunnes. hoc loco corruptae ap. Jo. Walensem Compendil. 3, 5, 3: „Et Antipater suscipiens Alexandri regnum in honore Aristotelem habuit non minus quam Alexander") ubi vitam finivit Ol. 114, 3.

Quae quum ita sint, ultimum refugium aliis quoque de causis supra memoratis contemnendum praecluditur iis qui quae ad unum omnia spuria fuisse contendo opera Aristotelis deperdita eo tutari velint, ut iuvenis ea et viam tentantis fuisse existiment, praesertim quum vel dialogica post mortem Platonis scripta fuisse sicut ea quae nunc leguntur inde a Topicis omnia huius aevi in scribendo si sequentia secula comparas parcioris et studiorum rationi conveniat morumque urbanitati et verecundiae discipuli. Neque enim fere scribebant veteres antequam sua cuique sententia constaret nec ut solent nostrates inter scribendum discebant et ipsorum quasi reperiebant sententiam ante subobscuram, sed perfectam demum scripto mandabant non postea mutaturi. Ita in Aristotelis quoque libris compositionis quidem et artis progressum si cum prioribus physica et zoica conferas facile agnoscas, at ipsius doctrinae et philosophiae nequaquam. Jam vero ex ea quoque re sequi fere videtur numquam dialogos scripsisse Aristotelem quod in ipsis studiorum initiis logicis eum potius quaestionibus iisque ingenio eius maxime propriis novisque quam ethicis deditum intelligimus — quae enim de Aristotelis Rhetoricorum tempore dixit Stahr, ea ficta sunt — quodque omnes illi libelli singulares res easque diversissimas nullo inter se nexu coniuncti tractantes in eo scriptore merito suspecti sunt, cuius in ambitu philosophiae universo mente praeoccupando et amplissimis iisque quae totam quamque disciplinam eiusque locos comprehendant operibus quum quasi typo ante descripta essent certo partium ordine perscribendis summa patet ingenii vis roburque, cuiusque omnia quae legimus

scripta intima hac consilii necessitudine coniuncta, ut aliud ab alio respicitur singulique libelli cuius partes sunt doctrinae revera huic subiuncti fuisse ipsius Aristotelis verbis indicantur, ita suam ipsa auctoritatem tuentur. Quid quod multo maiore iure quam Plato, cuius fere libri ut sunt separati suum quisque finem sequuntur licet hi ipsi fines necessario quodam ordine aliique ex aliis quasi prognati seriem constituant ex ipsa re magis quam auctoris consilio factam, multo igitur maiore iure Aristoteles putandus est consilio quodam certo non solum singulares doctrinas excoluisse sed omnino in scribendo ab hac ad illam doctrinam processisse (cf. etiam Kopp Rh. Mus. vet. III, 94. Ritter 3, 24 sq.), ita quidem ut primum profectus sit a logicis disputationibus, quia scil. illo tempore quo in ipsis Socraticorum scholis tanto usu tantaque celebritate florerent dialecticorum artes et ludibria quanto Platonis iunioris aetate ethica, sicut ethicas Platonem ita Aristotelis quoque studia primum advertisse logicas res, quibus omni futuro philosopho ut ille moralis doctrinae ita hic logicae theoriae auctor evaderet, et consentaneum est — ipse quoque qua re analyticis studiis perfectis debeant sequi physica et metaphysica exponit Metaph. 3, 3 — et ipsis Aristotelis librorum suorum citationibus certissime probatur. De quibus quidem citationibus (Ritter 3, 35 sq.) multi aliterque alii iudicarunt omnes tamen, quum inter sese repugnare plurimas viderent, quaestioni huic universae inutiles omnino eas et sive ab ipso auctore sive ab aliis postea lectoribus pro lubito adiectas esse declamantes. Quod minime ita se habet. Mihi potius quo singuli libri pro temporis ratione se excipiant ordine quam brevissime deinceps enumeranti externa haec argumenta quippe manifestissima, quum ipsi rationi simul consentire ea nec si modo recte omnia explicaveris opus esse arbitraria illa interpolationum fingendarum ratione reperiatur, pro fundamento erunt disputationis universae. Etenim reiicienda prorsus sunt illa testimonia ubi auctor significans de re aliqua in alia disciplina melius dici et aptius, quum in omnem philosophiae quod ad ipsam sententiam perfectae atque in libros singulos distributae ambitum oculos quasi convertat, quaedam quae mente iam studiisque constant exponenda esse alio in loco volens exposita esse alibi id est exponi nuntiat, sicut praesens saepe est pro futuro et pro dicetur dicitur, ita usus perfecto in modum perfecti futuri et philosophiae locos partesque mente iam quasi praeexistentes indicans. Esse igitur

saepissime *εἴρηται* illud Aristotelis pro eo quod est *εἰρήσεται* et per se satis congruum est et variis interdum lectionibus (420b 21. cf. 421, 6) probatur et exemplis manifestis multis, cf. e. gr. 284b 13. 539, 20 (731, 29). 696, 12. 1174 b3. 1366, 21. 1404b 28 etc. iisque omnibus ubi perfectum illud contradicitur temporis definitione certa et diserta. Quod ita et fieri potuisse et saepissime fere fieri in omnibus scriptoribus qui universam quandam doctrinam eiusque partes diu praeparatas tradunt quivis videt. Certa igitur testimonia sola haec sunt ubi vel futuri usus (adde adj. verbal. *λεκτέον*) vel imperfecti (*ἐλέγομεν*) vel adiecta quaedam temporis definitio accurata (*πρότερον* — *ὕστερον*) omnem prohibet dubitationem. Imperativus modo futurae quaestionis est modo perfectae, velut ubi dicitur *εἰρήσθω* et saepissime *ἔστω* (cf. 699b 31) et *κείσθω ἐν* — (1456, 35. quapropter vel 192b 1: *εἰς ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἀποκείσθω* non ut de opere futuro intelligas necesse est). Ubi verbum finitum omissum est, scil. *ἐστί*, quod fere fit in formulis illis *δῆλον ἐκ* — sive *φανερόν, ἄλλος* s. *ἕτερος λόγος,* saepe id pro *ἔσται* accipiendum.

Hac igitur ratione si citationes sequimur, prima fuerunt quae et in ipsa philosophia prima sunt eiusque quasi parant introitum, logica scripta et ea quibus omnino disputandi methodi explicantur Topica et quibus, quae verae dialecticae est *ὄργανον* (Waitz Org. II, 293) et philosophicae demonstrativa ratiocinatio, Analytica. Et Topica quidem ante Analytica esse scripta, id quum se invicem sine temporis additione semper citent ita ut omnibus locis perfectum *εἴρηται* sensu futuri accipi possit (Top. 8, 11. 13. Anal. pr. 1, 1. 30. 2, 17), ex ipsorum tamen librorum ratione certissime iam omnibus constat (cf. Brandis Reihenfolge der bücher des Org. p. 253. 258). Sicut autem ipsorum Analyticorum prima pars (*τὰ πρῶτα* An. post. 2, 12. 96, 1 = pr. 2, 5. Brandis p. 260) in secunda tamquam praecedens indicatur (cf. etiam totius libri finem post. 2, 19), ita Topica, quibus primus Aristoteles primo opere artem syllogisticam (Elench. 33. 187, 37 sqq. cf. Top. 8, 5. 159, 34 sqq.) sive methodos inveniendorum syllogismorum *ἐκ τῶν ὑπαρχόντων* (155b 7) dialecticorum prius *τριβῇ* (184 b2) celebratas explicavit ipsius syllogismi naturam postea quaesiturus et quae ex ea pendet philosophicam demonstrationem, duobus constant partibus, id quod in operis universi epilogo Elench. 33 exponitur (cf. El. 2 fin. ubi sicut saepe in ethicis et physicis primam partem dicit *τὰ ἄλλα*

p. 165b 10, ubi male praefert v. l. ἐν ἄλλοις Waitz II, 531), arte scil. dialectica (Top. II—VII. cf. D. L. 5, 29 πρὸς μὲν οὖν τὴν εὕρεσιν τά τε τοπικὰ καὶ μεθοδικὰ παρέδωκε προτάσεων πλῆθος), cui adiuncta est πειραστική (Top. VIII. πῶς δεῖ ἐρωτᾶν 8, 1. cf. 183b 10, de inveniendis syllogismis ἐκ τῶν δοκούντων τῷ ἀποκρινομένῳ 183b 5. cf. v. 2. 159, 34. cf. v. 18 et omnino maxime 8, 5. cf. Brandis 255, licet idem nunc aliter Arist. 1, 345; quae sunt μὴ ἀγῶνος χάριν — ἀλλὰ γυμνασίας καὶ πείρας ἕνεκα ut cet. dialectica Top. 8, 5. 11), et altera quae nono Topicorum libro (Gumposch p. 101 sq. Waitz II, 528 sq.) continetur ars sophistica περὶ τῶν ἀγωνιστικῶν καὶ ἐριστικῶν συλλογισμῶν, cf. D. L. l. c. πρὸς δὲ τὴν χρῆσιν τά τε ἀγωνιστικὰ καὶ τὰ περὶ ἐρωτήσεως (cf. 159, 30, sc. de interrogatione sophistica, non dialectica) ἐριστικά τε καὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων τε καὶ συλλογισμῶν καὶ τῶν ὁμοίων τούτοις. Topica vero quum tradant τὴν διαλεκτικὴν μέθοδον τῶν συλλογισμῶν i. e. indagationem ex locis collectis — τόποις — factam (cf. Rhet. 1358, 4. 5) sive locos modosque quibus μετιτέον (128b 10) ad omnia problemata — est enim ἡ πρόθεσις τῆς πραγματείας μέθοδον εὑρεῖν ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων i. e. ex sententiis vulgaribus et exotericis (cf. Anal. 46, 29) in praeceptorum potius dialecticorum collectionem quam theoriam sive ut solet iustam πραγματείαν philosophicam dicere μέθοδον —, eadem fuisse patet Topica et quae semel dicit Arist. (Rhet. 1, 2) Methodica, quae octo et ipsa libris comprehensa recenset qui Topica omnino praetermisit index Diogenis Laertii. Eandem enim de syllogismi et inductionis duplice in dialectica methodo genere sententiam, quod idem discrimen in rhetorico etiam argumento (1358, 5) obtinere ait, nunc in Topicis (1356b 12) nunc in Methodicis citat prius explicatam (Top. 1, 4. cf. Anal. post. 1, 1). De Analyticis (cf. Sch. Ar. 25, 6. 143, 45) falso cogitavit Gumposch p. 124: Analytica enim non docent methodos quas appellavit Aristoteles, sed eius quam nos dicimus methodi naturam: sola igitur Topica apte ab Aristotele dici potuerunt Methodica. Quod quum is quoque auctor quem exscribit D. L. l. c. intellexerit, fuerunt tamen qui ita Aristotelis locum explicarent ut singularem quendam Methodicorum librum licet ipsis ignotum significaverit, ut Dionysius (Rhet. p. 730 sq. et fortasse etiam Simplicius in Cat. 47b 41, non tamen ut credo quem exscribit Porphyrius,

qui respexerit ipsum locum Top. 1, 9. cf. 1, 15. 106b 29 — 107, 2 et Sch. ad h. l. Jam vero in his ipsis logicis libris et scribendi initiis — quae quidem initia in ipsa quadam Topicorum agnoscas prolixitate, licet cum operis huius et indole universa praeceptivaque et ipsa eius novitate coniuncta, quam modestia quadam in nullo alio postea libro conspicua ad lectores (non auditores, quos ipse ab illis ὑμῖν distinguit audientes scil., ut fere Graecorum veterum et sophistarum in scholis mos erat libros perscriptos et absolutos praelegendi, aliis legentibus) conversus ipse excusat in epilogo —, et in Analyticorum etiam compositione non satis perfecta neque omnibus numeris absoluta, integra tamen — minime enim credendum iis qui haec neque ab Aristotele perfecta neque edita esse aut ab aliis postea magnis locis interpolata esse contendunt (cf. Brandis de Analyt. iudicans Arist. 1, 112. 155. 224. 226. 281 et Gumposch de Topicis, deque Rhetoricis ubi cf. 1, 15 et Poeticis Spengel G. Hermann, Michelet de Ethicis deque aliis alii), ratione huic aetati omnino non apta et prorsus novicia et reiicienda, nostratibusque relinquenda quibus scribere est vivere et doctiori aetati opera postuma ferenti et primis saepe lineis adumbrata et ex praelectionibus erubescente Musa consarcinata, — iam in his igitur logicis ut in ceteris omnibus aperto certamine magistrum oppugnat (cf. Anal. pr. 1, 31 etc. et ubi ipse Plato eiusque definitiones citantur Top. 4, 2. 6, 2. 3. 10: non enim Top. 6, 2 de Platone comico cogitandum esse omnis loci nexus docet, sed spectavit fortasse Arist. Platonem in discipuli alicuius dialogo disserentem nisi potius erravit memoria lapsus), ipsa contrariarum sententiarum certitudine compluribus post Platonem annis haec scripta esse docens, sicut quae continuo sequuntur Rhetorica de quibus cf. Brandis in Schneidewini Philologo 1849 p. 8—10 (cf. 1, 9. 1368, 20 ὅπερ Ἰσ. ἐποίει) post mortem Isocratis († Ol. 110, 3) et ut credo Theodectis Phaselitae saepissime citati qui paucis annis ante expeditionem Persicam vita defunctus videtur (Plut. Alex. 17). Isocratis imprimis orationibus exemplisque tota illa ars ab Aristotele condita nititur eiusque vel maxime senis hic citat orationes *Φίλιππος* et *περὶ ἀντιδόσεως* (1418b 27), numquam vero Demosthenem cuius vel ipsum nomen (cf. 1401 b 32) incertum et dubium est Rhet. 2, 23. 1397b 7, quo loco quum notarum neutram Demosthenis causarum (Ol. 112, 3 et 113, 4) spectari posse sententiae nexus doceat, aut de ignota quadam oratoris causa cogitandum est

aut de alio omnino Demosthene quodam cum Nicanoris cuiusdam ignoti interfectoribus nescio qua necessitudine coniuncti: erravit enim Dionysius qui de oratore cogitans vel post tempora causarum illarum fieri posse ut edita fuerint Rhetorica eo loco ait, ubi de hoc libro quo tempore scriptus sit accurate disputat id quidem pro certo efficiens, ut post Ol. 110, 2 (Rhet. 2, 23. 1397b 31. cf. Dionys. p. 739—45) composita esse Rhetorica constet. Quae quum dialecticae simul (cf. 1358, 29) et ethicae sive politicae doctrina sit affinis (Rhet. 1, 1—2. 1356, 26. 1359b 10), quaedam tamen quasi pars est dialecticae (1356, 30) huic ea quoque de causa cognata, quod *πρὸς δόξαν* ambo et *πρὸς τὸ πιθανόν* (cui ipsi inservit *τὸ συμφέρον*) et ex notis concessisque aut logicis aut ethicis sententiis proficiscentes methodos exhibent de quacunque re aut disputandi aut dicendi. Quum vero et oratori ut commoveat animos maxime sit opus de moribus scire et virtutibus et affectuum ratione, facillime Aristoteli a rhetorica disciplina transitus ad ethicam parabatur, quae ita in Rhetoricis quasi mente iam praecipitur ut in Topicis analytica et vera scientia. Et sane scripta esse Rhetorica post Topica non solum, de quo nulla potest esse dubitatio (cf. *ἐλέγομεν* 1355, 28 et *εἴρηται πρότερον* 1356b 12), et propterea ut consentaneum est (licet enim saepissime citentur in Rhetoricis 1, 2. 2, 25 Analytica, loci tamen hi omnes nihil probant) post Analytica etiam: praecedet enim demonstrandi theoria universa persuadendi artem et rhetoricam demonstrationem (Anal. pr. 2, 23. Rhet. 1359b 10. cf. 3, 13. 17. 2, 20—26) logica, — sed eadem scripta esse ante Ethica ex eo sequitur quod quae de rebus moralibus velut de bono (1, 6. 7), de virtutis definitione et partibus (1, 9), de virtutibus (1, 5), de amicitia (2, 4), de voluptate (1, 11), de vita beata (1, 5), de rerum publicarum generibus (1, 8) et de omni politica doctrina (1, 4. cf. 1359b 17) disseruntur, cf. etiam praeceptas (*ἔστω*) illas in Rhet. secundo *παθῶν* definitiones 2, 1—11 cf. 1378, 28, manifesto praecedunt ea quae in Ethicis post Analytica scriptis (cf. Eth. 6, 3 *ἐλέγομεν*. sua Analytica citat Eudemus in Ethic. Eud. 1, 6. 2, 6. 10. cf. *ἔφαμεν ἐν τ. Ἀν.* M. M. 1201b 25) definita sunt, in quam disputationem — *τὴν περὶ τὰ ἤθη πολιτικὴν* — ut certiorem ampliorenque et magis philosophicam eiusque et moralem partem (cf. 1, 6. 1362b 5 de virtutibus *χωρὶς ῥητέον* cf. 1366b 23) et civilem (1359b 6. 10. 17. 1366, 20) ipse nos ablegat. Ethica autem Spengelio adversatus (Abhdl. d.

Münchn. acad. 1840. III, 1, 465—68) integra credo et duplice illa de voluptate disputatione ratione etsi non necessaria tamen aptissima ab ipso Aristotele revera instructa: priori enim quaestione utrum bona sit an mala voluptas (7, 12. cf. 7, 15. 1154 b 33) ita diremta ut distinctione facta utrumque negetur, omnis ethicae virtutis quae circa voluptates versatur et aegritudines maximeque quae praecedit intemperantiae natura in libidinis affectusque mediocritate, at non in neganda voluptate posita stabilitur; postea vero non iam de voluptatibus quaeritur quae bonae sint quaeve malae, sed potius de ipsa voluptatis natura, quae non sit in qualitate posita, eiusque definitione tali ut non sit *γένεσις* ut volebant Platonici secundum Philebum sed motus et actionis finis; qua quidem definitione praeparatur illud et comprobatur quo universa iam ethica doctrina perficitur, *τὸ τέλος τῆς ἠθικῆς* optimum esse affectum sc. voluptatem illam quae optimae actionis et virtutis finis est et *τῆς εὐδαιμονίας* fundamentum. Quum igitur utriusque rei causa de voluptate dicendum esset primaque insuper disputatio Eudemeorum consensu tuta sit in quibus eodem post temperantiam loco de voluptatibus agebatur (Eud. 3, 2. 1231 b 2. cf. 1249, 17. altero vero loco haec quaestio praetermittitur), secunda autem velut secutura citetur iam in libro nono (9, 9 = 10, 3. cf. M. M. 2, 7 in.), nec tamen post universam ethicam collocari — id quod male fecit Magnorum Moralium epitomator ut bis de eadem re agere vitaret — posset quae huius doctrinae cuius *προαίρεσις* de beatitudine et virtute de voluptate et amicitia ut exponatur postulat (cf. 10, 10. cf. 10, 6) principalis quaedam pars est quaestio de amicitia, — hac enim quum omnis societatis et domesticae et civilis fundamento sit amicitia (cf. 8, 1. 8, 11—13. Eud. 7, 1 etc. 9 et Platonem in Legibus), ab ethica ad quam pertinet illa utpote circa privatos transitus patebat quum et ipsa esset societas 1160, 28 ad politicam doctrinam —, in Ethicis Nic. merito duobus illis de amicitia libris VIII et IX praeceditur qui doctrinae finis est decimus de voluptate et beatitudine. Contra Eudemus, quem ut solet sequitur epitomator ille qui ex suo quaedam mutans addensque (velut id quod ethicae fini adiecit de recta ratione agendi norma — *τὸ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον* — M. M. 2, 10; quae sc. quaestio in prioribus ethicis ut promissa, cf. Eth. Nic. 6, 1. M. M. 1, 35, ita non disertis verbis absoluta videretur) moralem Peripateticorum doctrinam compendio exposuit, Eudemus igitur qui quum beatitudinis loco ethicam doctrinam finiret exposita ipsa uni-

versali virtute quae ei est καλοκἀγαϑία (7, 15. M. M. 2, 9) Platonicis id quodammodo concessisse videtur, post librum de amicitia — lacuna tamen est ante c. 13 — quibusdam de ratione virtutis et scientiae additis (7, 13 = M. M. 2, 3. 1199, 16 sqq. cf. 1, 35. Eth. N. 6, 13. nihil huc spectat locus 1206, 36, quod falso voluit Spengel p. 503) felicitatisque solummodo cum beatitudine discrimine exposito, ut de voluptate denuo agere noluit ita eam quae huic coniuncta est quaestionem de beatitudine Aristotelis ipsius Ethica et incipiente et finiente (Eth. N. 1, 10. 1099 b 14. cf. 10, 7. 10, 6. 1176, 32. b 2. 1177, 11. cf. 1, 5 sqq.) alteram reiecit, satis habens initio primi libri de hac dixisse (neque igitur ad sequentem aliquam et hoc loco ut voluit Spengel p. 505 perditam de beatitudine disputationem spectant verba M. M. 2, 7. 1204, 19. 2, 8. 1206 b 30, sed ad universum tantum ethicae finem, cf. 1, 4), in aliis quoque ille permutans rerum ordinem (at non in melius cf. M. M. 2, 1. Nic. 5, 14. 6, 11), in brevius contrahens, quaedam interdum clarius dedita opera distinguens (cf. Eth. N. 3, 1. Eud. 2, 7), Aristotelis ipsius Ethicis i. e. iis quae Nicom. posteri inscribebant quaeque ipsis illis mutationibus ac corrigendi studio manifesto respicit, necessario posterior est; hocque ipso Eudemo recentior Magnorum qui vocantur Moralium scriptor qui vel a sermone Aristotelis longius iam recedit, ut docet e. gr. illud φησί quo solet contrariam inferre sententiam, docet constans ille usus et frequentissimus praepositionis ὑπέρ pro περί de qua re dicatur quaeraturve significantis (cf. vel cap. 1 ubi undecies occurrit et similiter in seqq.), qui usus in ipsius Aristotelis scriptis rarus Theophrasti fere tempore dominatur, id quod huius aliorumque scriptorum praeter libros de plantis servatos vel fragmenta docent (ap. Schneider.) atque in ceteris quoque libris Aristoteli falso tributis saepe reperitur nec non in perditorum quorundam titulis D. L. 5, 25. cf. 22, velut ὑπὲρ τοῦ μὴ γεννᾷν (quem titulum male intellexit cum aliis Brandis Arist. 1, 91). Ceterum notandum est perditos Ethicorum Eudemi libros qui promittuntur 2, 5. 10. 11. 3, 1, revera tres fuisse numero: citatur enim septimus de amicitia apud D. L. 5, 21 (et quidem simpliciter ἐν τῷ ἑβδόμῳ τῶν ἠϑικῶν) = 7, 12. 1245 b 20 cf. Nic. 9, 9. 8, 6. In quibusdam codicibus Eud. 7, 13 sqq. esse pro octavo libro adnotat Bekker p. 1246. Ethica igitur vera Aristotelis, duobus illa moralis doctrinae praecipuis partibus constantia (cf. ἄλλη ἀρχή Eth. 6, 1. M. M. 2, 4. cf. Eth. 7, 11. 1152, 13 ἐν τοῖς

πρώτοις λόγοις = 6, 13. 1144. cf. 4, 10 in.) et post Speusippi († Ol. 110, 2) certe mortem scripta (cf. 7, 14. 1153 b5 ὡς γὰρ Σπ. ἔλυεν) ut iusto prooemio et plane Aristotelico de universae disciplinae politicae, quae scil. de bono humano agit non de metaphysico (1, 4. M. M. 1, 1), fine ac methodo et minore certitudine (cf. 1. 7. 2, 2. Pol. 7, 7) verum auctorem testantur — Eudemea enim et Magna Mor. quum Aristotelis opera locus finisque disciplinae non iam dubius esset omni et prologo carent et epilogo, nisi quod in M. M. quaedam de morali philosophia historica auctor et propria praemittit nexumque ille qui est inter ethicam et politicam iam inde ab initio 1, 1 significat partem esse ethicam politicae docens — ita cum altera doctrinae politicae parte et Politicis libris uno consilio eoque uberius in fine exposito cohaerent continuata (cf. 1, 1. 10, 10 sqq. 5, 5. Polit. 3, 9. 1280, 18: εἴρηται πρότερον ἐν τοῖς ἠθικοῖς) eodem tempore (cf. etiam 7, 13. 1332 b 7 φαμέν) id est post Philippi († Ol. 111, 1) mortem scriptis (5, 10. 1311 b 2. nihili sunt quae profert Göttling in praef. ad Arist. Polit. Jenae 1824 p. 26 sq.) at ante expeditionem Indicam (Ol. 113, 2) cf. 7, 14. 1332 b 24, immo omnino ante bellum Persicum (cf. 3, 3. 1276, 28 ubi de Babylone ex veteri quodam scriptore dicit. contra ex loco 7, 7. 1327 b32 nihil tale concludi potest), scriptis igitur Ol. 111, 2. Politica autem quia re domestica quae ipsa potius Graecis est publica nititur respublica, ab oeconomicis rebus profecta — primus enim Politicorum liber est Oeconomicus, cf. 3, 6. 1278 b18 ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις περὶ οἰκονομίας estque ἄλλη ἀρχὴ 1278 b20 libri secundi qui doctrinam de variis reipublicae formis lib. III—VI explicatam historia doctrinae civilis praeparat — septimo (7, 15 sqq.) et octavo περὶ παιδονομίας (1335 b 4) libro ad civium vitam qua nititur publica legibus instituendam (cf. 7, 13. 1332, 35 πῶς ἀνὴρ γίνεται σπουδαῖος) et ad reliquas demum res domesticas redeunt, mulierum servorumque conditiones et cetera bona quomodo iis utendum. Sanus enim est atque integer traditus librorum ordo tenorque nec concedendum est neque in illam opinionem qua multa nunc lacunis perdita esse et corrupta olim asseverabant (de qua re Göttling in praef. Polit. p. 6. 25) neque in dubitationes illas de librorum serie antiquas quas uberiori disputatione nuper exposuit Barthélemy St-Hilaire (ed. Politic. Paris 1837. préf. T. I p. 141—172) hunc statuens ordinem: 1. 2. 3. 7. 8. 4. 6. 5. Nam alterum quidem quod ipse invenit

sextum librum inter quartum et quintum esse interponendum, id citationum quibus ad quintum in sexto libro respicitur auctoritate iusta et integra, quam a St-Hil. negatam (p. 160. 166) per omnem hunc librum a recentiorum levi arbitrio tutam ostendo, facile refutatur, cf. 6, 5. 1319b 37. 6, 4. 1319b 5. 6, 1. 1317, 37 (de quo loco quum manifesto spectet ad 5, 9. 1309b 18 sqq. cf. etiam 6, 4. 1319, 7 etc., minime vero ad 3, 8 sqq., falso iudicavit St-H. 166 sq.) et maxime ipsius libri sexti prooemium, ubi quae in quarto (novo inde a 4, 14 principio sumto) et quinto libro (cuius initium cum clausula sexti ad praecedentem *περὶ ἀρχῶν* disputationem cf. 4, 8. 1321b 5 spectante nihil commune habet nisi ipsa formulae solennis verba ita ut nesciam quid sibi velit St-H. p. 158 sq.) e consilio antea exposito (4, 2. 1289b 10—26) tradiderat postquam breviter in mentem revocavit, transit ad id quod dedita opera omiserat (5, 1. 1301, 19 *σχεδὸν εἴρηται π. π.* cf. 6, 1. 1316b 37 *εἴ τι λοιπόν* et 1317, 4): *πῶς χρὴ καθιστάναι τὰς δημοκρατίας καὶ τὰς ὀλιγαρχίας* (6, 7 extr. cf. 6, 1. 1317, 15), sc. ad varios singulorum reipublicae generum saepe mixtorum (*τοὺς συνδυασμοὺς*) modos qui supra iam in l. IV dividuntur, post mutationis stabilitatisque causas antea intellectas expositasque nunc constituendos describendosque (sunt autem omnino pleraeque civitates aut oligarchicae aut democraticae 1296, 22; nec nisi una species est monarchiae paucae aristocratiae cf. 4, 7 et 5, 7 de quibus nihil hic addendum fuit) ita ut et qui eorum et unusquisque quomodo *ἐξ ὑποθέσεως* (e. gr. si *ὑπόθεσις* sit *ἡ ἐλευθερία* i. e. democratia, sive democratiae quaedam species cf. 1317, 40) sit optimus doceatur (*ἐξ ὑποθ.* cf. *ἡ δοθεῖσα* 1288b 28. 1317, 13. 1296b 10). Quatuor enim quum sint in iudicandis rerum publicarum formis rationes, ut quis aut omnium optimam (*ἁπλῶς ἀρ.*) spectet aut *τὴν ἐξ ὑποκειμένων ἀρίστην* (1288b 25 = *τὴν ἐνδεχομένην ἐκ τῶν ὑπαρχόντων* ib. b32), sc. ex rerum publicarum formis 4, 3—10 descriptis (de quarum dignitate cf. 4, 2) *ποία ποίοις ἁρμόττει* (4, 12. cf. 1289b 18), aut tertio *τὴν ἐξ ὑποθέσεως ἀρίστην* (6, 1—7), denique *παρὰ πάντα ταῦτα τὴν μάλιστα πάσαις ταῖς πόλεσιν ἁρμόττουσαν* (1288b 34, quae est *ἡ μέση* omnibus apta quamque imitari ceterae debent, *ἡ ἀρίστη ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον εἰπεῖν* 1297b 33. cf. 1296b 7. 35. agit autem de ea 4, 11), haec igitur quatuor quum sint, duplice iam in materiarum ordine consilio proposito (4, 1 et 4, 2) non urgendum esse unum tantum

(*μετὰ ταῦτα — τέλος δὲ* 4, 2. 1289b 20. 22) patet. Aristoteles autem eo quoque sextum a quinto et quarto separatum significat quod horum argumentationem dicit *τὴν μέθοδον τὴν πρὸ ταύτης* 1317b 34 spectans ad l. 4, 15. 1300, 1, ita ut ipsi post primos duos introductionis libros politica doctrina quatuor quasi constet methodis sive partibus quarum *ἡ πρώτη* (cf. 4, 2. 1289, 26 *ἐν τῇ πρώτῃ μεθόδῳ περὶ τῶν πολιτειῶν* = *ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις* 4, 7. 1293 b2 et 4, 10. 1295, 4) continetur tertio libro, secunda est librorum 4 et 5, tertia libri 6, quarta denique l. 7 et 8 (cf. 1324, 22). Jam vero alterum quod post Scaïnum et Conringium (cf. préf. p. 146—48) inventores multis et ipse explicans defendit St-Hilaire licet speciem quandam veritatis habeat et propter tertii libri clausulam initio septimi in ipsis verbis consonantem et propter citationes quas infert 1289, 30—33 et 1290, 3 (préf. p. 149—157), non minus tamen falsum est: neque enim finis ille tertii libri aliquid probat manifeste corruptus, ita ut eodem arbitrii certe iure verba illa 1288b 5 librarii cuiusdam sive memoriae marginem occupanti sive negligentiae et errori de tertio statim ad septimum transeuntis tribueris — nisi forte, quod magis credo vel propter illud *ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις* 3, 18. 1288, 37 eiusdem libri spectans c. 4, omne capit. 18 ab hoc libro alienum sit; neque verba illa l. 4, 2, quae non ad septimum spectare librum sed ad tertium (in quo revera agit una et de regno et de aristocratia quibus una est hypothesis *ἡ ἀρετὴ* nec nisi in numero regnantium de quo ibi quaeritur et in nominibus diversitas cf. 3, 14 sq. 3, 10—13) docent et ea quae praecedunt primam methodum diserte appellantia i. e. 3, 7 et quae statim addit 1289, 33 *ἔτι δὲ τί διαφέρουσιν* etc. cf. 1286, 38 sqq. 1286, 6 sqq. et 3, 7, et ultima *καὶ πότε δεῖ βασιλείαν νομίζειν* cf. 1286, 5 et 3, 16 in. ad tertium necessario referenda, praesertim quum altera citatione eundem revocare eum 1293b 2, si citationem 1295, 4 tertiam comparaveris patebit. Alter denique locus (ceteri enim quibus usus est St-Hil. erronei sunt) 4, 3. 1290, 2 a l. 7 aeque alienus est: nam ibi et de alia partium ratione agitur (7, 8 sq. cf. 4, 4. 1290b 23 sqq.) nec ita de partibus quam de operationibus sive *ἔργοις ὧν ἄνευ πόλις οὐκ ἂν εἴη* (cf. 1328, 5. 15). Aristoteles autem intelligit ea quae disputaverat 3, 10—12: sunt enim *ἐξ ὧν πόλις συνέστηκε* tria *ἐλευθερία πλοῦτος ἀρετὴ* cf. 3, 12. 1283, 14 et infra 4, 8. Accedit quod non solum quae de discrimine rerum publicarum

universo eiusque causa explicat 4, 3—4, prius necessario dicenda fuerunt quam quae de optima sed etiam quod introductionis in universum institutionum politicarum iudicandarum negotium manifestam speciem gerat libri quarti prooemium (4, 1). Ubi quam dicit *τὴν κατ' εὐχὴν* (i. e. *ἁπλῶς*) *ἀρίστην* sive veram aristocratiam (4, 7 cf. 1328b 37) eam optimamque qua nititur civium vitam cultumque aptissime post variarum specierum multitudinem et post intellecta vitia et vicissitudines in ipso totius operis fine legislator instituit, id quod ita et faciendum esse in Ethicorum fine et factum esse disertis verbis monuit ipse auctor Polit. 7, 4. 1325b 34: *ἐπεὶ δὲ πεφροιμίασται — καὶ περὶ τὰς ἄλλας πολιτείας ἡμῖν τεθεώρηται πρότερον, ἀρχὴ τῶν λοιπῶν εἰπεῖν πρῶτον ποίας τινὰς δεῖ τὰς ὑποθέσεις εἶναι περὶ τῆς μελλούσης κατ' εὐχὴν συνεστάναι πόλεως.* Quae quidem pars ut supra dictum est et iam a Guilelmo de Moerbeka versionis latinae auctore (St-Hil. préf. p. 79) intellectum (ut docet adnotatio eius in fine scripta Jourdain p. 181. cf. cod. Gr. ap. Stahr. ed. Pol. extr. — de Kyriaci Strozae propter eandem causam supplementis seculo sexto decimo Graece scriptis cf. praefat. eius in ed. Du Val, Paris. 1654, t. III p. 617) imperfecta nunc legitur: debebat enim non *παιδονομίαν* tantum sed virorum etiam et mulierum virtutem et contra servos dominorum describere eam quae optimam decet civitatem argumento quidem ex parte domestico, at Politicorum operi doctrinaeque proprio et minime separato. Manifestum tamen est ultimam illam politicae doctrinae particulam (cf. 1260 b 12 et 21) quam saepius indicat in prioribus Aristoteles (7, 5. 1326b 33. 7, 10. 1330, 5. 33. 7, 16. 1335b 4; at 7, 1 extr. spectat ad 7, 13), si revera scripsit stetitque promisso id quod vix negaveris, antiquitus certe perditam fuisse et ante Andronicum renovataque studia Aristotelica. Posteri enim velut Philodemus in oeconomica doctrina tradenda Xenophontem fere sequuntur et tractatum istum Oeconomicum inter Aristotelica servatum, quem ipsum sive similem Peripatetici cuiusdam librum etiam Cassius Dionysius Uticensis in libris de re rustica de servorum conditione agens (ap. Varron. de re rust. 1, 17. cf. Schneider ad h. l. p. 300 sq.) respexisse et exscripsisse deprehenditur. Cuius auctor quem Theophrastum vult Philodemus qui oeconomicae Theophrasteae praecepta excerpsit libro de virt. et vit. col. VII—XII (Goettling enim in Ar. Oecon. p. XIII de loco agens Philodemi p. 45, 8 auctoris sententiam pervertit), rem domesticam non iusta

enarratione sed brevissimo complexus est compendio, ipsis fortasse Aristotelis quem respicit (cf. 1330, 28 = 1344b 15) verbis incitatus, sicut etiam ille qui scripsit libellum *περὶ συμβιώσεως ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς* (cf. Polit. 1260b 9. 7, 16. Eth. N. 8, 14. 1162, 29: *πῶς συμβιωτέον ἀνδρὶ πρὸς γυναῖκα.* cf. Oec. 4. David in Cat. 25b 8—10. Anon. Menag. Hieronym. contra Jovinian. 1, 30 p. 162 ed. Antverp. 1629). De Joach. Camerarii (Arist. Oeconom. Frcf. 1581. epist. dedic. p. 6) indicio esse quidem hunc librum Aristotelis sed neque integrum et perquam mendosum ad nos pervenisse perhibentis, quod e Varronis loco comparato natum videtur, advertendum est quae plura habet Cassius ea ex suo eum potuisse addere; ceterum non magis esse Aristoteli, qui de Oeconomicis omnino non scripsit separatim, hunc librum tribuendum cum Andronico (in indice Theophrasteorum nullus reperitur oeconomicus) quam cum Philodemo Theophrasto; licet multo quam hunc verisimilius sit iniuria Theophrasto tributum fuisse librum illum de nuptiis et non ducenda sapienti uxore, quem Platonicum quid sapientem et a Peripateticorum philosophia civili remotissimum libroque Pseudaristotelico de legibus viri et uxoris si non ipsa sententia at omni ratione sermoneque affinem, aureolum dixit cum medii aevi theologis omnibus Hieronymus et studiose excerpsit (c. Jov. 1, 28 p. 161. cf. de Epicuro ib. 1, 29). Ceterum post Persici imperii fata (1344b 34 *Περσικὰ δὲ ἦν* etc.) scripsit Oeconomici illius auctor anonymus Peripateticus.

Singularis est liber *περὶ ποιητικῆς*, propter affectuum tamen commovendorum locum et sermonis (*λέξεως*) theoriam rhetoricae affinis. Ipse in Rhetoricis a rhetorico sermone universo excipit diligenter poeticum et poeticae relinquit doctrinae (3, 1. 1404, 37). Poeticum vero ornatumque quum efficiant sermonem ipsa illa quae dicit *τὰ εἴδη τῶν ὀνομάτων* velut metaphorae etc., harum ipsam explicare naturam atque definitiones et species — licet ea et orator adhibeat et quatenus iis recte et apte utatur scire debeat, quo fit ut de usu eorum rhetorico in Rhetoricis quoque diligenter exponatur (3, 2 sqq.) — merito asserit esse poeticae et in hanc artem differendum (Rhet. 1404b 7. 28. 1405, 5). His igitur definitionibus in Poeticis ita exhibitis ut de orationis partibus disputatione praemissa non inepte introducantur, eo brevius loqui potuit de illorum usu poetico, Rhetoricorum et in his fundamento nixus et in iis omnibus quae *τὰ περὶ τὴν διάνοιαν* appellat quaeque illic

amplissime proprioque loco tradita (1456, 35. cf. c. 6. 1450b 6) in Poeticis omnia iure omittuntur. Qua ratione quod commendatur sequi, non (ut falso cum aliis credunt Spengel üb. d. Poet. p. 252 et Brandis in Philol. 1849 p. 11. aliter tamen ipse postea Spengel über die Rhetorik des Arist. Abh. d. Münchn. acad. Bd. VI p. 496) antecedere Poetica, id quum ipsius et in Rhet. et in Poet. Aristotelis citationes hic quoque eae omnes sint quae nihil probent, — nam quod 1454b 18 loco famoso dicitur *ἐν τοῖς ἐκδεδομένοις λόγοις* satis iam esse dictum de ceteris in poetica animi commotionibus praeter eas quae necessariae sint et cum ipso tragoediae fine coniunctae metum scil. et dolorem et quae similes sunt, de his ex rerum narratarum indole fabulaeque materia omni profectis (velut quae sunt *καὶ αὐτό τι πάθος* 1453b 18. cf. 1452b 11) revera in superioribus (i. e. *ἐν τοῖς ἐκδεδ.*) passim exponitur c. 13. 14. 7. cf. 16 — diserte tamen ipse dicit in Polit. 8, 7. 1341b 40 (*ὕστερον ἐροῦμεν*). Nam sicut in rhetorica ut in ipso oratore dialectica cum politica doctrina quodammodo coniuncta fuit et a Rhetoricis ad morum studium utpote veras dicendi et declamandi normas tradens apte proceditur, ita politicae doctrinae quasi quaedam pars est poetica: — est enim Aristoteli ut Graecis fere omnibus ipsique Platoni nisi quod hic arctioribus finibus artis huius usum in Legibus circumscribit, musicae omnis et poeticae vis atque finis ut psychagogicus affectus purgando sedantis sanantisque (Polit. 1340, 12—25) et secundum Ethicorum sententiam modo eo in quo cernitur virtus cohibentis atque corrigentis ipsa mentis ope quae videt intelligitque veri iustique affectus *μίμημα* et vero ipsa affectu afficitur, quae infortunii culpaeque veris partibus intellectis liberam se sentit et fortunae vicibus fatique ludibrio etsi non errore eoque quod in ipso errore affectusque nascitur libidine fato exemtam, ita et politicus (Polit. 8, 5. 7 — et eodem fere modo ethica *εὐδαιμονία* definitur et poetica) et philosophicus (Poet. 9. 6); quapropter cum rhetorica e Stoicorum exemplo (D. L. 7, 41) a veteribus poetica etiam (*ἔνθα περὶ τοῦ πάντῃ ψευδοῦς διαλέγεται συλλογισμοῦ* Sch. Ar. 93b 6. Alfarabi ap. Schmölders Docum. p. 21) in logicis et universae philosophiae organo ferebatur recepta, quo tamen non magis pertinet quam quum etiam motus omnis et omnis actio sit syllogismus liber de motu animalium (cuius cf. c. 7). Admodum igitur apte sequitur illa Politicorum librum ultimum, in quo quum haec per musicam *παιδεία* tractetur

naturam ipsam purgationis illius et morum disciplinae deinceps in libro de poetica denuo explicaturum se promittit. Id quod revera perficit tragoediae fabulaeque poeticae natura descripta, ita maxime ut quali tragoedia verus atque ut ita dicam sapiens metus verusque luctus oriatur spectata definiat: illustratur igitur *κάθαρσις* illa quum universo libro tum c. 9 et 13 etc. cf. 14 (sicut quod ad lyricam poesim iam in Polit. 8, 5). Talis autem tragoediae vis atque adeo finis eius in compositione fabulae sive actionis quam imitatur poeta arte facta omnis est: ad quam non agentium solum mores faciunt (*τὰ ἤθη*) fabulae quam quasi definiunt subiectae (Poet. 6. cf. 1450, 21. 5. 1449 b 37) sed ipsius etiam quam imitantur actionis ratio, quae sc. aut simplex sit aut per *ἀναγνώρισιν* et *περιπέτειαν* composita aut pathetica. Ex quibus fabulae partibus quatuor illa tragoediarum sicut et epicae poesis (c. 24) genera evadunt (c. 18. cf. 11), quum latiori sensu et mores sint pro parte fabulae, sicut *πάθη* (11 fin. cf. 1450, 30. in quibus versatur *διάνοια* 1450, 6. b 11. 1449 b 38. cf. c. 19), serviantque mores fabulae ut sermo moribus (c. 17). Est enim haec earum partium (*οἷς ὡς εἴδεσι δεῖ χρῆσθαι*) quae non sunt partes secundum quantitatem nec inter se separandae (12), ut partes totius possint etiam dici partis partes et quae modo partes tragoediae (c. 6. 18) eaedem mox partes fabulae (11) quibus fit *ποιά τις*. Quapropter post enumerationem partium quae sunt tragoediae sive elementorum (c. 6) de mytho sive fabula agitur c. 7—17, ita quidem ut absoluta disputatione de fabulae amplitudine (7), unitate (8), in imitando ratione (9), generibus (9—11) et partibus sive sectionibus (12) quibus tragoediae divisio externa continetur, de ipsa denique compositione (13—14), addantur quaedam quae et ipsa ad fabulam pertinent de moribus conformandis praecepta (15), de modorum enumeratione quibus fit *ἀναγνώρισις* — quae supra iam definitione eius et usu exposito quum non ad ipsam compositionis rationem faciant hic demum apte subnexa memorantur (16) — et de aliis quibusdam (c. 17): plane enim errabit si quis ponat ante c. 19 brevem illam de moribus in fabula necessariis notitiam (ut Spengel über Arist. Poetik p. 245 sqq.). Jam vero quod ad ceteras tragoediae partes, quae eaedem et rhetoricae sunt et poeticae *διάνοια* et *λέξις* in arte rhetorica ut universaliore aptius exponuntur, nisi quod necessario quaedam monet de poetica oratione quatenus a rhetorica diversa est; quae cur in hoc loco non sufficiant

(Spengel p. 251) ego non video. De *μελοποιΐα* vero musicae est agere (Polit. 8, 7. 1341 b 23. cf. 1339 b 21) idque musicis empiricisque secundum Aristotelem relinquendum (1341 b 30 *ἀποδώσομεν ζητεῖν τοῖς βουλομένοις παρ' ἐκείνων*. cf. 1340 b 5) ut metrica metricis (20. 1456 b 34. Theophr. *περὶ μέτρων* D. L. 5, 47); nec de hac re magis scripsit Aristoteles quam de universa musica, ita ut liber ille qui Aristotelis nomine ferebatur *περὶ μουσικῆς* (D. L. 5, 26. Casiri I p. 306. Ph. Labbei Nov. bibl. mss. s. Spec. ant. lect. Paris. 1653 p. 306) discipulorum potius esset operae (cf. 1339, 13), inter quos Theophrasti maxime de musica opus clarum habebatur (de quo cf. Schahrastâni T. II p. 197. cf. 198 vers. Haarbrücker). Quod denique ultimum est earum rerum quae ad tragoediam pertinent ipsum spectaculum (*ἡ ὄψις, ὁ τῆς ὄψεως κόσμος*), circa hoc potius versatur *ἡ τοῦ σκευοποιοῦ τέχνη* (6 extr., cf. c. 7), sicut *τὰ σχήματα τῆς λέξεως* quaerit *ἡ ὑποκριτική* (Poet. 19. 1456 b 8—19. cf. Rhet. 3, 1. Theophr. *περὶ ὑποκρίσεως* D. L. 5, 48). Jam igitur intelligimus idem revera esse de mytho agere idem de tragoedia ac merito Aristotelem finem totius operis in exordio declarare illud, ut distinctis prius in introductione variis poesis generibus (1447 b 8) ita tamen ut in singula quaeque hic quoque supersedeat descendere (cf. etiam 1449, 29), mythi natura describatur. Quum vero in tragoedia prima et gravissima parte omnis fere poetica versetur et quasi effundatur eiusque primum natura unaque fabulae componendae ratio uberius explicata sit, pauca deinceps addenda restant et de epici carminis indole et quae nunc desunt de comica fabula. Attamen Spengel (cf. etiam Gumposch p. 85. 87) exordii illius verbis, quibus de lyrica etiam poesi se tractaturum minime promisit auctor, male intellectis quum his tum partium illa (c. 6) divisione commotus omnem libri ordinem librariorum arbitrio perturbatum esse sine ullo iure credidit, in ceteris quoque ille verborum fere magis quam sententiarum rationem habens. Etenim c. 15. 1454, 25 (Spengel p. 242) Aristoteles respicit ea quae dicta sunt c. 13. 1452 b 34 — 1453, 12; deinde 11. 1452, 23 dicens *περιπέτειαν* esse illam quam supra tetigerit bonae fortunae in infortunium mutationem (cf. c. 13 in. 18 in.) respicit, sicut frustra negante Spengelio (p. 238) recte G. Hermann intellexit, verba c. 7. 1451, 13. cf. 1452, 3 sqq.; porro 1452, 35 inanimatorum etiam secundum definitionem modo dictam (*ὥσπερ εἴρηται* i. e. v. 29—32) *ἀναγνώρισις* recte dicitur evenire

(male haec vertit Spengel p. 238) nec plus uno loco de hac expositum fuisse verba auctoris 1454 b 19 legenti persuadetur; recte denique de simplicitate fabulae et illud *πολλάκις εἴρηται* 1456, 10 (Spengel p. 250) i. e. c. 5 (cf. 24) 7. 8 (non vero c. 17). Neque igitur lacunis deformata sunt Poetica (falsa quae profert Gumposch p. 86, de quibus deque Hermanno bene Spengel p. 222. Fr. Ritterum vero satis superque profligavit Düntzeri Rettung der Aristot. Poetik) neque alia omnino ratione causaque atque reliqui veterum auctorum libri nec huius libri textus neque ceterorum quos scripsit Aristoteles corruptus est, et sincerus plane est et rerum ordo et ambitus nisi quod in fine desunt quaedam de comoedia et natura ridiculi disertis verbis ab ipso promissa (Poet. c. 6. Rhet. 1419b 5. 1372, 1. Theophr. etiam scripsit *περὶ γελοίου* et *περὶ κωμῳδίας*. duos Poeticae Arist. libros fuisse vult D. L. 5, 24). Quae quidem iactura antiqua certe fuit et ante Andronici tempora facta: — ignorabatur enim illa pars a Syris etiam et Arabibus et proinde ab ipsis Graecis recentioribus et interpretibus omnibus (cf. Philop. Sch. 99, 12) nec obstant Simplicii verba aut potius Porphyrii qui quum synonymorum definitionem (cuius locus fuisset iam Poet. c. 21) et *ἐν τῷ περὶ ποιητικῆς* et in Rhetoricis (3, 2. 1405, 1) ab Aristotele positam citat, id ex ipsius Aristotelis in Rhet. citatione duxisse videtur (Sch. in Cat. 43, 13. 27). Et quamquam mirum sane sit nec facile explicandum quomodo defectus ille accidere potuerit in libro aeque ac Politica quorum item deest finis frequenti lectioni apto et facili auctorisque non ut medici sub nomine Hippocratis latentes quorum multa quae in servatis citantur iam Alexandrinorum primorum tempore perdita fuisse intelliguntur diu obscuri, sed inde ab ipsius vitae tempore omnium celeberrimi multorumque discipulorum studiis a tali noxa aeque ac Plato tuti atque defensi, minime tamen ita removeri potest ut omnino negetur (cum Düntzero qui quae aut praetermissa sunt aut praetermissa esse ei cum Spengelio falso videbantur velut *κάθαρσις*, ad libros alios tres illos de poetica sive de poetis inconsideratius refert, nimium ille ut ceteri auctoritatis indicibus librorum Aristotelicorum tribuens Rettung p. 9—16) nec promisso quod in ipso libro repetit (c. 6) stetisse Aristoteles credatur cum Averroe qui sic ait in fine paraphras. Poet. Arist. (Vol. II f. 228k): „Quod autem omisit, quod erat commune, est tractare de comoediis: sed forte satis fuit de tragoedia tractare, cum contrariorum eadem sit disciplina": quam ipsam

rationem sequebatur Graecus quoque ille anonymus in iis quae de comoedia ex Aristotelis de tragoedia definitione disputavit (ap. Cramer Anecd. Paris. 1, 403—5). Quod si verum quodammodo est, suis tamen finibus circumscribendum erat neque ideo prorsus non de comoedia exposuisse auctorem sed brevius similiterque ac de epico carmine exposuisse par erat. Quum igitur concedendum sit particulas quasdam operum Aristotelis esse perditas, qui id fieri potuerit neque posterorum pravo de magistri et discipulorum libris discrimine satis explicatum nescire me fateor, nisi forte quis assentiatur Alexandro Necham qui facete in libro nondum edito de naturis rerum „Aristotelis" ait „viam universae carnis ingressurus subtilissima scripta sua iussit secum in sepulcro recondi, ne utilitati posteritatis suae deservirent" (Jo. Walens. Compendiloq. 3, 5, 14). Uberius vero de Poeticis sententiam ideo exposui, quod hoc potissimum libro multi sicut alii Metaphysicis commoti falsam illam de Aristotele et lacunis et interpolationibus foedato foveant sententiam fabula Apellicontea, quam subaudivit Nequam ille, imprimis fultam.

Jam vero post Poeticae fragmentum librosque quorum quasi appendix est Politicos hisque ipsis et doctrinae moralis physico fundamento et psychologico (cf. Eth. 1, 13 *δεῖ τὸν πολιτικὸν εἰδέναι πως τὰ περὶ ψυχήν*) iam praeparatum atque sine ullo dubio scriptum etiam post Ethicos, in quibus ubi physicas quaestiones tangit ad physiologos tantum simpliciter lectorem ablegat (Eth. 1, 13. cf. maxime 1102, 25. 28—32. 7, 5. 1147b 8. 7, 15. 1154b 7. 8, 2. 1155b 7) ea de causa quod licet scribendi consilio iam tunc instituto — reiicimur enim ad quaestionem *περὶ κινήσεως ἐν ἄλλοις* accurate instituendam Eth. 10, 3. 1174b 2 — nondum tamen ipse de his definiverat vel Platonicorum ut ex animae partitione virtutum genera derivet nullo proprio libro citato sententia usus, post Ethicos igitur Physicorum opus immensum sequitur, quo ex certo consilio (cf. Meteor. 1, 1. de part. an. 1) omnem rerum naturam causasque comprehendens et ab universalibus naturae motusque principiis absque coeli aeternis motibus ad animalia et plantas descendens, quidquid mirabile est et divinum in ipsis minimis vilissimisque (de part. an. 1, 5. 645, 15) animantibus, causam sc. et certam rationem insigni doctrinae copia institutoque plane novo et studio quum peritorum sermonibus et libris priorum fulto tum propria experientia (cf. frequens illud *ἑωράκαμεν*) et diligentissima et acu-

tissima et ad nostra usque secula singulari persecutus est, et persecutus est continua scriptione, id quod quum ferret ipsa *προαίρεσις*, et singularium partium mutuis frequentibusque citationibus ipsisque librorum clausulis comprobatur. Atque quae de animalibus agunt zoica (*περὶ ζωϊκῆς φύσεως*) scripta ut physicorum omnium postrema sunt, ita his ipsis quibus pridem stabilitis logicis scientiae metaphysicisque entium principiis res maxime particulares (at entes tamen et ab humanarum rerum arbitrio alienas) amplexus est philosophus in *ἀπειρίας πόντον* quasi demersus, omnino eius et studia et scripta finiri credo inter ipsos animalium libros quibus ultimam omnem vitae partem impendit matura pro consiliis institutisque morte abrepti. Omnis igitur librorum eius series iam ita describenda est ut logicis primis media politica coniungant ultima quae ipsam entis naturam spectant physica cum metaphysicis, certo disciplinarum ordine quemque in ipsam philosophiae divisionem ex Aristotelis ut patet exemplo (cf. etiam Top. 1, 14. Zeller 2, 395. non assentior Brandisio Arist. 1, 141: Ar. enim Metaph. 5, 1 etc. non philosophiae sed scientiae divisionem et ipsius *διανοίας* formas actionem sc. et artem et philosophiam spectavit) verterunt Stoici (cf. D. L. 7, 40 etc. Ritter 3, 519 sqq.).

Jam vero gravissima subit quaestio, quo tandem tempore scriptos esse putemus libros de prima philosophia. Incredibile enim videtur illud quod ipso Metaphysicorum nomine volunt commentatores veri sc. loci inveniendi desperatione magis quam ratione ducti (cf. Sch. David 30, 20 etc. Bonitz. Comm. p. 5), eas res quibus universae physicae et zoicae doctrinae tractandae methodus qua maxime a prioribus differt nititur (quasque longe antea aut potius priusquam omnino aliquid scripto daret mente certe et cogitatione conceptas non solum sed elaboratas etiam — id quod fere non fit sine litteris — fuisse aequalibusque et discipulis et cognitas iam et admissas necesse est, tum demum libro expositas esse quum in singularium naturae rerum causas inquirendas studia eius abiissent doctrinam magis quam philosophiam promoventia, eas praesertim res quae ut primum stabiliantur omnes fere, velut substantiae nova definitio formaeque sive ideae et actus, acerrimo non tam contra Platonem certamine quam contra coaevos Platonicos, quorum tamen ut viventium et amicorum praeter Speusippum tunc iam mortuum nomina non ponit, quasi expugnantur. Quae si reputas aptissimus forsitan Metaphysicorum locus statim post Analytica esse videatur

(cf. Nunnes. de studio philosoph. Lugd. Bat. 1621 p. 78), quae quidem disputatione metaphysica fuisse continuata et ipsorum finis declaret de principiis et mente tamquam criterio quaestionem praeparans (An. post. 2, 19) et Metaphys. librorum initium (1, 1) eadem fere pro introductione repetens, materiaeque omnino similitudo qua ut de substantia ita de cognoscenda ea et cognoscendi fundamento (lib. III) et principiis syllogisticis quibus utitur demonstrandi scientia (cf. 3, 3) quaerentes inceptam in Analyticis iisdem iam terminis metaphysicis (τὸ τὶ ἦν εἶναι etc.) utentibus de notionis definitione quaestionem (An. post. 2, 6 sqq.) perficiunt, id quod ipse dicit Met. 6, 12 (ἐφ᾽ ὅσον — μὴ εἴρηται). Attamen si primorum Ar. librorum i. e. logicorum cum politicis nexum spectas mutuis citationibus confirmatum, metaphysica vero cum solis physicis frequentioribus citationibus coniungi iisque qui eodem fere tempore utrique operi scribendo se dedisse Aristotelem ostendant, iam respues coniecturam illam ex Analyticorum fine natam nec libros istos studiorumque seriem interpositis Metaphysicis male dirimes. Nec magis tamen cedas veterum rationi qui intimum illum physicorum et metaphysicorum studiorum nexum bene perspicientes post logica physica metaphysica nunc demum ethica sequi statuerent, quorum sententiam Arabes etiam tuebantur (cf. Ibn-el-Nedîm ap. Hottinger bibl. orient. p. 220. id. ap. Hadschi Khalf. 3, 96 ed. Flüg. et ap. Dschemal-ed-dînum Casiri 1, 306). Si igitur consentaneum est Aristotelis Metaphysica inter prima eius opera censenda esse nec magis sequi posse post physica quam post Platonis Timaeum Sophista aut Logica Hegelii post Philosophiam naturalem, certe ante zoica editam fuisse primam philosophiam testimonio est locus libri de motu animal. c. 6, unicus ille quo metaphysicorum non doctrina solum sed liber revera citatur: cuius libri quisquis est auctor metaphysica disciplina secundum Peripateticos praeparari physicam ostendit eademque ratione ab ipso etiam magistro postea tractata esse physica persuadet. Quam citationem si cum Krischio credas postea esse additam — licet ne sic quidem vis eius evertatur: sequetur enim qui eam Alexandrinorum priorum aetate non recentior adscripsit auctoritatem Aristotelis — iam quum tamen maximam citationum partem ab Aristotele esse profectam et propter ipsam passim enuntiati naturam et propter communem ipsius huius temporis morem in clausularum maxime usu conspicuum et Hippocraticorum etiam exemplo confirmatum concedendum sit atque

revera ab omnibus concedatur, de singulis quae verae sint quae spuriae solo arbitrio iudicante, omnis illarum evanescit fides ususque praeciditur totiusque simul quaestionis unicum fundamentum. At omnino tales locos interpolatione sive ipsius Aristotelis postea relegentis sive lectoris cuiusdam adiectos esse, propter ipsum in illis citationibus adhibendis quale fere est ipsius scriptoris arbitrium omni certa ratione destitutum — modo enim locis maxime opportunis aptisque alios libros citare negligit, modo citat aliis ubi multo minus exspectaveris — nec non propter exemplarium a primis interpretibus et ab Alexandro collatorum versionumque adeo Arabicarum consensum minime est verisimile. Ubicunque enim Aristotelicorum librorum textus verbis quibusdam alienis glossisque interpolatus est, ibi ex ipsa codicum differentia et antiquis iam lectoribus omnibus interpretibusque varias lectiones notantibus id manifestum fuit et nunc quoque hac una certa via iustaque intelligitur. Cuius rei exemplo sint Physicorum glossae (cf. Prantl Symbolae crit. in Ar. Phys. Berol. 1843 p. 58—64), velut verba 231, 5—17 post ipsam clausulam adiecta et quae prius iam dicta sunt (cf. 230b 14 sqq.) repetentia a Bekkero tamen, quamquam res sit manifesta (cf. Alex. et Simpl. Sch. ad h. l. 404, 20. Simpl. in Phys. f. 214b. cf. Alex. ap. Averr. in Phys. 245g), non ut p. 216b 17—20 (ubi Simplicius ipse glossam indicat f. 160b utrumque illud enuntiatum cui quum tamen primum solum explicet eodem verbo *ἔτι* incipiens interposita voce *ἄλλως* pro textu apponens cf. codd. G. H.) et 217b 12—16 (ubi in margine cod. G. additur „*ἀθετοῦνται*" cf. Bekk. not. et Simpl. f. 163a *αὕτη ἡ ῥῆσις δοκεῖ τὰ πρότερον εἰρημένα πάλιν λέγειν — διὸ καὶ ἔν τισιν ἀντιγράφοις οὐ φέρεται* etc. utrumque tamen locum refert vers. Arabica cf. Averr. Phys. 167b. 172h) uncis inclusa. Rarissimae tamen sunt interpolationes verborum interpretibus Graecis recentiorum, qualis est Metaph. 1, 5. 986, 29 ubi inter textus verba: *καὶ γὰρ Ἀλκμαίων ἀπεφήνατο παραπλησίως τούτοις* irrepsit glossa marginalis *ἐγένετο δὲ τὴν ἡλικίαν ἐπὶ γέροντι Πυθαγόρᾳ* (nec tamen plura sicut voluit Gruppe, temere quidem hic ut solet) a nullo umquam interprete nec explicata nec si deerat explicandi materia pro more solito repetita: quae verba in solo cod. Laurentiano (A b) non leguntur. Item Metaph. 3, 2. 1005, 1 libri de bono unica quae apud Arist. reperitur in cod. Vaticano (T) citatio ex commentariis demum (cf. Alex. ad h. l.) assumta est et ignoratur

ab interprete Arabico (p. 71 c). Cf. etiam repetitiones verborum quasdam velut in libro spurio hist. an. X cf. Bekk. ad 636b 39. ed. Schneider IV p. 270 (cuius tamen transpositiones inutiles cf. p. 263. 268. 269. 272. 273 reiicias omnes) et Rhetor. 3, 16, ubi longus locus qui quum 1, 9 recte legatur (cf. Bekk. ad 1416b 29. Spengel über die Rhetorik des Arist. Abhdl. d. Münchner acad. B. VI p. 508) ab hoc loco plane alienus est, inepta negligentia denuo infertur: id quod iam in antiquissimis codicibus Byzantinis factum esse docet versio Arabica eadem legens (cf. Averr. paraphr. Rhet. f. 152 l—153 c, qui tamen et interpolationis ultima verba 1368, 6—10 et post interpolationem verba 1416b 29—32 omisit. ceterum quae verba post 1377, 7 in cod. A[c] et marg. Y[b] adduntur, eadem etiam legit Averroes f. 103 g). Si igitur ubi in medio librorum tenore citantur alii libri, certiores hi loci sunt et ab interpolationis suspicione ea ipsa de causa tutiores quia nulla causa est cur non si omnino, aliis sexcentis locis tales notas addiderint sive lectores sive editores antiqui, nec unius cuiusdam licentia in omnium exemplarium a commentatoribus lectorum consensum abiisset maiorque omnino et antiquissimorum et medii aevi in veterum auctorum libris describendis religio erat qui errore quidem et negligentia, non arbitrio peccarent, non tamen eadem in totorum librorum clausulis est certitudo quas quum non omnes Aristotelis libros omnes librarii nossent, pro vario librorum descriptorum numero et qui inde sequebatur ordine ab illis et ubi dissentirent omitti potuisse patet et interdum etiam addi. Aristoteles enim qui libri cuiusque finem ipse fere diserte signare solet et ita saepe, ut eadem quae clausulae fuerant verba sequentis libri initio denuo ferat — etenim etsi concedam locos illos (Metaph. V—VI, Eth. IV—V, VII—VIII, IX—X) ita esse comparatos ut facile suspicionem legentis moveant, eosdem tamen antiquitus ita lectos esse et ex Eustratio Alexandroque (cf. in Met. 425, 11 Bon.) et ex Arabico Met. et Eth. textu Averroisque explanatione intelligitur, nec cur in medio operis ex quo separari non potuerunt tenore adderentur satis causae fuisse videtur, praesertim quum idem usus paullo negligentior tutioris etiam loci exemplo (l. sc. de long. et brev. vit. clausula si comparas sequentis de vita et morte initium) confirmetur — idem tamen Aristoteles saepe hoc facere omisit et in singulis libris et in universae disciplinae fine iisque locis ubi clausulam aliquam quam maxime exspectaveris velut in Phys. octavo, in tertio de

anima omninoque in physicis libris. Quapropter hi potissimum libri (constans enim fere erat Organi dispositio. de Philopono dissentiente cum Avicenna cf. supra et Nunnes. de stud. phil. 76) qui praeterea plures essent varioresque quam qui uno semper tenore a librariis scriberentur, vario inter se ordine coniungebantur. Etenim quum fere soli separatique ferri solerent (cf. Jourdain sur les trad. d'Ar. ed. II Paris 1843 p. 172. 173) liber de incessu animalium (id quod etiam Albertus Magnus testatur Opp. V p. 509) itemque liber de causa motus animalium — nam quae in veteribus editionibus legebatur libri de somno clausula: *περὶ δὲ τῆς κοινῆς κινήσεως τῶν ζώων λεκτέον* (velut in ed. prima Basil. 1531 quae ex Aldina facta est) ab Ephesio iam lecta (Sch. l. de motu anim. f. 149), qua nituntur de serie librorum disputantes Nunnes. l. c. p. 87. Schneider ad hist. an. T. I praef. p. 118, quaeque in margine versionis latinae tamquam ex alio quodam codice adscribitur (cf. in Averr. opp. VI, 2 p. 311, Averroes autem nihil tale legit cf. Paraphr. l. de somno VI, 2 p. 37c. non magis quam auctor versionis Graecolatinae veteris quam legas in Opp. Thom. Aquin. ed. Rom. Vol. III, de somno f. 40b), eius quum Bekkeri quidem apparatu non confirmetur, antiquissimorum i. e. Arabicorum codicum dissensu tollitur auctoritas, licet quod ad ipsam rem librique locum idem voluisse videatur qui librum de motu non novit Averroes (cf. Opp. V p. 404) secundum Graecos ille disputans commentatores libri de motu sc. clausulam secutos, in quorum tamen libris de librorum physiologicorum ordine nunc nihil diserte traditur (cf. Simpl. ad l. de coelo init. nec magis quam ipse Aristoteles quem in singulis libris sequitur sibi constat Michael Ephesius, cf. Sch. de incessu an. f. 187 et de gener. an. f. 3, qui tamen quum libros de anima sensu mem. et somno et de motu anim. certe coniunxerit, libros vero de long. et brev. vitae deque vita et morte zoologicorum omnium postremos fecerit quos secutos fuisse vult perditos de victu et morbis deque plantis et humoribus cf. 175b, eundem ordinem statuisse videtur quem secundum illum voluit Nunnesius, hunc sc. de part. an. de incessu de anima de sensu de memoria et somno de motu an. de gener. an. de long. et brev. vitae de vita et morte, cf. Schol. in Parva naturalia ed. Ven. 1527. f. 175b, praeterea f. 127. 149. 157. 160b. 187 et Sch. de gen. an. Ven. 1526 f. 3. 3b. 102) — quum igitur illi seorsim legerentur, libri autem de partibus animalium libris de generatione plerumque con-

tinuarentur (cf. Ephes. de gen. an. f. 3. 3b. Averroes Paraphr. l. de gen. an. Opp. VI, 2 p. 44 et fin. Paraphr. l. de partibus VI, 1 p. 203. Arabes enim librum de incessu omnino ignorantes, coniunctis cum historiae anim. libris decem — cf. Jourdain p. 172 — iis qui erant de partibus et gen. an., XIX libros de animalibus numerabant, cf. Averr. V p. 404), pauci illi codices (Y^b Bekk.) qui post libros de partibus exhibent librum ex ipso Aristotelis consilio sequentem de incessu anim., clausulam illam qua cum libris de gener. illi coniunguntur omittunt (Bekk. p. 697); alii vero editores post l. de incessu libros de anima sequi volentes sec. verba extrema libri de motu an., clausulam illi talem aut addidisse aut inventam servasse videntur (*ἐχ. ἐστι θεωρῆσαι περὶ ψυχῆς*). Est enim antiquissima illa de loco librorum de anima quaestio, aliis eos utpote universaliores ante libros de animalibus omnes inferentibus, sicut quidam quorum sententiae meminit Alexand. ad l. de sensu f. 93b (*ἀλλ' οὐ προθέμενος περὶ ζώων λέγειν πρῶτον περὶ ἄλλων τινῶν τὸν λόγον ποιεῖται, ὥς τινες ᾠήθησαν, νῦν δὲ περὶ αἰσθητηρίων τε καὶ αἰσθητῶν λέγων, μετὰ ταῦτα περὶ ζωῆς τε καὶ θανάτου καὶ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως καὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς, εἶθ' ὕστερον περὶ ζώων· ἀλλὰ καὶ ταῦτα τῆς προτεθείσης ἔχεται πραγματείας* etc.) et ipse fortasse Alexander (de qua re cf. Daniel Furlanus Cretens. praef. Comm. in Ar. de partib. an. Venet. 1574 p. 21) et Avicenna et Thomas Aquinas (Comm. in l. de sensu f. 1), aliis tamquam zoologiae partem post libros de partibus et gener. anim. (non vero ut voluerunt cum Ephesio recentiores, medio inter l. de part. et l. de gen. loco, cf. Passeri Januae disput. de ord. libror. natur. ex lectionibus eius excerpta in ed. Averr. VI, 1, Jul. Pacius in praef. ad ed. opp. Arist. 1597, Nunnes. l. c. p. 84—90, Schneider Titze aliique) legentibus (ita Furlanus praef. p. 13—20. 23. 25. cf. disput. eius repetitam a Schneidero l. c. p. 100—113) quem ordinem probavit Graecos sine dubio interpretes (cf. Olympiod. in Meteor. T. II p. 168 Id., Pseudoalex. ibid. p. 236) secutus Averroes ad Meteor. I in. Opp. V, 404 (de sententia Alkindi qui tractatum scripsit de Ar. librorum ordine, cf. Casiri 1, 353, nihil compertum est). Attamen quum fieri possit, ut et in clausula illa libri quarti de part. an. pro *γενέσεις* rescribendum sit *κινήσεις* cum Theodoro Gaza interprete latino, qui ita: „Sed de partibus animalium quam ob causam quaeque sint, dictum iam est per omnia animalium genera, quae

cum explicata sint, sequitur ut de partibus animalium incessui deservientibus (τὰ περὶ τὰς κινήσεις sc. μόρια) disseramus" (in ed. opp. Averr. VI, 1 p. 202. cf. Titze de Ar. opp. serie p. 60), a librariis libros de gen. statim post l. de part. legentibus facile illud corruptum, deinde quum libri de incessu clausula alia potius ratione explicanda sit, omnino vero ad hanc quaestionem non faciat liber de motu animalium, iam ne in clausulis quidem librorum Aristotelis magis quam in citationibus arbitrarie egisse librarii videntur, praesertim quum praeter commentatores Graecos omnes fere librorum Aristotelicorum et citationes et clausulas confirmet vetustissimorum codicum consensus, illorum sc. quos nobis interpretum Arabicorum accurata certe licet ea ipsa de causa errans interdum sensuque omnino aut carentia aut paullo mutata proferens, critico tamen negotio vel si pro ipso textu Arabico versiones seculi tertii decimi latinas adhibeas ut obscuriores ita non minus accuratas, admodum utilis opera servavit. Quae tamen utilitas propter ipsam linguae Arabicae indolem (cf. Zenker Cat. p. 12) non tam in singulis verbis cernitur maximeque nulla est in diiudicandis coniunctionibus saepe inter se errore commutatis (ἤ, καί, γάρ etc.) cuius rei in versionibus latinis exempla frequentia invenies. Neque vero eo fides earum minuitur quod interdum ut enuntiati Graeci sententia ab Arabico lectore facilius intelligatur verba aliquot (velut verb. finit. in Graeco omissum) addit interpres (cf. e. gr. Zenker p. 41 not. 2. 41, 4. 42, 3 etc. uberius ille explicans cf. 68, 1. 68, 3. 71, 3. 79, 1. 83, 2. 84, 4. 85, 1. 86, 3 etc. cf. 37, 2), neque eo quod quaedam aut incuria vel praeter rem licet raro omisit (cf. 34, 1. 43, 4. 56, 5 etc. saepeque vocabula neglexit nullius momenti velut 62, 4. 70, 3. 82, 4. 84, 5 et vel integrum si inutile fuit ut saepe in Cat. enuntiatum p. 45, 2. 75, 1) aut mutata paullisper sive serie verborum (cf. 77, 3 et passim) sive enuntiati forma (ita interrogatio negativa ipsa negatione exprimitur p. 40, 2, item negatio in enunt. affirmativum convertitur 69, 1 etc.) aut denique Graeca verba male legens in translatione aliena posuit (cf. p. 32, 1. 35, 3. 37, 4). Non enim nisi raro harum versionum in eo est utilitas ut nova suppeditent — nam Zenkeri ratio illa qua quavis pagina diversas ex Arabis verbis Graeci quem secutus sit textus lectiones et vel manifesto falsas (cf. 47, 7. 55, 1. 58, 2 etc.) eruit, haec omnino inprobanda est — sed potius in eo ut optimas codicum Graecorum lectiones consensu confirment textusque aut

integritatem aut antiquitatem illustrent; ita textus quem nunc legimus Categoriarum antiquitas edita a Zenkero versione Arabica quam ex Graeco fecit Ishac Ben Honein (ed. Lips. 1846) luculenter comprobatur: habet enim et Arabs codicum illam quam Simplicius notat (Sch. 51 b 38) *διασογραφίαν* c. 5. 2 b 6 (cf. not. Bekk. et Zenk. p. 24, 1. item habet verba a Bekkero reiecta p. 2 b 38. Zenk. 27, 3). Quo simul specioso exemplo librariorum medii aevi in textu antiquorum auctorum tradito servando religio demonstratur, quibus omnibus pro lege erat id quod dixit qui libro de Gorgia subscripsit (Bekk. p. 980) verba illa *καθὼς γὰρ ὁρῶ οὕτω γράφω*. Attamen et corruptae in omnibus Graecis exemplaribus lectionis remedium nonnumquam ex Arabica versione sumitur, velut Cat. p. 6, 21 (cf. Boethii vers. et Zenk. 45, 1) ubi ex prolixo huius auctoris more, ita quidem comparato ut quo magis prolixa lectio sit eo fere sit verae similior, legendum est: *οἷον τὰ τρία τῶν πέντε, οὐδὲ μᾶλλον τὰ τρία τῶν πέντε οὐδὲ τὰ πέντε τῶν τριῶν*. Ut vero ex hoc Categoriarum versionis exemplo optimis codicibus et Bekkerianis fere lectionibus (cf. Zenk. p. 51, 2. 72, 3. 76, 2. 77, 1. 77, 2. 80, 4 etc. cf. 33, 5) consensisse vides exemplaria ab interpretibus Arabicis usurpata, ita eadem et merita et peccata ex studio illo nata medii aevi interpretibus omnibus et Syris Arabicisque (Renan de phil. peripat. apud Syros, Paris 1852 p. 29. eiusdem Averroès p. 61. Wenrich p. 45) et Hebraicis et Latinis (Renan Av. 160 sq. cf. de Pisano Jo. Chrysostomi interprete eiusque prologo quo se de verbo ad verbum transferre fateatur Poggii Epist. 1, 6 p. 30 sq. aliorumque multorum praefationes idem asserentes, velut Philippi qui Arist. Secretum „cum magno labore et lucido sermone" transtulit propter idiomatis Arabici difficultatem eiusque a Latino diversitatem, quam similiter excusat Eugenius in prol. Optic. Ptolemaei, ex litera literam eliciens ut ait et sensum ex sensu) communi ut sc. quam accuratissime singula verba reddant, ceterorum quoque librorum fuisse ab Arabibus translatorum vel ex Latinis disces. Saepe enim mihi Averrois volumina evolventi mirandi occasio data est cur praeter Graecos commentatores ad textum Graecum emendandum nemo adhuc cogitaverit adhibere Arabicarum versionum Averroisque commentariorum vel translationes illas Latinas sec. XIII a doctis et Hebraeis et Christianis ex Arabico factas — remanebant enim et in edd. Averrois Juntinis veteres Eth. Metaphys. Phys. et librorum de anima versiones,

ceteris libris seculo XVI doctorum Hebraeorum opera aut castigatis aut denuo conversis ex versionibus sec. XIII et XIV Hebraicis, de quibus ut facilioribus ita minus accuratis (cf. e. g. Jo. Costaeum in praef. ed. Junt. opp. Mesuae de vers. nova Sylvii; not. editoris ad Averrois Colliget ed. Junt. 1553 f. 14) egit Renan Averroès et l'Averroïsme, Paris 1852 p. 147—152. 300—305. cf. 61 — quum tamen iam Salmasius Dioscoridem ex Arabica versione restituendum censuerit recteque Casiri (1, 238—40. 266) Arab. translationes in universum defenderit: nam iudicium illud veterum medicorum Mesuae commentatorum de Arabibus „quibus hoc fuit peculiare ut ex Graecis habuerint omnia depravata qualia et nos ex Arabibus multa" Dioscoridis sc. et Hippocratis et Galeni (Jo. Cost. f. 46 in ed. Ven. 1581), ductum quidem ex definitionibus illis ex Galeni theoria sumtis de medicinarum gradibus (Sprengel hist. med. II, 171) Dioscoridi et vel Hippocrati tributis (cf. Manardus ibid. f. 46d. 48c. 84d. Costaeus 48g. 84e etc.) aliisque rebus ab auctoribus his manifesto alienis, id insigni pseudepigraphorum Arabicorum copia (ut ipse suspicatur Costaeus f. 93g.) facile explicatur. At nocebat versionibus illis et humanistarum fatua saepe et iniusta superbia (cf. L. Vives Opp. I, 33 sq. 410 sqq. 415. 486 etc.) qua contemnebant sermonem medii aevi Latinum a Ciceroniana sane facundia abhorrentem (cf. Leonard. Aret. epist. 4, 22. 7, 4. Poggii Epist. 1, 6 etc.), utpote et in verborum usu et in syntaxi huic aetati proprium, attamen et novis rebus aptum et usu facilem et minime iniucundum; nocebat librariorum inscitia nominum propriorum orthographiam corrumpens et in ipsorum auctorum vituperium iniuste versa et Arabicorum puncta diacritica passim omittentium et Latinorum in libris etiam e Graeco versis non minus conspicua et ab ipsis editoribus male legentibus adaucta (cf. e. g. edd. Walensis et Burlaei); nocebat virorum doctorum velut Buhlii aliorumque inepta opinio, qua sicut ex Syriacis demum versionibus Arabicas omnes ita ex Hebraicis Latinas illas factas esse dicerent, id quod quum rectius ipse postea de his exposuerit, in ipso libri sui initio repetere paradoxiae potius causa quam veritatis non debebat Renan (Averr. p. 39. cf. 37. de phil. perip. ap. Syr. p. 56. cautius Wenrich p. 39. 40. 29): nam non solum eos qui inter veteres sec. XII et XIII interpretes essent Hebraei in Latinum ex Arabico sermonem aeque atque in proprium Hebraicum transtulisse constat, sed etiam Syros illos Christianos et trilingues ex Graecis exemplaribus modo

Arabice modo Syriace vertisse nec solum ut in quibusdam sane et antiquioribus (saepius enim iidem libri et vel ab eodem in utramque linguam interprete velut Honeino cf. Casiri 1, 254 sq. 286 translati sunt sec. IX et X) versionibus Aristotelisque maxime propter codicum Graecorum raritatem factum est, ex Syriacis demum sive propriis sive aliorum versionibus, hoc et rerum naturae consentaneum est et Arabum testimoniis. Quod autem ad illas versiones quas sequitur Averroes interpretum nominibus destitutas ita ut utrum ex Syriaco exemplari prodierint caedemque sint illae quas Nedimus addita nota a versionibus Graeco-Arabicis distinguit an ex Graeco factae, ex ipsa tantum lectione concludi possit, Metaphysicorum certe versionem quae in Averrois opp. legitur, praeterquam quod de versione quadam Syro-Arab. nihil retulit Nedimus (cf. ap. Hottinger Bibl. orient. p. 240 sq. Casiri 1, 306. Hadschi Kh. 5, 50), mihi persuasum est Graeci esse exemplaris licet lacunosi, id quod ipse saepius notavit et interpres illatis verbis „Album in Graeco" sive „Album in exemplari" et commentator Averroes. Et sane quidem praeter fabulam illam de legatis Khalifarum qui libros Graecos peterent ad Byzantinum imperatorem missis hac maxime re raros fuisse in Asiae regionibus Graecos codices ostenditur, quod et multos libros per partes tantum conversos extitisse constat (velut Alex. et Themist. comm. in Phys., eiusd. Alex. et Ammonii in Top. aliique comm.) et ipsos saepe interpretes de vitiosis quibus usi fuerint nec integris exemplaribus Graecis querentes legimus velut Honeinum ap. Nedim. Hott. 238 (Cas. 1, 306), idem Cas. 1, 250. 251 sq. cf. Hadschi Khalfa 1, 382. 5, 147 etc. etc. Ita in Metaphysicorum versione Arabica liber *K* non ferebatur id quod disertis verbis dicit Averroes Met. p. 289 m (nec eum novit Albertus Magnus cuius tredecim librorum decimus Graeco *I*, undecimus Graeco *Λ* respondet), nec ideo solum quia huius libri in Hispania, ubi rariores erant philosophorum Graecorum versiones, omnino illae ut par est raro descriptae (pauci enim erant si theologos comparas qui operam iis darent iique non sine invidia quadam „Non-Mohammedani" fere appellati, cf. Hadschi Kh. 3, 100. 1, 77 et Schahrestanii opus hoc discrimine fultum qui „philosophos" Arabes Graecis annumerat 2, 80. 213. cf. 1, 34. 2, 1. 3) exemplaria Arabica non legebantur, sicut reliquis post primos quatuor Ethicorum libris diu caruit Averroes (cf. Eth. extr. Vol. III), sed quia Arabice plane non exstabat ut alii quoque Aristotelis libri sc. l.

de incessu de motu anim. de vita et morte maximeque Politica. Nedimum enim licet harum rerum et primum (cf. verba eius ap. Hott. 233. 234) auctorem et diligentissimum quemque posteri omnes exscriberent multos tamen libros versionesque ignorasse vel ex eo patet quod nullam haberi ait libri de sensu quem ex Parvis q. d. naturalibus solum nominat versionem (cf. Hott. 239. Cas. 1, 306: quos correxit Hadschi Kh. 5, 75): in quem et Ibn Badsche commentatus est et exstat Averrois paraphrasis et huius libri et l. de memoria et somno deque long. et brev. vitae. Politica vero cur numquam translata fuerint et ex ipsorum argumento et ex commentatorum Graecorum neglectu facile explicatur: quod enim ait Averroes in fine Comm. ad Eth. se libri illius quo continuentur Ethica de regimine vitae i. e. Politicorum quem Arabice legi ex Alfarabii verbis bene novit nondum exemplar nactum esse, id spectat librum illum apud Arabes Politicorum nomine inscriptum (cf. Hadschi Kh. 5, 97. Wenr. p. 136 cuius errorem correxit Renan de phil. perip. ap. Syr. p. 57) de regimine principum (sive de regimine vitae de administratione regni de sanitate tuenda etc.) sive Secretum Secretorum ad Alexandrum Magnum medio aevo apud Latinos celeberrimum et in octo distinctiones divisum sec. prolog. Philippi, auctoris tamen ut alia multa apud Arabes Galeni maxime pseudepigrapha et recentissimi et manifesto Christiani. Praeter librum decimum (Arabibus qui primum numerant τὸ α' ἔλαττον undecimum) reliqui omnes Metaphysicorum libri Averrois commentario instructi erant: hunc enim non ignorasse libros μ' et ν', quamquam non exstat versio latina, et ex praefatione eius in l. XII sequitur et ex argumento Epitomae eius in Metaphys., cuius tractatus quintus etsi ne hic quidem latine versus, propter ipsum fortasse argumentum mere criticum neglectus, tertiam ex Alexandri divisione metaphysicae disputationis partem continens „speculatur de subiectis scientiarum particularium et removet eorum errores in quos inciderunt antiqui" (Av. Epit. p. 357 b. c. 396 g. cf. Comm. in Met. 287 c. 290 c). Exstat praeterea versio Hebraica librorum si l. κ' exceperis omnium usque ad litt. Mem, quae sec. ordinem alphabeti Hebr. respondet Graecae litt. ν' (cf. vers. Pauli Isr. p. 287 c. 290 b), cui opus suum a. 1192 finientis sequitur subscriptio Averrois (Pasini Codd. Mss. Taurin. I p. 14 sq.). Latinae autem versionis (non textus Arabici) aliae quoque fuerunt lacunae (cf. Roger Baco Op. mai. p. 46), velut libri α' initium mutilum p. 6a (incipit enim 1, 5. 987, 9)

et finis libri λ' a p. 1075b 11 deficientis duoque libri δ' omissa capitula (4, 9 et 4, 10) at non ab Averroe neglecta ut docet Epit. p. 361. Ipsae tamen lectiones versionis huius Graeco-Arabico-Latinae quum saepissime consentiant cum optimo codice Graeco Ab Bekk. multasque Bonitzii lectiones praeclaras confirment, rectius fere si paradoxe loqui velis in versione Arabica legi dixeris Aristotelem quam in textu ipso Aldino primo codicis cuiusdam cum Bekk. E T fere cognati interpolatam interdum et corruptam lectionem secuto. Mirum vero si cui videatur quod quum plures adessent singulorum Aristotelis librorum versiones Arabicae raro tamen cogitaverint Arabes philosophi inter se illas comparare nec Averroes versionis eius qua utitur lacunas hac ratione expleverit, is causam habet ipsorum exemplarium quam supra tetigi raritatem. Qua factum est ut solius fere (cf. Renan Averr. p. 38) libri Metaph. λ', qui quum universae quasi metaphysicae compendium esset separatim a reliquis libris a quibusdam conversus (cf. Nedim Hott. 240 sq. Cas. 1, 306) aut cum Themistii paraphrasi (sicut in versione huius libri Hebraica, cf. Pasini l. c. p. 15) aut cum Alexandri commentario ferebatur, plures in Hispania translationes Averroes habuerit in huius potissimum libri commentario varias ille et vel trium (308m) versionum lectiones saepe citans, cf. p. 301 g. k. 308 l. m. 309 c. 312 a. f. i. k. 317 i. 318 b et 299 d. e. f (ubi „et hoc invenimus ex translatione Joannis" i. e. Jahjae Ben Adi). Jam vero altera quaedam versionum Aristotelis Arabicarum ea est utilitas ut ex iis solis multos nisi spes fallit libros Graece deperditos fieri possit ut nunc quoque cognoscamus, si non ipsius Aristotelis — id quod etiamsi fuissent quos non fuisse supra probavi libri Aristotelis nunc deperditi et studiorum Peripateticorum Byzantina aetate historia et Nedimi „Index doctrinarum" refutaret — at commentatorum eius. Cuius rei luculentum exstat exemplum commentarii quem ad Metaph. λ' Alexander Aphrodisiensis scripsit, quo integro et genuino Averroes usus est licet parte tantum (ut et Alexandri in Phys. commentariis non nisi per partes translatis Arabes usi sunt, commentario praeterea in librum tertium omnino desiderato, iis vero quae ad l. octavum pauca exstarent ab Alexandro ut ait Averroes alienis, cf. Wenrich 275. Ibn Nedimo consentit ipsius Averrois testimonium Comm. in Phys. p. 1b, qui et Themistium et Alexandrum — cf. e. gr. 133g. 137m. 143a etc. — nobis praeter Simplicii fragmenta deperditum saepe citat. adver-

tendum est eundem Averroem citare Alexandri librum de principiis universi — Wenr. 277 — Epit. Metaph. p. 387h. Comm. Phys. 341k. cf. 426k Alex. „in quibusdam suis tractatibus"). Alexandri enim in Metaph. *ὑπόμνημα* (*τῶν εἰς δύο τὸ πρῶτον* et *τὸ β'* sec. titulos) nunc desinit in fine libri IV, exinde incipiunt *σχόλια* (*σχολαί*) alieni ut recte vidit Brandis (Sch. Arist. p. 734) auctoris Michaelis sc. Ephesii (cf. Ravaisson sur la métaph. d'Ar. I p. 64), quem et libri *ε'* in cod. A inscriptio nominat et auctorem ostendit Pseudo-Philoponus (Bonitz praef. in Alex. p. 21) qui huius ipsius commentarii verba ad l. *ε'* sub nomine Ephesii citat, quod idem saepius fecit Anon. Schol. cod. reg. ap. Brandis Sch. Ar. ad l. *ζ'* p. 743, 10 = Alex. 432, 32 Bon., ad l. *ϑ'* p. 777, 37 = Al. 535, 1, ad l. *μ'* p. 820, 19 = Al. 741, 17. Accedit quod ipse Ephesius talem se ad posteriores tantum Metaphys. libros commentarium edidisse narrat in fine schol. ad l. de vita et morte f. 175b (ed. Venet. 1527 cum Simpl. de an. et Alex. de sensu) ubi postquam commentariorum iam absolutorum ad l. de part. an. de incessu de memoria de generatione de motu an. de long. et brev. vitae de vita et morte mentionem fecit addit haec: *γέγραπται δέ μοι καὶ εἰς τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ζῆτα* (corr. *ε'*) *ἕως τοῦ νῦ* („super sextum usque ad decimum tertium" vers. lat.). *λοιπὸν δ' ἐστὶ τὸ περὶ χρωμάτων, ὅπερ ἂν δῴη ϑεὸς ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς σαφηνίσομεν.* Qui quidem Ephesius ut in ceteris quoque commentariis Alexandro utitur (velut in comm. ad l. *περὶ ἑρμ.* Brandis Ausleger p. 290), ita in hoc quoque ex Alexandro — quem manibus tritum prodit nomen eius exempli causa satis iocose saepius et ridicule illatum praecipue p. 500 sq. cf. 550, 13, quae ipsum de se Alexandrum dicere potuisse absurdum est existimare hominem gravem et minime fatuum, quemque quum satius esset *μεταγράφειν* quod deseruerit ipse Asclepium increpat (Bonitz l. c. p. 20) — ex Alexandro igitur totus ita pendet (cf. e. gr. Ephes. sch. in l. de memoria et somno f. 127, ubi in ipso initio ea quibus librorum de anima et de sensu argumentum descripsit Alexander in prooem. comm. ad l. de sensu f. 93 verbotenus ipse repetit), ut sicut eiusdem Ephesii comm. in Soph. El. (cf. Brandis l. c. 298sq.; scripsit idem in Top. Analyt. Phys. et omnia fere ut solebant Byzantini Arist. opera), ita hic quoque in ipsius postea „expositoris" i. e. Alexandri nomen abiret; simili fere ratione qua alius quoque Ephesii commentarius postea dicebatur Philoponi commentatoris

inter Christianos clarissimi. Michaelis enim Ephesii scholia in l. de generatione animalium sub falso Philoponi nomine male edita esse (Venet. Ald. 1526) omnis eorum ratio evincit, quae ut plane eadem cum scholiorum in l. de partibus anim. auctore Ephesio (ed P. Victorius Flor. 1548) ita a prolixis Jo. Philoponi commentariis plane aliena est et vel hoc et diligentiae et doctrinae specie multo inferior: numquam enim ille libros in his citat, si solum Platonem exceperis (cf. de part. p. 72. 105 sq. de gener. f. 15b. 18b praeter eundem Platonis Timaeum f. 166 etc. Alexandri Aphrod. quosdam tractatus citat Ephesius in scholiis ad Parva nat. sc. librum de anima f. 171 b, ubi et Galeni librum quendam, librum de daemonibus f. 148, denique librum inscriptum hoc titulo *ποῦ τακτέον τὸ ἡγεμονικὸν* f. 155), nec historica quae multa occurrunt nec aliud quidquam explicare valens, licet eo nomine quodammodo excusatus quia antiquorum interpretum quos ut Alexandrum in ceteris tamen commentariis passim citare solet (Brandis 298 sq.) in his libris usu destitueretur, numquam illis ut Averroes quoque questus est in fine paraphr. eorum (Vol. VI P. II „nullumque expositorem vidimus hunc librum exposuisse") a prioribus propter rerum copiam sententiarum vero facilem intellectum tractatis. Ipse quoque difficiliora tantum seligere se, manifesta silentio praetermittere frequentissimo illo quod in sch. et ad l. de part. et ad l. de gen. et saepe etiam in schol. ad Parva nat. (similiter Pseudoalex. in Meteor. f. 105b. 109b etc.) legimus *„σαφῆ δὲ τὰ ἑξῆς"* significat itaque se facturum ipse nuntiavit de part. p. 121 atque iisdem fere verbis de gen. f. 3b. Ceterum auctoris, qui Athenis scripsisse videtur (de gen. f. 14b), patriam Ephesum manifesto ostendunt verba de gen. f. 72: *ἔστι δὲ ἡ ὕαινα ζῷον ὅμοιον λύκῳ, ὅπερ ἐν Ἐφέσῳ νῦν ὁ πολὺς ἄνθρωπος γάννον* (cf. Ar. hist. an. 594,31) *ὀνομάζει*. In Metaphysicis autem Ephesius licet in singulorum verborum expositione formulis ab Alexandro alienis saepissime usus (velut ubi ad ipsum Aristotelem conversus alloquitur 435, 12. 446, 1. 788, 23 etc. cf. Bonitz praef. p. 25) omnique stilo et rustico quodam orationis argumentationisque colore (locos ubi Ephesium maxime deprehendas praeter p. 500 sq. lege hos p. 763, 8 sqq. 784, 15 sqq. 788, 23 sqq. 432, 32 — 433, 9 ubi neoplatonice plane definitur et distinguitur *τὸ τί ἦν εἶναι* et *ὁ ὁρισμός* cf. idem 437, 29. 438, 12, quae Ephesii verba esse ait Anon. Sch. Br. 743, 10. cf. etiam 489, 2—5. 509, 5 sqq. 699, 12 etc.) non minus ab

illo abhorrens quam prolixa illa ratione qua et in ceteris utitur velut in exemplis allatis (642, 8 sqq. 644, 25 sqq. 649, 15 etc.) quaque solet Aristotelis propter *ἀσάφειαν* (cf. *τὸ μεμελανωμένον τῆς λέξεως* 565, 30. 789, 20) quae quidem prodeat ex *ἐλλιπῶς* loquendi consuetudine et ex *βραχυλογία* (cf. 789, 10 sqq. 440, 28. 522, 3. 565, 23. 31. 568, 12. 609, 21. 644, 33. 735, 27 etc.) continuo vituperati (quam rationem iam ab Alexandro monstratam improbavit Simplicius comm. de Coelo 497b 32, cf. 490b 45. 493, 11 etc.) explicare *τὸ ἑξῆς τῆς λέξεως* (408, 22. 789, 20 etc.), et ipso denique singulorum vocabulorum usu (cf. *προοπλίζει* 409, 27. *περιφαντάζεσθαί τινα* 482, 28. *ἀποσεισάμενος* 606, 5. *ταλανίζει ἑαυτόν* 699, 12. *λήθη μεσολαβεῖ* 500, 3. *σκιωδῶς ἐμφαίνει* 405, 7 etc. *σαφήνεια* = interpretatio 470, 24. 522, 10. 574, 18. 641, 2. 718, 26 etc. *τῆς διανοίας κόρας* 763, 32. *γεγύμνωται τῆς ὕλης* 532, 18. *ἀπογύμνωσις τῶν εἰδῶν* 430, 19. 431, 8. *ὀνειρώττειν τὴν ὕλην* 646, 12. *ἀποκλήρωσις* 445, 12. 705, 7. *σμῆνος οὐσιῶν* 493, 16. *τὸ χῦμα τῶν ἀνθρώπων* 665, 13. 678, 12 etc. etc.), — Ephesius igitur Alexandri commentarium et interpretandi rationem propter ipsam scil. propriam inscitiam ita imitatus est ut ipsum quem maxime admiratur (507, 30) auctorem non iudicare vel adeo ut Syrianus et Asclepius refutare (nisi quod 643, 16 satis inepte Platonem defendit simul et Aristotelem, cf. de Pyth. 644, 4: aliter enim verus ap. Averr. Alex. p. 293m) sed explicare studeat idque vel in libro *λ'* et deorum multorum demonstratione, quam tacito puasi consensu probavit Christianus (cf. 697, 31) non ignarus sc. Dionysii et qui huius sunt *θεῖοι νόες* (cf. Ephes. *οἱ δεύτεροι νοῖ* 773, 16. cf. 682, 12). Quo fit ut vix ex singulis quibusdam locis (quos cunctos collegit Bonitz p. 26. adde 773, 16. 634, 1), maxime vero ubi explicatius egit et uberius p. 682, 3 sqq. (cf. pot. 8—13. 22. 25—27, ubi *ἐπιστροφὴ* illa et *ἀγαθοδοσία* Proclum plane sapit, cf. c. gr. Theol. Pl. p. 95. 93. Dionys. p. 355—58 ed. Ven. 1755) et p. 800 (cf. Syrian. p. 114 Bag.) auctorem agnoscas Neoplatonica aetate posteriorem (cf. Bonitz l. c.) et studiis illis Aristotelicae simul philosophiae et Procli Platonicae post exstinctum hellenismum iam inter ipsos sec. VI Christianos resumtis falsisque Dionysii Areopagitae libris imbutum. Integro Alexandri in posteriores Metaphys. libros commentario usus est Syrianus, qui Aristotelis mentem secundum Alexandrum primum exponit deinde ex suo refutat nomen quidem Alexandri raro et cum paucis verbis

adscribens (cf. Bonitz p. 11. 18 et praeterea etiam in l. ν' vers. Bagol. p. 103 cf. Alex. 776, 16. p. 116b cf. Alex. 803, 16. p. 132 cf. Alex. Averr. p. 287e, quae omisit Ephesius), patet tamen vel ex eo quod nihil dicit Ephesius (cf. 763, 26. 764, 2 sqq.) de divisione libri μ' a l. ν' quo loco facienda sit neque illorum a quibus Alexander non certe sine defensione secessit (Syrian. p. 98. 101b. cf. l. c. ap. Bonitz Comm. Met. p. 565) omnino sententiam tangit, falso hunc perhiberi Alexandrum; usus est item Asclepius (cf. l. c. ap. Bonitz praef. p. 20); non vero Alexandro sed Ephesio usus est auctor brevis illius expositionis quae ut alia multa posteriorum Philoponi nomine summa iniuria inscripta fertur. Ad liquidum vero haec res perducitur inspecto Averrois in librum duodecimum (λ') commentario, cui quidem ad hunc solum librum quum ad ceteros libros nullius interpretis scholia reperta essent, oblata est ut ipse ait (p. 286a) et Themistii paraphrasis et expositionis Alexandri maxima pars (usque ad p. 1074, 31. cf. Averr. p. 333c: „et hic completur sermo Alexandri expositivus"), cuius in singulis textus articulis verba apposuit verbotenus ut Themistii comparatio comprobat (cf. Them. ap. Averr. 291c-d = Sch. Br. 798, 35 etc.) translata et a Pseudo-Alexandro manifesto diversa. Quae verba et varia saepe scriptura collata (Averr. p. 302e. 292l. cf. 293k. 306k etc.) et Aristotelis sententia pluribus modis exposita (300d-g, 294g-h, 302a. c, 302d-f, 306m, 307a-b, 319i-l etc.) Alexandri morem consuetum referunt, quem et ipse Averroes in hoc libro fere imitatur. Pauca quidem habet Averroes ad locum huius libri astronomicum explicandum in quo Ptolemaeum comparat ille non Alexandrum, at quo uno loco citat Alexandrum p. 331i (cf. Simplic. de Coelo 501b 6 sqq. cf. 20. 25. 30. quae sumsit hic ex Alex. comm. in Metaph. cf. Alex. 679, 8) eo probatur eodem Alexandro usum esse Averroem quo in comm. de Coelo Simplicius, qui ex Alexandri scholis in Metaph. λ' (Sch. Br. p. 502, 35. cf. 500, 15 sqq.) multa transscripsit et plura (cf. Simpl. 501b 46—542, 48) quidem — id quod sententiarum docet nexus intimus (Simpl. 501b 46. 502, 40) — quam quae nunc apud Ephesium leguntur Alexandri verba excerpentem et negligenter quidem (Al. 681, 19. cf. Simpl. 502, 36) et plurima omittentem. Etenim apparet Simplicium hausisse totum illum Sosigenis locum de Ar. l. λ' (500, 40 sqq. cf. 501b 6) ex Alex. in Met. comm., non ex comm. eiusdem in l. de Coelo; Ephesius autem secundum exemplum Simplicii qui ipse se

excusat quod astronomica haec quae sc. in Metaph. exposita vulgo ferebantur (ut ap. Alex. et Porphyrium) rerum coelestium cui magis conveniant doctrinae reddiderit (p. 504b 32—41), ille igitur de his uberius egit in suo quem citat (Al. 679, 14. cf. Simpl. 500, 43. item Al. 677, 25 sqq.) ad l. de Coelo commentario. Jam vero patet Arabica Metaphysicorum versione, quum perditi sint Alexandri Aphrod. commentarii, antiquissimi omnium codicis Graeci nobis aliquam esse notitiam servatam eamque ut nostris omnibus et codicibus et scholiis antiquiorem ita Alexandri Metaph. codici magis consentaneam. Quod uno quidem exemplo probasse sufficiat. In verbis enim Arist. 11, 3. p. 1070, 18: *διὸ δὴ οὐ κακῶς ὁ Πλάτων ἔφη ὅτι εἴδη ἐστὶν ὁπόσα φύσει* pro nomine Platonis quod et Ephesius legit (650, 18), ita habet et auctor versionis Arab. (p. 301 l) et Alexander ab Averroe citatus (p. 301 m. 302a idemque ex alio etiam codice collato p. 302 e) „Et ideo non male fecerunt ponentes formas" (*οἱ τιθέμενοι τὰ εἴδη*); Platonis vero nomen ex nota Alexandri irrepsit: ita enim Averroes 301 m „Dicit Alexander: Innuit in hoc sermone Platonem" etc. (idem Alex. in v. seq. 19 recte legit *ἀλλὰ τούτων*, non *ἄλλα τούτων*). Praeterea longiora quaedam loca in Met. textum male recepta esse versione Arabica confirmatur, velut diu suspecta illa 8, 6. p. 1048b 18—35 (cf. Bonitz Comm. p. 397) Ephesio aeque ignota (cf. Bonitz not. ad Alex. p. 551) atque Averroi et interpreti Arabico (cf. p. 236. 237 et not. editoris p. 235 h). In eodem capite glossa manifesta illata sunt verba quamvis Ephesio (p. 549, 9—15) iam lecta 1048, 32—35 (*λέγομεν — ἐνεργείᾳ*) quae itidem omittit Arabs (p. 236 b). Maxime autem memorabilis est Averrois in eundem illum librum *λ'* praefatio p. 286—290 (quae quum in antiqua translatione huiusque una cum comm. in l. de anima de sensu mem. somno de long. vit. et IV Meteor. editione Venet. a. 1483 impendio ac diligentia Andreae de Asula impressa deesset, in ed. Junt. ex recentiori seculi XVI duplicique et Pauli Israelitae et Jacobi Mantini versione addita est) in qua ille Alexandri et in hunc ipsum librum prooemium retulit et longam deinde eiusdem de omnium librorum Metaphysicorum argumento hic in ipsius doctrinae metaphysicae fine (Averr. 286 b. g) brevibus repetito disputationem, qua simul ordinem librorum quem ceteris adeo Aristotelis libris exactiorem praedicat (p. 287 b. cf. Alex. pr. lib. *γ'* et *δ'* et Ephes. prooem. lib. *λ'* et de iteratis p. 645, 22. 663, 22) ut solet defendit et dispositionem

operis partiumque divisionem exhibet (cf. etiam Averr. Epit. Met. p. 357). Quam ita infert Averroes (p. 286 h): „Haec summa est eorum quibus Alexander praesentem hanc dictionem aperuit. Nec absonum est huc quoque afferre ea quae ad summariam aliarum huius scientiae dictionum intelligentiam Alexander praeposuit." Nec vero Alexandro in hac re consensere neque posteriores Aristotelis interpretes neque adeo antiquiores. Nam quod ad illam de Aristotelis libris omni temporum iniuria corruptis augendam opinionem maxime fecerat non tam illud erat quod singuli essent glossis contaminati quam potius quod ordinem metaphysici operis omnem turbatum esse viderent alienis libris integris interpositis iisque adeo qui partim eandem doctrinam compendii instar referrent, partim ex aliorum eius librorum locis essent consarcinati. Qua re maximeque libro κ′ commotis nonnullis commentatoribus suspicio illa nata est et coniectura (ea enim erat, non fama tradita) postumum illud Aristotelis opus esse et a discipulis eius post mortem editum (Asclep. 519 b 33 sqq. cf. 689, 19. quod ad recentiorum de Metaph. librorum serie disputationes cf. Bonitz Comm. p. 31—35, quibus post ipsam optimam Bonitzii novissima accessit illa quam in libro inscr. Studia in Arist. l. metaphys. collata, Berol. 1853, sagaciori illo quam veriori edidit Wilh. Christ p. 88—118 mihi omnino improbatam). Neque enim in Alexandrinis aliisque bibliothecis extitisse exemplaria a nostris diversa, sed potius libros illos metaphysicos alienos auctorisque nomine male carentes una cum ceteris, sicut idem factum est in Hippocraticis Democriteisque illis qui ex diversis aliorum partim librorum essent consuti, iam Alexandrinis ita fuisse oblatos, id vel Nicolai Damasceni sententia docet ab Averroe citata et ex eius quidem Metaphysicorum paraphrasi sumta, operis de Aristotelis philosophia in ling. Arab. conversi parte (cf. Wenrich p. 294. 306. Meyer praef. ad Nicol. de plantis p. 18 sqq. Roeper Lectt. Abulph. p. 35—43. de libro Quaestionum Nicolai cf. Albert. Magn. II, 140. 139. Hauréau de la phil. scolast. 1, 470 sqq. Renan Averr. p. 165 sq.) et satis copiosa ut docent loci ab Averroe citati (p. 173 e sqq. 174 d. cf. 328 e. Simpl. de Coelo 493, 23) quibus supplet ille quae in exemplari suo exciderant (6, 7. p. 1032, 28 — 1032 b 5. cf. ad p. 1033, 1 sqq. Nic. 174 d) — Andronici quoque nota est categoriarum paraphrasis (Brandis Ausl. 273), quam postea commentandi rationem renovavit Themistius (praef. in Anal. post.) —, qua ille iam quae in libris

β′ et δ′ iisdem qui nunc leguntur et quasi ad ipsam artem praeparatoriis proprio seorsim libro comprehensa habentur (ἀπορίαι sc. et τὰ πολλαχῶς), ipsi potius universae disputationi metaphysicae prout in Physicis revera factum sit inserenda ratus (Averr. p. 37a. cf. 36 l — 37 e) meliori ordine debere doceri dixit Metaphysica (Av. p. 290 e. 37a. 100 k. cf. Asclep. 519 b 35: οὐδὲ τὸ εὔτακτόν τε καὶ συνεχὲς ἔχουσα). Sed quum hi libri ab Aristotelicis certe sicut varia illa Ethica auctoribus, non vero ab ipso omnes Aristotele conscripti in unum Aristotelis Metaphysicorum corpus ab Alexandrinis propter argumenti similitudinem cogerentur itaque deinceps sicut simili exemplo Hippocratis Epidemiorum libri ederentur, facile fieri potuit ut inveterata consuetudine legentium postea iudicium deciperetur. Sunt enim huic operi inserta quae nullo modo ab ipso Aristotele profecta esse et toti loci ex aliis et vel his ipsis libris certo alienae originis signo repetiti — neque enim rhetor erat ille nec se ipsum exscripsit umquam — et ipsa eorum librorum ratio edocet qui non ut exspectabas inceptas priorum librorum disputationes persequuntur, sed aut omnem hanc doctrinam ea quae esse solet epitomatorum et in doctrina exponenda et in orationis genere brevitate comprehendunt aut idem plane argumentum denuo retractant. Primi generis sunt δ′, κ′, μ′, secundi κ′, λ′, tertii μ′, ν′. Jam vero fragmentum (Alex. 100, 11) illud quod inscribitur α′ ἔλαττον quodque tribus capitulis continetur ita inter se iunctis ut de scientia metaphysica sive potius de theoretica omni (de hac enim agitur cf. 1. 993 b 20. 23. 28) quam sit difficilis quave re fundetur, causae sc. cognitione, primo agatur capitulo, secundo vero esse revera metaphysicam quum ἀρχὴ sit atque πέρας nec πάντα ἄπειρα statuatur, tertio denique quomodo veritas ea et certitudo quae est metaphysicae differat a physica (ita optime Alex. 127, 6 sqq. cf. 101, 8) — utraque enim de principiis deque natura agit (993 b 2 et c. 3 extrema verba ab Arabico etiam interprete et Averroe 35 i. 36 b — qui tamen clausulae partem praecedentem 995, 16—19 insuper repetunt, ex alia fort. lectione — lecta ut iam ab Alexandro, qui tamen illa in quibusdam libris neglecta a librariis propter primam libri β′ quaestionem adiecta esse e sua sola coniectura credidit 130, 24 minime apta, quam sequitur Bonitz Comm. p. 135), physica quidem de natura materiali metaphysica de natura ea (cf. Phys. 2, 1. 1, 9) quae est forma — hoc igitur fragmentum quum sit alterius cuiusdam a

Peripatetico quodam scripti Metaphysicorum libri eiusque Theophrasti quae feruntur Metaphysicis, in quibus de cognitione principiorum quaestio illa logica omittitur, similioris prooemium ab editoribus demum Alexandrinis Aristotelici operis exemplaribus non quod Aristotelis esse putarent sed propter argumenti similitudinem adscriptum — id enim Graeci quoque commentatores intellexerunt (cf. Alex. prooem. ex quo sua Asclepius) de loco eius admodum dubitantes an omnino non sit metaphysicae doctrinae (Alex. 100, 18. 101, 20) et ante Physica potius legatur (Asclep. 589 b 1 sqq.) et si sit utrum primus Metaph. liber (α' μεῖρον) rectius eo continuetur locum post primum librum antiquitus traditum (Alex. 100, 17. 105, 29) iure tuente, an praecedatur quam sententiam Alexandro magis probatam Arabes secuti sunt (Averr. 287 b) librum α' ἔλ. primum semper Metaph. librum et l. α' μεῖζον secundum numerantes — manifesto ostendit probatque alios quoque libros ad res metaphysicas spectantes eodem modo vero Aristotelis operi male potuisse aggregari. Etenim scripsisse quidem Aristotelem librum de terminis nominibusque quorum usus est metaphysicus pluribus modis intelligendis (περὶ τῶν πολλαχῶς), id ipsius per omnes libros genuinos (γ'—ι') verba diserta indicant, insertum fuisse hunc librum ab ea disputatione quae in Categoriarum libro legitur longe diversum ipsis ab ipso Aristotele Metaphysicis, id voce ἦν („ut diximus" Averr.) qua ille citatur (5, 2) ostenditur, non tamen esse eundem qui nunc quartus habetur ipse hic docet terminos metaphysicos physicosque exhibens undique et vel ex ipsis Physicorum libris verbisque nullaque neque in eligendo ratione nec in disputando methodo correptos nulloque singulorum ordine (quem corrigere voluit Averr. in Epit. Met. l. 1) nec inter se nexu philosophico tractatos (cf. Bonitz. Comm. p. 20), plane ille indignus Aristotele qui paucioribus sine dubio quam nunc fit terminis selectis maxime in hoc libro egit de substantia eiusque affectibus et categoriis (cf. 6, 1. 8, 1. minime enim sufficit disputatio quae est 4, 7. cf. 13—15) deque uno et contrariis circa quae fere versatur et scientia metaphysica cuncta (cf. 3, 2 fin.) et opus Aristotelis, et ita egit ut iusta disputatione certaque ratione ut ipsius utar verbis ἐκλογῆς (3, 2) et ἀναγωγῆς ad primum quid, ad qualem fere accedit locus l. quarti (c. 2) ex Physicis (2, 3) mutuatus (cf. Anal. post. 2, 11. Met. 4, 4 et Phys. 2, 1), singula explicaret id quod de substantia et uno et contrariis ipse promisit (3, 2. 10, 3. cf. Phys. 1, 6)

factumque dicit etiam ἐν τῇ διαιρέσει τῶν ἐναντίων. Ita accuratior relatorum divisio (διαίρεσις cf. 9, 6. 9, 4 etc.) quam quae tumultuaria facta est enumeratio (4, 15. 1021, 26) indicatur 9, 6. 1056b 34, item causae finalis qualis hoc sine dubio libro instituta significatur de part. an. 1, 1. Phys. 2, 2 (ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας) nec quae de necessitate quaestio est (4, 5) eo modo perfecta est quo perfectam fuisse ex eodem l. de part. an. 1, 1 loco sequitur qualisque in Analyt. (post. 2, 11 etc.) praesumitur. Nam quod veteres interpretes quibusdam huius libri eiusque de contrariis capituli citationibus commoti peculiarem fuisse tractatum credebant περὶ τῆς διαιρέσεως τῶν ἐναντίων, verba illa ad librum pseudaristotelicum de bono in quo et ipso talis ferebatur divisio male trahentes, id manifesto fictum est nec ullum huius rei in Aristotelis verbis argumentum est. Explicasse vero Aristotelem terminos metaphysicos, id quod in ipso certe Metaphysicorum opere debebat, iustoque adeo loco (cf. etiam 1, 9. 992b 19) alienum illum librum et hypomnematicum esse substitutum demonstrat tota libri tertii disputatio qua omne illud categoriarum nominumque distinguendorum consilium nititur, demonstrato sc. firmissimo illo disputandi principio quo eandem rem eodem modo et tempore non simul esse posse et non esse edocet sive, sicuti dixit in Theaeteto Plato eodem plane consilio refutatis sophistis cum Heraclito philosophiae fundamentum ostendens — neque enim aliud fere est tertius Metaphysicorum liber ac Theaetetus in sermonem Aristotelis philosophicum translatus —, genera rerum esse distinguenda et uno nomine multa comprehensa, ex quorum confusione μοναχῶς intellectorum ut omnes nascuntur ἀπορίαι (recte igitur liber β' praecedet librum γ') ita hoc dialecticae theoreticaeque scientiae fundamento quo praeparatur ipsa ἡ διαίρεσις τῶν πολλαχῶς luuntur. Et hic quidem liber quartus nunc deperditus ille est quem ipse respicit Arist. de gen. et corr. 2, 10. 336b 29 non tamen definiens scriptumne an scribendum, quoque omnes physici libri utqui perpetuo ad divisionis rationem illam ipsamque divisionem quasi notam alludant (praecipue Physic. l. I) ante perscripto et diligenter exposito necesse est praecedantur. Quum igitur simul ex citationibus (6, 1. 10, 1) ante ceteros Metaph. libros compositum illum esse constet, satis comprobatur recte Averrois textum quod dicit Arist. τεθεωρήσθω etc. (3, 2) ita vertisse ut sit: „Et nos perscrutabimus de hac opinione cum distinguemus contraria"

(p. 68b. cf. Averr. 68i). Nec adeo absona est ab Aristotelis ratione illa qualem quidem fuisse mente fingere debemus nominum explicatorum congregatio; qui quum semper fere in ipsa quaestione tractata de nomine distinguendo moneat, sicut Theophrastus etiam in libro de plantis, tamen et in Physicorum secundo qui rerum naturalium quasi quidam est liber περὶ τῶν πολλαχῶς (cf. V) quomodo quartum illum Metaphysicum compositum fuisse statuamus exemplum dedit. Ceterum Nicolai sententiae quodammodo consentit auctor libri decimi (κ′) ab Aristotele plane alieni (contra quod vult Bonitz Comm. p. 15. nihil enim facit ad hanc rem neque sententiarum concentus nec sermonis similitudo ut docet Eudemeorum librorum et Theophrasteorum ratio), qui libro quodam historico praemisso (cf. c. 1 in. Bon. p. 22) denuo ab initio totam doctrinam tractans, verorum Aristotelis librorum γ′ et ε′ non solum sententiarum ordinem et disputationis consilium — agit enim post positum metaphysicae fundamentum logicum de ambitu et definitione primae philosophiae (cf. Bon. Comm. p. 463), omisso tamen et quaestionum et nominum libro quorum quae huc pertinent in ipsis quaestionibus solvendis sicut in Physicis feruntur — imitatus est, sed etiam in c. 7 (minime apte post c. 3 et 4 eadem fere exhibente) et in c. 8 libri quinti capp. 1 et 2 verbotenus exscripta excerpsit; deinde vero quum accidentis notione definita et a scientia semota de ipsa substantia vix incepta sit disputatio, sequuntur nullo sententiarum vinculo (nisi sumas auctorem de omni theoretica praefatum utramque et physicorum et metaphysicorum principiorum doctrinam quodammodo coniungere voluisse) excerpta ex Physicis (quae tamen c. 6 tamquam aliena citantur) de motu et mutatione et infinito terminisque physicis in Phys. 5, 3 tractatis: ita ut hic liber manifesto sit Hippocraticis illis et Democriticis comparandus qui ex aliorum librorum fragmentis consarcinabantur, partim quidem ex libro quodam discipuli cuiusdam Aristotelis partim ex ipsius Physicis compositus. Omnino vero libri omnes decimum sequentes nullam iam habent certam auctoritatem; ipse ordo dubius est quum in nonnullis exemplaribus et quidem vel optimis velut in A^b et praeterea in S. B^b. C^b. E^b (Bonitz praef. p. V—VII) libri μ′ et ν′ ante libros κ′, λ′ positi legerentur, Alexandro tamen antiquo satis teste (ap. Averr.) vulgarem ordinem probante: huic enim liber λ′ totius artis libris ε′—λ′ post Prolegomena comprehensae finis est, quem excipiunt in libris ultimis duobus Epilegomena quaedam de

principiis antiquorum. Ex his autem eadem causa qua libri δ' et $\varkappa'$, non est genuinus liber μ' licet boni auctoris et accuratam gravemque sermone plane Aristotelico instituentis disputationem, qui tamen ipsum Aristotelis ex libro primo de idearum refutatione locum integrum quique neque hic neque illic ullo modo potest omitti nec ab alio nisi ipso libri auctore illatus est, hunc ipsis verbis in usum suum convertit. Quum autem constet scripsisse Aristotelem librum quendam similis argumenti quo redintegrata de numeris ideisque disputatione maximeque principiorum contrarietate reiecta et pluralitate, a qua incipit l. ν' quamque praeparat libri ι' de uno et contrario disputatio, omne Metaphysicorum opus quasi coronaverit (cf. 6, 2. 6, 11. 7, 1), quum porro libri μ' et ν' inter se manifesto alieni idem hoc uterque argumentum tractent, alterum vero Aristotelis esse consentaneum sit, non dubito praeferre librum ν' eoque librum nonum continuare, externo illo argumento quippe quod rationi congruum sit neque in tempore ordineque librorum e citationibus definiendo neque in auctoritate iudicanda confidere veritus. Novi libri initium ut iam veteres quidam voluere (Bon. p. 565) esse μ', 9 p. 1086, 21 nulla est dubitatio. Quamquam vero libri μ clausula amplior omnis de numeris (item de ideis 12, 5 fin.) disputatio tamquam supervacanea reiicitur, tamen vero initio illo libri 13 haec eadem quaestio iisdem fere verbis quibus 12, 1 et eodem plane consilio indicato tamquam nova nec accuratius antea tractata denuo instituitur, ita quidem ut eadem etiam clausula multa praeterea alia de mathematicis dici posse quae sc. supervacanea sint asserente altera haec de Platonicis disputatio et ipsa perficiatur. Falsa enim est Ephesii subtilitas (quam Bonitz quoque male tuetur Comm. p. 565 sq.) in horum librorum differentia definienda, quum non dicat auctor libri ν' se non iam de ideis tamquam rerum principiis sed de principiis idearum nunc expositurum, immo in proponenda quaestione — et haec sola pro fine libri proponitur cf. 1086, 24 ὅσα δὲ etc. — sintne mathematica principia et ita quidem refutanda ut non recte ea statui primasque substantias haberi ex ipsa eorum natura demonstretur, non nisi tangitur (1086, 28) difficultas illa quae ex ipsa numerorum natura sumitur additurque ipsi placito quasi accidens quod ex ipso principiorum nomine necessario sequatur. Illud igitur quod secundum Platonicos idearum et numerorum elementa sint rerum elementa, non ipsa est quaestio sed accidens quaestionis taleque proponitur et solo c. 2 (cf. c. 5 fin.)

contra ipsam hanc doctrinam vertitur. Ceterum omnes illae Platonicorum sententiae inter se diversae de quarum iure disputabitur, iam saepius oppugnatae denuo etsi brevius recensentur neque ullo verbo prius iam de iis decretum fuisse significatur, ita ut c. 3 si cum 6, 2. 11, 1. 12, 6. 12, 9 contuleris (cf. max. 1080b 33—35) satis persuadeat auctorum diversitatem; nec alio modo in hoc libro quam in superiori numerorum sententia refutatur, quum in hoc quoque qui sane cardo rei est difficultas illa ex composita numerorum principiorumque natura petita (cf. etiam 12, 7), quomodo qui ipsi sec. vulgarem sc. vocis sensum sint compositi possint esse elementa i. e. quomodo numerorum elementa possint esse rerum saepe tangatur. Tale vero est libri *μ'* initium (cf. 1076, 10. 12 *πρῶτον τὰ παρὰ τῶν ἄλλων λεγόμενα θεωρητέον* priusquam tractetur de ente intelligibili et forma), ut non praecedi hunc librum et primum in ipsa arte metaphysica (ut docet prooem.) auctori scriptum — nec necessario disputatio libri 7, 2 etc. tangitur potius quam physici argumenti (cf. Met. 6, 2) librorum omnium usque ad l. de gener. anim. ipsa Physica quae sunt de principiis deque materia et motu sequentium — et post Physica secundum ordinem mox apud Peripateticos usu invalentem, libro quodam historico ei qui nunc primus est simili manifestum sit; contra libri sequentis initio (12, 9 fin.) ad librum primum (1, 9. 1, 6) bis respicitur ipsoque initio continuatur sermo (*ἐχόμενόν ἐστιν* etc.) non incipitur; utrique libro *ἀπορήματα* praemittuntur cf. 12, 2. 12, 10; ceterum agitur de ideis quatenus sec. Platonicos cum numerorum doctrina coniunguntur nec de ipsius Platonis ideis nisi breviter et *ὅσον νόμου χάριν*, quapropter et ipsius magistri primum librum non dubitavit auctor exscribere hoc ipso facto alienam eius originem confessus. Praeterea et terminorum novorum usus (*ἀριθμοὶ συμβλητοὶ* et *ἀσύμβλητοι, εἰδητικοί*) scholam magis quam primum auctorem sapit. In textu nostro lacuna quaedam excidisse non solum 12, 7 p. 1082b 36 (ed. Bonitz. p. 252) sed etiam 12, 8 p. 1083b 19, docet Ephesius 740, 25 et 745, 25—29. Itaque praeter initium libri post *μ'* sequentis (12, 9—10. quod fortasse tamen non cohaeret cum libro *ν'* sed alius cuiusdam libri deperditi principium est, ita ut verba 13, 1 *περὶ τῆς οὐσίας ταύτης* ad libros de substantia *ε'—ι'* adque quaestionem l. *ι'* de uno continuo pertineant, cf. tamen 2, 6 qu. 15 Bon.) ex ipsa etiam horum librorum argumenti ratione et similitudine non ab Aristotele alterum et

quidem μ' scriptum esse sequitur alterum vero cum libro nono coniunctum fuisse (quod etiam ea quae est 13, 2 citatione probatur ad 8, 8 manifesto, non vero cum Alex. et Bon. p. 574 cf. Brandis über Ar. Met. p. 85 ad libri de Coelo 1, 7 longe diversa illa referenda), ita ut secundum auctoris mentem his libris α' β' γ' δ' ε' ζ' η' ϑ' ι' ν' (at perditus est liber δ') quorum argumentum doctrinaeque ambitus libri secundi quaestionibus plene describitur — est enim de substantia et uno — quique inter se citationibus (cf. tab. citatt. ap. Schwegler. Met. 4, 384 sqq.) omnes vicissim coniunguntur, metaphysica doctrina plena et absoluta fuerit, libri vero $\varkappa'$ λ' μ' et a prioribus quibus antiquitus propter argumenti similitudinem adnectebantur et inter se alieni sint et separati. Nam libros ε'—η' qui prae ceteris de substantia libri nominantur (cf. 9, 2. 8, 1. 8, 8) sequuntur libri duo de accidentibus (sive „consequentibus") substantiae universalibus (cf. Alex. ap. Averr. 289 g. h), et quidem l. ϑ' de potentia quod est diversitatis principium et ι' de uno in quo cernitur actus formae, suam quisque quaestionem ita omnem comprehendentes ut quasi separati videantur libri et sui nominis, simul vero de substantia disputationem nexu necessario persequantur. Nam etiam de potentia tractatus libro priori praeparatus ita infertur acsi non ipso rerum nexu ex disputatione illa de substantia sensibili et composita, quomodo quae sit potentia et actu diversa tamen sit notione una quamquam alio modo una quam mere intelligibilia, pendeat et haec quaestio et de uno illa (utraque enim 7, 6 quasi nuntiatur et sermonis inde quasi originem trahit), sed antea de substantia loco singulares illius nominis significationes tractanti (cf. 5, 2 init.) extrinsecus quasi haec etiam addatur: nam si prooemii verba exceperis ipsa disputatio aeque sui iuris est et a prioribus quod ad externam libri faciem quasi soluta ac liber ι', quo tamen ex ipso Aristotelis consilio octavum immediate continuari contra Bonitz. p. 21 sq. (cf. Ravaisson I p. 95) contendo (cf. etiam 3, 2. 2, 3. 9, 9) et citationibus cum aliis libris coniuncto (cf. 9, 2. 3. 4. 6) et praeparato etiam quaestione libri β' undecima sicut duodecima praeparatur liber ν', qui peracto de uno et contrario sermone quomodo hae ipsae notiones in Platonicorum de numeris doctrina valeant (cf. 9, 2. 5. 10) diligenter inquirens libri de uno appendix quaedam est. Nec illud officit (Brandis Ar. Met. p. 85. Bon. p. 27) quod in hoc eadem quae 9, 1 de uno et metro ex ipsius Aristotelis sententia

proponuntur ad Platonicorum doctrinam indicandam transferendo repetuntur. Neglectus est in tota hac quaestione liber λ', qui quum omnem de prima philosophia doctrinam uno ambitu describere conatus historicis quibusdam initio praemissis breviter disputationem de substantia et incipiat et dividat et perficiat, a reliquis profecto libris quos partes modo esse metaphysici operis non ipsum totum voluerunt segregatur omnibus nec fuisse iam aliquid praemissum ullo vestigio proditur, neque quaestiones dubias neque nominum explicationes: illae enim in ipso libri tenore primum iniiciuntur (cf. c. 4), hae eo quo usurpantur loco exhibentur (cf. c. 3. 5. 7) — nec umquam etiam alios citat libros metaphysicos, quum et quae eadem multa tangit tamen ut nova infert nec prius a se commemorata velut de potentia c. 6, ubi de citatione *εἴρηται δὲ πῶς* (cf. c. 10 fin.) contra Schweglerum et Titzem recte Bonitz monuit Comm. p. 492. Physicam potius disputationem eam qualis Phys. l. VIII continetur quaeque physicae doctrinae quasi quaedam est metaphysica, paullo ante institutam id quod ipsa citandi negligentia (c. 7. 1073, 5 *δέδεικται δὲ καὶ* etc. cf. c. 8) ostendit, non modo consequitur sed ipse totus physici argumenti est neque omnino ad metaphysicum pertinet, nedum ad intimos huius artis recessus ut voluit Alexander et cum eo recentiores omnes. Vera enim sunt *μετὰ τὰ φυσικά* et quasi physicae appendices, quae multo magis in argumento concinunt cum ea primae philosophiae notione quae erat Theophrasti sive quisquis auctor est fragmenti sub eius nomine lecti quam cum ipsa Aristotelis. Agit enim hic de substantia quatenus est substantia et intelligitur (*τὸ τί ἦν εἶναι* quod respondet ideae Platonis sicut huius Sophista Aristotelis Metaphysicis sive quam a physica separavit, cf. de part. an. 641, 34, scientiae *περὶ νοῦ* i. e. *τοῦ νοητοῦ*), illa vero libri λ' prima philosophia de substantia agit et forma quatenus movet et aeterna est causa motus ut demiurgus ille Timaei ipsumque huius esse ex physicis solummodo argumentis atque ex ipso motu (ut Phys. VIII) deducitur; non probatur esse substantias immotas sed primam quandam substantiam immotam movere omnia; non quaeritur quomodo sit substantia (ut in l. VI) sed quomodo moveat; nec illa de numero motorum ex stellarum numero motibusque effecto quaestio fuse explicata aliam habet dignitatem ac physicam. Physicae enim est considerare *τὰ εἴδη* quatenus sint *ἀκίνητα κινοῦντα.* Circa illa vero et Theophrasti quaestiones maximam partem ver-

santur (cf. etiam eiusdem apud Ciceronem sententiam notissimam) qui adeo quaestionem eam movet de ratione quae inter unitatem et pluralitatem causarum moventium (p. 310 Br.) exsistat, ab Aristotele ut vituperant omissam — aliud enim voluit 1074, 31—38 nec quod credidit Bonitz Comm. p. 512, ceterum haec verba quae et veritati et Aristotelis sententiae (cf. de Coelo 1, 9) repugnant sententiarumque nexum manifesto dirimunt (cf. illud οὗτοι 1074b 3. cf. 1074, 30) postea demum introducta esse credo — qui et in ipsis Metaphysicis rationem quae sit formarum multarum non minus neglexit quam systema idearum Plato utpote qui satis haberent cognoscere deum i. e. esse ideas cognoscere, esse formas aeternas, illud vero quod nostro fere tempore primum summo mentis humanae artificio excogitavit Hegel in logica poeta, deum sc. explicare et quasi in ordinem redigere non curantes, in qua re mentis humanae magis et philosophiae impotentia cernitur quam Aristotelis et Platonis. Non magis igitur ipsius illa de primo motore quaestio metaphysicae est quam metaphysicus est liber de causa motus animalium, at metaphysicae sunt quatenus principia metaphysica eadem sunt physica sive quatenus adhibentur in explicanda natura rerum in explicando et motu coelesti et motu intellectuali et animali (nec aliud est quod dicit ipse Phys. VIII in. 251, 5. cf. de motu an. 6. 700b 30) ideoque ab ipso Aristotele eadem in libro Physicorum eadem in l. de anima et l. de motu an. dicta sunt, quibus nova hoc libro nulla accedunt. Ipsa etiam amplitudo illa qua res coelestes Eudoxo et Callippo correctis hic enarrantur, neque libros de Coelo (2, 12. cf. Phys. 8, 6 in. ubi hanc de motorum numero ab hoc loco reiicit quaestionem) secundum Aristotelem et multo minus decens Metaphysica, discipuli magis videtur commentantis et quae omissa videbantur suo modo augentis (nova enim esse quae dicit auctor cuivis patet, cf. etiam verba eius de numero quem effecit principiorum 1074, 14 sqq.), qualis fere Theophrastus, quam ipsius magistri. Qui quidem auctor hac ipsa de causa quod docet, quod sua diligentius exponit, sermone hoc uno loco (nec quod Bonitz falso statuit in universa parte libri altera c. 6—10) usus est paullo magis rotundo et continuo, quum totus praeter c. 8 liber sermonem epitomatoris — epitome enim est primae philosophiae paullo arctius definitae et a ceteris libris prorsus solutae — referat brevem et interruptum interrogandoque et respondendo procedentem ideoque ut obscurum ita in codicibus

ut plurimum corruptum. Ceterum quod de numeris dicit auctor in fine libri p. 1076, 1 ex ipsius magistri exemplo (ν', 3) mera imitatione profectum esse apparet. Facile autem fieri potuisse ut miscerent quodammodo Aristotelis discipuli cum physica metaphysicam, eo intelligitur quod unius revera disciplinae, theoreticae sc., non nisi partes illae sunt nec omnino aliud fere Metaphysicis continetur quam physicae doctrinae prolegomena, id quod si primum Metaph. librum consideres clarius apparebit. Haec enim in Metaph. introductio una fere universae de veritate (περὶ τῆς ἀληθείας) sive de rerum quae sunt natura scientiae theoreticae i. e. metaphysici simul et physici libri praefatio est, qua ubi de ipsa primum theoreticae scientiae omnis natura et origine exposuit (c. 1. 2, quae ante Phys. scripta esse manifestum est quorumque sententiam ipsa Physica prooemio fere carentia respiciunt, cf. 1, 1 in.) rerum omnium principia recenset quatuor illa quae in priorum etiam sapientia passim singula nec apud omnes omnia nec dilucide apparere asserit. Quum vero antiquorum omnium physica esset doctrina, ab iis principiis incipit de quibus physicae est exponere materia sc. et causa movente. Paullatim deinde accedente causa finali licet cum causa movente primum fere re ipsa commixta nec nisi nomine tenus divisa, quum quartam etiam formae causam Platonis merito illustratam esse atque distingui coeptam esse a physica dialecticam i. e. metaphysicam cuius est ἡ οὐσία et τὸ τί ἦν εἶναι theoreticaeque partes ipsa quasi ope historiae separari narrasset, ipsa simul quae theoreticae fuerat omnis praefatio in praefationem metaphysicae quasi convertitur, physicorum principiorum expositione in ipsa Physica dilata. Quae quum ita sint uniusque fere et operis et temporis Aristoteli fuisse pateat et de metaphysicis rerum principiis et de physicis exponere nec post Physica demum i. e. post l. de gener. anim. (cohaerent enim physica omnia et una προαίρεσις nec post ipsos Physicos nec post Meteor. interponendi locus) ad metaphysicam eum rediisse apte cogitari possit, Physicorum libros octo decem illis Metaphysicis immediate necesse est praecedantur. Quid vero? Nonne ipse in libro de causa motus animalium Aristoteles citat librum de prima philosophia (c. 6 διώρισται πρότερον ἐν τοῖς π. τ. πρ. φ.) et iis quidem verbis quibus quae libro Metaphysicorum undecimo sive quae simili quodam libro (veluti Theophrasti Metaph.) tractantur necesse est respiciantur, non quae in Physicorum octavo (quem quidem citat c. 1) id quod

voluerunt Krische et Bonitz (cf. 700b 8: καὶ πῶς κινεῖ τὸ πρῶτον κινοῦν i. e. sec. Met. 11, 6: κινεῖ δὲ ὧδε· τὸ ὀρεκτὸν καὶ τὸ νοητὸν κεινῖ οὐ κινούμενον, cf. Theophr. Met. p. 309 sq., quae obiter tantum tanguntur Phys. 8, 2 extr.), praesertim quum Metaphysica intelligi iubeat omnis illa de motu mundi et motu animalis comparatio (c. 2—4, in qua explicanda eodem auctor de Jove versu Homerico, cf. Il. 8, 18 sqq., utitur quo Theophr. Met. c. 2) paullo pro re proposita longior et monographiae magis congrua quam libro operum physicorum parti. Quid quod hic liber fere ea tantum in unum finem coacta uberius exequitur quae in libris physicis et physiologicis aliis traduntur (citantur enim Physica c. 1, libri de Coelo c. 4, de Anima c. 6. cf. c. 10 l. de part. an.) maximeque quae in libro de anima tertio (3, 9—10. cf. 7) de causa motus animalis ita exponuntur ut ὁ καθόλου λόγος de hac re pro consilio librorum de anima per se spectata in universum agentium manifesto sit absolutus (cf. 432b 11—14) nec περὶ τῆς κοινῆς αἰτίας τοῦ κινεῖσθαι sit redintegrandus sermo: ea enim quae restant quaeque hic ὡς ἐν κεφαλαίῳ dicuntur (433b 21. cf. de motu 8. 702, 21) non libri de motu fundamento sunt (cf. Trendelenburg Comm. l. de anima p. 535) sed libris de animalibus (i. e. l. de incessu anim.) tractanda relinquuntur; quod autem de an. 3, 10. 433b 20 ἐν τοῖς κοινοῖς σώματος καὶ ψυχῆς ἔργοις dicendum esse ait περὶ αὐτοῦ i. e. de motus organo, scil. de corde et movendi et sentiendi principio, id spectat libros de sensu et somno et qui sequuntur (de somno c. 2, ubi rursus l. de anima respicitur. cf. de mem. 1. de vita et m. 1—3. de part. an. 2, 1 et ipsum librum de motu 11) non vero librum de motu singularem. Propterea unus hic liber est cui inter Aristotelis physicos locum suum assignare plane desperes neque inter libros physiologicos (post l. de part. et gen. an.) ille collocandus sicuti decreverunt Prantl (de Ar. libr. ad hist. an. pertin. ordine, Monachii 1843. p. 45. cf. 16. 36) et Spengel (über die reihenf. der naturw. schr. d. Ar. in opp. acad. Mon. 1848 p. 167. cf. de gen. an. 1, 1. 5 extr. de mot. 1 in.) — universalior enim est quaestio et ad animae potius (cf. etiam de motu 11) quam ad animalium historiam pertinens — neque post librum de memoria et somno quod ipsius vult clausula (cuius auctoritatem secutus est is qui libro de somno clausulam istam — cui iam Ephesius fidem habuit Sch. in l. de motu an. f. 149 et nuper etiam qui de Ephesio errat Barth.

11*

St-Hilaire: Psychologie d'Aristote, Opuscules, Paris 1847 p. 237 sq. — librum de motu praeparantem ipsumque hunc librum adscripsit), ita ut tractatus illi singulares quidem certo tamen consilio coniuncti de animae sentientis quatenus corpori est iuncta affectibus hoc libro finiantur, separentur ii qui ad animam vegetantem spectant. In quo loco digna quae commemoretur est idem statuentis Thomae Aquinatis de ordine zoicorum disputatio (Comm. in l. de sensu f. 1. Opp. ed. Rom. 1570. t. III), qui postquam tres statuit partes ita ut in prima de anima libri, in secunda libri de sensu cum reliquis, libri denique de animalibus et plantis in tertia continerentur, librorum mediae partis primos post tres de anima indicavit esse eos qui ad sensitivum pertineant (de sensu et mem. de somno), quibus coniuncti sint qui ad motivum (de causa motus animal. de progressu anim.), ultimi denique qui ad vivum pertineant (de caus. long. et brev. vitae, de vita et morte). At minime apte in mediis his libris nondum peracto sermone de animae operationibus i. e. de motibus animalium (cf. Phys. 253, 11. 259b 8) — nam sicut somnus respiratio etiam ceteraeque *κατ' αὔξησιν καὶ φθίσιν κινήσεις* motus sunt idemque in corde motus initium habent (de an. 3, 10. de motu 11) — de universa causa motus quaeritur ut ita dicam metaphysica (similiter atque in Phys. octavo et ita fere ut partis cuiusdam instar sint haec librorum *περὶ κινήσεως* cf. init.) nec tale quid in prooemio (de sensu 1) indicatur: alia enim est quaestio de motus causa alia quaeque ad ethica pertineat de appetitu et cupidine de voluptate et aegritudine nec si eandem censeas verbis illis p. 436, 6—11 revera ita promittitur ut de somno etc. promittitur v. 16; nam si de illis similibusque quae huius generis esse contendit hoc ipso iudicio dicendum sibi nunc esse sane significat, non tamen de omnibus quae numerat revera hoc loco dicturum eum esse sequitur (cf. qui optime de hoc loco exposuit Alexandrum in prooemio comm. ad l. de sensu f. 93b. 94). Neque enim in serie librorum quos vocant Parva naturalia deesse aliquid videtur (cf. init. l. de long. vit.) maleque eos alio quodam interposito nedum physiologicis omnibus dirimi illud etiam comprobat, quod quae ad librum de sensu et memoria et ad animam sentientem ita pertinet quaestio de somno ut uno titulo hic liber a posteris (et in ipsa l. de motus clausula) citetur Aristotelis „de memoria et somno", eadem tamen cum ceteris quas sibi tractandas dicit (*περὶ ὧν θεωρητέον*) quaestionibus in prooemio horum

librorum communi (de sensu 1) coniungitur. Quorum pro consilio omnis libri de motu ratio amplior est nec novam exhibet quaestionem ut ceteri libri de anima operis partes et supplementa sed ex hoc ipso sumtam quandam non nisi uberius retractat: ipsius enim illum magistri locum respiciens discipulus quidam librum de motu anim. sine dubio praeclarum composuit, qui quidem auctor Praxagorae aequalis *ὄργανον* illud *σωματικὸν* quo movet anima et *ὄρεξις* definit esse *πνεῦμα σύμφυτον* (703, 9—29) sedens in corde (15), medicis illud sequentibus et Erasistrato medico Peripatetico (Galen. 2, 88. 4, 729) Stoicisque et Platonicis celebratum (Galen. 5, 185. 187. 283. 287 sq. 11, 731 etc. cf. Tim. Locr. 101 d. 104 a) et Platonis (cf. Tim. 79. 80. 84) auctoritate per sectas omnes inde ab Aristotelis aetate propagatum (nam Galeno quoque *τὸ πνεῦμα ψυχικὸν* e vitali in cerebro natum est *ψυχῆς ὄργανον πρῶτον* cf. 5, 608—9. 11, 731. *αἱ δυνάμεις αἵματος καὶ πνεύματος* Tim. Locr. 104 a. cf. Philon. IV, 26 sq. II, 198 ed. Pfeiffer, Alex. Aphrod. de febr. 3, 5. 4, 2 ed. Ideler etc.), ab Aristotele tamen alienum: huic enim quum *τὸ θερμὸν* (*τὸ καλούμενον θερμὸν* 736 b 34 sive *τὸ φυσικὸν* vel *ψυχικὸν πῦρ* de resp. 8. 15 vel in corde *ψυχῆς ἐμπύρωσις* ib. 16. 8. de vita 4 vel ut apud medicos aequales velut Philistionem Dioclem etc. *σύμφυτον θερμόν, σύμφυτος θερμότης φυσική* de vita et morte 4 etc. cf. Theophrast. de igne 5. 44 *θερμότης γόνιμος* = de gen. an. 2, 3) animae sit instrumentum (de gen. an. 2, 4. 740 b 31 ubi *ἡ θερμ. κ. ψυχρ.* dicuntur *ὄργανα ψυχῆς*, frigus sc. per accidens cf. Alex. Aphr. de febr. 6, 1. 8, 1—3. de resp. 8. de part. an. 2, 7. de an. 2, 4) quo fit *τὸ τρέφειν* etiam et *τὸ κινεῖν* (652 b 11. cf. 666, 11. 703 b 14. 701 b 34 sqq.) cuiusque vitalis caloris cum omni anima in corde principium (*ἡ ἀρχὴ τῆς θερμότητος* cf. de vita 4. de resp. 15. de part. an. 3, 5. 3, 7) est ubi ex nutrimento illius ope sanguis primum nascitur et spiritus (i. e. humidi *ἀναθυμίασις, ἀτμίς*), quae quidem *ὑγροῦ θερμαινομένου πνευμάτωσις* (cf. *πνεῦμα* 457, 12 i. e. *τὸ σωματῶδες τὸ ἀναφερόμενον ὑπὸ τοῦ συμφύτου θερμοῦ* 458, 26) efficit pulsationem cordis unaque venarum omnium (de respir. 20. cf. hist. anim. 3, 19. 521, 6), numquam tamen ipsum illud calidum quod ex poetico Platonis et Hippocraticorum usu (cf. Galen. 5, 702 sqq.) igni comparatur nomine in arte consueto vulgarique *πνεύματος συμφύτου* appellatur sicut in libro de motu et apud Praxagoram et Erasistratum: nam apud

medicos quoque ut apud philosophos πνεύματος nomen de animae instrumento usurpatum in caloris innati quem ἐπίκτητον potius volunt (Gal. 7, 614) vicem succedit quaeque Aristoteli caloris opera eadem spiritus Erasistrato (Sprengel 1, 544. πν. ζωτικὸν et ψυχικὸν Galen. 5, 281. 8, 714. 760. cf. Arist. de resp. 6 θερμότης ζωτική), caloris quasi instrumentum (736 b 35) cum ipso calore eiusdem verbi usu confundenti (cf. de hac confusione maxime Galenum 11, 730 sq. Alex. Aphr. de febr. 4, 2. de sanguine caloris quasi vehiculo Arist. de part. an. 2, 4) — et solent fere post summi scriptoris praeceptorisque ingenium in vocabulis maxime rerum diversis sermonisque usu licet eadem revera sententia sit auctores sequentes differre —; neque Aristoteles licet ei quoque animalia ut naturae res omnes aeris elementum gerant quippe humidi exhalatione continuo natum spiritus operatione in physiologia corporis animalis describenda utitur atque omnino vix obiter hic illic τὸ πνεῦμα tangit (τὸ σύμφυτον 744, 3. cf. 728, 10. 728b 28. 741b 37. 742, 14. 775b 1. hist. an. 7, 7. 586, 15. Meteor. 366, 15. 22—30), immo l. de somno (c. 2. p. 456, 11. 17) τὸ σύμφυτον πνεῦμα solorum animalium sanguine carentium (insectorum etc.) et comparatur et opponitur ceterorum respirationi spiritum perpetuo renovanti (et quidem θύραθεν, quamquam revera in corde sit ἡ ἀρχὴ τοῦ πνεύματος i. e. respirationis v. 7. cf. 472, 23 de aere in cordem penetrante cf. hist. an. 1, 16. 17. 3, 3. 513, 35); quod idem repetitur de respir. 9, in quo libro quum parata semper occasio esset numquam de spiritus tali dignitate dicitur, cf. etiam hist. an. 4, 9. 535 b 4—11, de part. an. 3, 6 in. de gen. an. 5, 2. 781, 24. Quod igitur Aristoteli dicitur θερμότης ψυχικὴ quae inest quidem omni πνεύματι (de gen. an. 3, 11. 762, 20. 762b 17. 3, 3. 736b 35. cf. 736, 1) i. e. per aerem universum diffunditur aetheri coelesti analogia quadam similis, ex aere vero per animantia omnia fertur corporis omnibus partibus (de vita 4) et semini (736b 35) inditum animaeque inserviens (736b 29 sqq.), id ipsum seriorum usum secutus libri de motu auctor dicit πνεῦμα σύμφυτον corporisque et animae rationem physiologicam ita exprimit ut spiritus ille igne quidem gravior (703, 23), calore frigoreque modo auctus modo coactus animae principio ipsi moventi immoto subiectum sit instrumentum in corde situm movens motumque. Accuratius de huius spiritus conservatione (703, 10. τίς μὲν οὖν ἡ σωτηρία τοῦ συμφύτου πνεύματος εἴρηται ἐν

ἄλλοις) acturum se promittit l. de motu auctor ubi et de ceteris animalium partibus (703, 17) i. e. ut credo in libro quodam περὶ τροφῆς καὶ αὐξήσεως, qui locus non minus quam libri de generatione de partibus animalium libris accensendus est. Idem enim voluisse videtur auctor Peripateticus libri περὶ πνεύματος quem nonnisi tangit unus Galen. 11, 730: ὑπὲρ οὗ (sc. τοῦ πνεύματος συμφύτου) καὶ Ἀριστοτέλης ἔγραψεν, quemque post Praxagorae libros scriptum esse nulloque modo (nec eo quidem quo voluit Prantl p. 46) ad Aristotelem pertinere manifestum est. Qui auctor iisdem illis verbis scribendi initium sumens ita ut quasi libri de motu auctoris promissum solvere videatur (τίς ἡ τοῦ ἐμφύτου πνεύματος διαμονὴ καὶ τίς ἡ αὔξησις, cf. 482, 8. 26 — Aristoteles ipse quum de eadem re se dicturum esse saepius asserat egeritque in l. de respiratione, hic quoque σωτηρίαν τοῦ θερμοῦ dicit pro spiritu, cf. de somno 2. 456, 9. de vita 4. 469b 18. 6. 470, 22) de spiritus ratione agit et operibus triplicique eius in arteriis motu, pulsatione videlicet quae prima est (483, 15) cordis et arteriarum (483, 5) et respiratione e qua pendet ἡ θρεπτικὴ κίνησις (482b 25. 483, 11 ubi πρότερον legas pro πότερον) alimentum afferens distribuensque (483b 26. 482, 15. b10. 481, 14), deque spiritus per omne corpus diffusione (c. 3) in carnem (i. e. musculos et ligamenta (484, 34) cutemque (483b 15. 484b 1) et νεῦρα (c. 6. 8) et ossa etiam (c. 6 sq. 484, 24 etc. 483b 31. cf. c. 3. 482b 7) sitne et qualis sit: nam τὸ πνεῦμα δι' ὅλου τὸ σύμφυτον (481b 19. 482, 33. cf. b32. cf. Chrysippi Stoici πνεῦμα συνεχές, Tim. Locri πνεῦμα σύῤῥοον etc.), at ita agit tota ratione ordineque inconditus nexuque sententiarum declarato prooemioque carens et fine, praeterquam quod qui nunc legitur textus est corruptissimus et lacunis turbatus (cf. 483b 12. 484, 15. 33 etc. nec quomodo c. 9 quo dicitur contra pneumaticos quosdam cf. 485, 28 et contra Platonem 485, 29 de ignis — cum p. 485b 5 cf. Problem. 34, 12 — sive calidi in corpore agentis varietate cum ceteris ita coniungi potuerit nisi lacuna sumta intelligitur) idemque ita et in sermone (cf. etiam ubi aliorum sententiam refert oppugnatque — ita enim p. 484, 33. cf. 483b 16 — infinitivorum usum illum continuorum 483b 19 — 484, 5. cf. 484, 12) et in sententiis obscurus et incertus et quasi tumultuarius quaerendo et dubitando omnem hanc materiam absolvens — sunt enim revera quasi quaedam προδιαπορήματα physiologica Theophrasti Metaphysicis tota

ratione similia — ut etsi eas tractari quaestiones videas theoriasque quae Praxagorae Herophili Erasistrati aetate inter medicos vulgatas ab Aristotele vero plane alienas fuisse scias (cf. maxime c. 5 sqq.), tamen de ipsius auctoris sententia contrarias comparantis non iam sua docentis semper fere haereas, Theophrasti vero et Herophili bene agnoscas aequalem qui tantum spiritui tribuat ut arteriarum et venarum secundum Praxagoram facto discrimine arterias aestimet aeris per omne corpus ductus, quibus ipsa quae postea vocatur aspera arteria eiusque in pulmonibus bronchia quasi continuantur (cf. Aristogenes de spir. 481, 28 sqq. de Praxag. et Erasistr. cf. Sprengel 1, 490. 543. de Eras. Galen. 4, 706. 3, 537. 5, 549 etc.) cordis quadam propria vi et arteriarum a corde derivante (483, 5. 15. cf. 482b 29. cum Praxagora qui tamen cum Philotimo discipulo *πάμπαν ἐξ ἑαυτῶν σφύζειν τὰς ἀρτηρίας* opinatus est Gal. 5, 561. 8, 702 et Herophilo Galen. 8, 703. 5, 164. cf. 508. 4, 731 sq. et ipso Galeno 3, 512 etc., dissentiente tamen Erasistrato cui ipse spiritus cordis vi emissus et arterias implens pulsum efficit cf. Galen. 5, 167 sq. 552. 562. 620. 2, 597. 8, 703. 714) rhythmo quodam aequabili (483, 2. 6) pulsantibus, utque ipsum spiritum censeat esse *πρῶτον ὑπὸ τὴν ψυχήν* (483, 26. cf. 30. 33. 481, 17. 29. 485b 10) sive *τὸ πρῶτον δεκτικὸν ψυχῆς* (483b 10) sive in arteria sola secundum quosdam contentum (nec vero in nervo cf. 483b 12. 18. 482b 14) quibus etiam *ἡ ἀρτηρία μόνον αἰσθάνεται* spiritus ope (483, 24) arteriisque cum venis communicantibus — id quod sectionibus compertum sit (483b 24): sunt enim *ἀναστομώσεις*, inde ab Erasistrato ita appellatae (Galen. 5, 164 sq. 11, 153. 3, 492. 512 etc.) — vicissim et venae spiritum participant (cf. Galen. 3, 494. 496. 5, 165) et humescunt arteriae (484, 2. cf. 483b 19. *τὰς φλέβας καὶ τὰς ἀρτηρίας συνάπτειν εἰς ἀλλήλας* 483b 25. 35) arteriisque denique et in cute quae ex vena arteria nervo constat (483b 15. cf. Erasistr. ap. Gal. 3, 538. 14, 697) fit *διαπνοή* (483b 17. 481, 22) et semen proiicitur (484, 14); sive etiam in nervis (i. e. ligamentis cf. Sprengel 1, 534 sq. 542) quibus fit motus (484b 35. 485, 6), quod praefert auctor (485, 7 *ἐν ᾧ πρώτῳ τὸ πνεῦμα τὸ κινητικόν* et summus calor 484, 4. cf. 481b 14. cf. Heroph. sec. Plut. pl. ph. 4, 22 cui *δυνάμεις περὶ τὰ σώματα κινητικαὶ ἐν νεύροις ἐν ἀρτηρίαις ἐν μυσίν*, cf. Galen. 7, 605). De ipsa spiritus natura et tenuitate quaeritur 483b 2—12. cf. 481, 17. 22. 481b 4. Praxag. ap. Gal.

4, 707. Erasistr. Gal. 3, 540. Jam vero Aristoteles licet et ipse venas ab arteriis bene distinguat duplex venarum genus statuens et ipsarum natura (hist. an. 3, 3. 513b 8 — 3, 4. cf. 3, 5. 515, 30) et quem ferunt sanguine diversum (de part. an. 3, 4. 666b 27. 29: *αἷμα διφυές* et de cordis ventriculis 667, 1. hist. an. 496b 9. a27. cf. etiam 647b 30 sqq.), non tamen quod Praxagorae inventum fuit pulsu illas distinguit (librum falsi Aegimii *περὶ παλμῶν* Praxagora patet esse posteriorem, Gal. 8, 498. 716. 752) nec diversitatis quam ipse agnoscit praeter calorem diversum causam tradit in spiritus mixtione maiori sitam sec. Galenum, hac ipsa ille re a Praxagorae (cf. Galen. 8, 941. 950) commento liber et Erasistrati (cf. etiam Hipp. de morbo sacro p. 596. 599 sq. de alimento p. 22. de carn. p. 428 sqq.) qui aortae tantum non venae magnae sive ut ipsi dicunt (cum Praxagora sec. Rufum Ephes. ed. Paris. 1554. p. 31, aortam appellante *ἀρτηρίαν παχεῖαν* p. 32) cavae ramos pulsare intelligentes sanguine illos omnino carere credebant demonstrabantque: quo factum est ut arteriae nomen quod aeris tantum ductus i. e. asperam arteriam eiusque partes Aristoteli significat (cf. hist. an. 1, 16. raro plurali *ἀρτηρίαι* utitur cf. 664, 27. Hipp. de loc. in hom. p. 121. de morb. I p. 199. Pseudarist. *π. ἀκουστῶν* p. 803, 9. 18. 804b 27) uno quod sciam exemplo excepto hist. an. 3, 1. 510, 30 ubi pro aorta dicitur arteria rectius fortasse emendando quum antea quoque in eadem re aorta semper appelletur (510, 14. 16. 25), illud igitur nomen in aortae quoque ramos (*αἱ ἀορταί* Rufus. Ephes. p. 32. Hipp. de corde 489, at p. 490 *ἡ μεγ. ἀρτηρίη*) transferrent. Qui usus Aristotele manifesto posterior et in libro de spiritu et in pseudhippocraticis multis reperitur velut in ipso de articulis libro (ed. Kühn 3, 195. 248. de ceteris cf. Littré Introduction p. 206—13, cuius tamen disputationis ipsi fini minime consentio): contra in libro de locis in homine ipsius arteriae asperae rami sive bronchia dicuntur *ἀορταὶ* (p. 123. 124 = *ἀρτηρίαι* p. 121); communi autem nomine *φλέβες* omnes venae sive carent sanguine sive sunt plenae et ab Aristotele et a medicis nominantur. Ceterum cum iis quae in l. de spiritu tanguntur sententiis, velut ea qua ex ossibus alantur nervi (c. 6. cf. de loc. in hom. p. 107, contrarium asserit Plato Tim. 82. 84) et ex venis ossa (de sp. 482b 7. de carn. 432 sq.), etiam praeter arteriarum spiritusque doctrinam saepius conveniunt libri Hippocratici, quorum auctores licet eo ipso quod imbuti quidem quodam-

modo philosophorum studiis ab Atticarum tamen litterarum flore paullo essent separatiores maiorem interdum antiquitatis speciem referre videantur, nihilo minus et ipsi ad unum omnes aut aequales erant Aristotelis aut eo recentiores, vel illi quorum libri ab omnibus genuini Hippocratis habentur ut auctor libri de articulis et fracturis, qui idem est librorum de glandulis (cf. de artic. p. 152) de natura hominis de morbo sacro de aere aquis et locis etc. et praeterea libri de victus ratione in morbis acutis, cuius partem extremam prioribus manifesto praeparatam qua Platonis Timaeum respici recte intelligebant (cf. ed. Ermerins Lugd. Bat. 1841 praef. p. 28 sq. cf. p. 382) scriptoris esse posterioris inepte assutam falsa Galeni virorumque doctorum omnium sententia est ex falsa illa de auctoris aetate i. e. de ipso auctore Hippocrate opinione prognata — alius auctoris est Prognosticon, alius Aphorismi scriptorum medicorum variorumque excerpta exhibentis, aliorum alii — ita ut hac ratione litterarum medicarum historia cum ceterarum apud Graecos scientiarum philosophiaeque historia iam conveniat. Aristoteles enim illos auctores et ipsum Hippocratem plane negligit ignoratque nec multae illae quas de generatione aliorum opiniones citat in l. de gen. an. cum libro Hipp. de gener. et natura pueri magis consentiunt quam cum iis quae veteribus physicis maximeque Empedocle Democrito Platone fere sunt communes. In libro vero de spiritu (c. 2) doctrina quaedam pneumatica (de aere per venas respiratione ducto et spiritum innatum alente) memoratur Aristogenis medici Cnidii Chrysippi Cnidii (qui Cnidii Eudoxi ipse discipulus dicitur et Philistionis Diog. Laert. 8, 89. cf. 87) una cum Medio (Galen. 11, 197. 252) cuius sororis filius Erasistratus dicitur Suidae s. v. et Metrodoro Erasistrati magistro Pythiadisque Aristotelis filiae tertio marito (sec. Sext. Emp. p. 657 Bekk. falsa habet Plin. 29, 3, qui et ipse medicos hos, ex quorum notitia veterem illam medicorum Cnidiorum gloriam de qua Littré Hipp. T. II p. 200—5 hac etiam Aristotelica aetate intelligimus continuatam, rerum medicarum fontes habuit, cf. de Aristogene ind. auct. l. 29. 30. 33—35) discipuli et Theophrasti ideo aequalis qui multa scripsit (Suidas s. v. cf. David. Prolegg. in Porph. Sch. Br. p. 19 b 12, e quo loco corrigendus Philopon. ib. p. 11 b 19) inque his quaedam ad Antigonum regem, non Gonatam († 239) ut Hesychius vult apud Suidam, qui Cnidii scripta errore Thasio cuidam ignoto tribuit (nisi forte idem est Cnidius e Thaso oriundus) alioque errore servum fuisse dicit Chry-

sippi philosophi quum esset medici Chrysippi, sed ad primum illum Antigonum Demetrii patrem († 301) multorumque librorum dedicatione clarum. Itaque vel hoc Aristogenis nomine certissime id quod ex ipsa libri doctrina constat non ante Erasistrati tempus hunc librum fuisse compositum comprobatur. Sed non hi solum libri Aristoteli adscripti πνεύματος doctrina usuque suspecti sunt sed etiam liber iste qui decimus historiae animalium inepte dicitur a veteribus auctoribus numquam nec citatus neque exscriptus, qui a librariis nullum eius in historia locum esse subintelligentibus decimo quidem semper loco varie tamen post septimum aut nonum positus (cf. Bekker p. 581. 588. 633), ab utroque loco alienus est. Neque enim a sexto libro separari potest septimus id quod fecit ille qui primus quum propter argumenti similitudinem rectius septimo addi videretur decimus (ita enim et Gessnero Scaligero Casaubono et nunc etiam Spengelio sine ullo iure visum est) sextum continuavit octavo, septimum cum decimo ultimos libros posuit ipsius auctoris consilio aperte adversatus (cf. p. 539, 7. 539, 4—15. 491, 19); huius enim ordinem confirmant citationes, quum eundem libri octavi locum (8, 11) citent et Pollux (10, 184) et Aelianus (n. h. 17, 7), cf. Sch. Nic. Alex. 13 ubi citatur nonus (ita enim pro decimo nono legendum) i. e. 9, 6 p. 612, quamvis sane propter numerorum in libris manu scriptis incertitudinem debilis illarum sit auctoritas (cf. Harpocrat. s. ἑβδομενομένου p. 57 ed. Lips. qui nonum citat = 7, 12. Porphyr. in Sch. Il. φ, 126. 571 b 42 Bekk. qui septimum = 8, 15. Athenaeus 9 p. 387 qui octavum = 9, 49. 633, 9—b2). Neque omnino ad historiam animalium pertinet utqui non ipsas tantum res describat ut ceteri historici (nec ullo nexus vestigio cum his coniungitur), sed de causis agat sterilitatis (τοῦ μὴ γεννᾶν), quem quidem locum ipse Aristoteles in libro de generatione quarto (cf. 4, 2) pro consilii sententia brevibus absolvit: ita ut recte fortasse statuatur idem esse cum peculiari illo quem Diogenis index recenset ὑπὲρ τοῦ μὴ γεννᾶν libello qui in Aristotelis operibus post libros animalium historiae interdum scriptus in eundem postea titulum transierit, et antiquitus quidem quum iam Arabibus in XIX Arist. de animalibus libris hic decimus legeretur (ita enim et in Alberti Magni paraphrasi et in Michaelis Scoti qua ille usus est librorum de animalibus omnium translatione ex Arabico Latina, cf. Jourdain p. 172, in cuius codicibus Parisinis sex quos descripsit Camus ultimi libri

sunt septimus qui hic nonus est cum decimo, cf. Notices et extraits des mss. etc. T. VI p. 427—34, at non item in Graecolatina antiqua quamquam et ipsa septimum habet nonum, cf. Camus Hist. des animaux d'Ar. Discours prélim. p. 46). Non esse huius de sterilitate fragmenti auctorem Aristotelem non solum ille de mola (μύλη) locus docet ex Arist. libro de gen. an. verbotenus descriptus (638, 10—18 = 775b 27 — 34), quae mihi res inter certissima νοθείας signa est — ceterum de causa illius rei nihil decernit auctor in diversas sententias dubitans 638, 18 sqq. fere ut ille de spiritu nec non veri simile est haec quoque eum, ut e l. de gener. priora, sumsisse ex Problematis Aristotelis perditis quae hic ipse de ea re citat 775b 37, praesertim quum verba quoque fragmenti ultima 638b 15 sqq. ὅτι πολλοὶ ἰατροὶ etc. ex alio potius scriptore excerpta esse illud ὅτι videatur significare — sed illud etiam quod ea ipsa sententia hoc libro proponitur ab Aristotele in l. de gen. an. 2, 4. 739b 13—20 refutata e qua σπέρμα spiritus ope ab utroque parente viro et femina foras emissum — nam gignitur tantum si utrumque semen eodem momento proiectum (ἅμα 636b 9. 13. 17. 38) recta ratione coniungitur (637b 24) — deinde a femina rursus utrumque spiritu retrahatur (cf. 634b 34. 636, 4. 637, 15—35. cf. 635b 3); contra Aristoteli hic quoque ut alibi τὸ θερμὸν dicitur in utero quod trahat viri semen (739b 4. 9. cf. Arist. contra eorundem sententiam de spiritus vi in seminis masculi emissione 737b 27 — 738, 6). Omnino vero omnis illa de generationis causa doctrina mirum est quantum et ad antiquorum medicorumque sententias accedat et simul Aristotelem sequatur hos ipsos oppugnantem. Nam non solum eorum cum Aristotele opinioni studiose adversatur quibus intus in ipso utero fit ἡ ἄφεσις (634b 29. 637, 15. 637b 32 — 638, 1. cf. Ar. 739, 35. Herophil. ap. Galen. 4, 596. contra ipse Gal. 593. 601 etc. cf. Hipp. 1, 375. 376. 469) sed etiam medicorum placito celebri (Praxag. ap. Galen. 19, 449. Hipp. de genit. 374. 379. de morbo sacro 594 sq.) — neque aliud vult ipsius Platonis et Dioclis de medulla semen ferente opinio quam reiicit Arist. de part. an. 2, 6. 7 et auctor l. de spir. 484b 15. 20, cf. Tim. 73. 91. Tim. Locr. 100 in. Pseudorig. phil. ed. Miller p. 137 sq. Hipp. de genit. 371—72 — ex qua semen ut quasi omnium partium semina coniuncta teneat, colligitur ex universo corpore eiusque partibus omnibus (637, 5 sqq. cf. Ar. de gener. an. 1, 17 sq. cf. Probl. 4, 15 etc.); contra quum Aristo-

teles longo sermone (de gen. an. 1, 19. 20) demonstrare nitatur ὅτι τὸ θῆλυ εἰς τὴν γένεσιν γονὴν μὲν οὐ συμβάλλεται, συμβάλλεται δέ τι καὶ τοῦτ' ἐστὶν ἡ τῶν καταμηνίων σύστασις (729, 20. cf. 721 b 7. 726, 31. 727 b 33. cf. Galen. 4, 615 sq.), hic auctor id ipsum inculcat utrumque sexum conferre εἰς τὸ σπέρμα καὶ τὴν γένεσιν (c. 5—6. cf. 636 b 15. 37. 637, 35 — 638, 5): nam femina quoque γόνιμον προΐεται (637, 27. cf. 637 b 31 ὅτι παρ' ἀμφοῖν γίνεται πρόεσις τοῦ σπέρματος, εἰ μέλλει γόνιμον ἔσεσθαι), nec peculiarem seminis masculi agnoscens facultatem (ut Arist. 1, 21 sq. 2, 3) nec illam utriusque seminis συμμετρίαν, in qua deficiente causa est sterilitatis, de potestatis discrimine vario calore nixo (Ar. g. an. 4, 2. cf. 723, 29. 729, 17) intelligit sed de tempore locoque mixtionis solo (c. 5. debet enim esse ἰσοδρομία. qua eadem voce in alia re utitur Arist. 775, 25). De ovorum sterilium argumento (637 b 13—22) in hac re vulgari cf. Galen. 4, 616. 624. Arist. 730, 30. 737, 30. 757 b 14 etc. Secutus igitur est hic auctor medicorum omnium rationem ex utriusque sexus semine mixto generationem fieri declarantium et antiquiorum (veterum sc. physicorum Empedoclis Democriti Anaxagorae Leophanis nec non Alcmaeonis et Parmenidis de quibus Arist. de gener. an. 1, 17 sq. 2, 8. 4, 1. 4, 3. Censorin. c. 5—7. Galen. 4, 616 sqq. etc.) et posteriorum, quippe Aristotelis de maris potestate mere formali nec quidquam fetus materiae quam solam sola dat femina contribuente distinctionem illam subtiliorem prorsus negligentium si quidem unum exceperis Athenaeum (cf. Galen. 4, 603. 604 sq. 610. 612. 614. 621. 626) pneumaticorum recentiorum principem: hi enim pluris facere solent philosophorum argumenta (et Aristotelis et Stoicorum Gal. 8, 642 et Platonis 7, 609 sq. cf. 615 sq.) eundem plane in medicinae historia locum obtinentes quem inter philosophos Neoplatonici. Est enim Aretaeus ille qui Platoni Hippocratem coniungit et ipsam Hippocratis dialectum, medicorum quasi Plotinus nec ipse Galenus cuius theoria physiologica et ab Hippocrate et Platone quos idem sensisse docet et ab Aristotele pendet et pneumaticis ab hoc genere separandus. Galenus tamen et ipse in illa re contra Aristotelem stetit (4, 527—534), feminae quoque esse, quam tamen et ipse Aristoteles mari agenti reagentem quasi concedit de gen. an. 4, 3, vim quandam formalem propter similitudinem natorum cum matribus recte asserens (cf. 4, 613. 602 sq. 606—10) eamque et ipsius Hippocratis sententiam esse dicens

(4, 512. 600. cf. Hipp. de genit. p. 377 sqq.). Jam vero non solum auctor ille libri de sterilitate Peripateticus propius in multis ad medicorum quam ad Aristotelis sententiam accessit (cf. etiam librum Hippocr. *περὶ ἀφόρων*, velut de causa sterilitatis in situ uteri posita 634 b 27. 39 = II. 3, 1 sq. cf. 3, 9. 634, 12 cf. 3, 5. 636 b 39 — 637, 5 cf. 3, 14 in. 635, 35 cf. 3, 17 etc.) sed ceteri etiam Aristotelis discipuli, qui quum insignem operam (cf. Apuleii Apolog. p. 447 Oud.) physicis rebus medicisque et anatomicis tribuerent (ita Heraclides Ponticus qui *περὶ νόσων* scripsit D. L. 9, 51. 60. Galen. 7, 615. cf. 7, 773. 8, 415, ita Eudemus qui cum Herophilo aequali magna scientiae anatomicae laude floruit cf. Rufus Ephes. p. 26. 31. Galen. 2, 890. 3, 203. 4, 646. 5, 650. 8, 213 etc. quemque a Peripatetico diversum male putavit Sprengel 1, 553 sq. cf. 468, ita Theophrastus cuius familiaris erat Erasistratus utriusque Strato cf. D. L. 5, 59. Censorin. 7, 6. Macrob. in S. Scip. 1, 6, 65. Galen. 7, 616. 4, 629, qui utrum diversus fuerit a medico aequali ut volunt Sprengel 1, 568 et Demetr. Magnesius Diog. L. 5, 61 nec ne minime liquet cf. Galen. 11, 196 sq. 8, 759. Erotian. lex. Hipp. p. 86 ed. Franz, ita denique Lyco Stratonis discipulus de quo Apul. l. c.) a magistro saepe dissentirent necesse erat, id quod in hac ipsa de generationis causa quaestione ab omnibus Peripateticis agitata fecit Strato qui (sec. Gal. 4, 629 ubi tamen nunc male legitur *ὁ φυσικὸς Στρατονικός*) ex medicorum ratione modoque ut auctor ille anonymus disputans *τὸ μὲν ἄῤῥεν γίνεσθαι ζῶον ἐπικρατείᾳ γονῆς ἄῤῥενος τὸ δὲ θῆλυ θηλείας* credidit (de qua sent. cf. Galen. assentientem 629 sqq. 641 sq.). Quibus ex causis de decimo hoc qui fertur historiae animalium libro plane accedo Theodori Gazae iudicio alienum eum esse ab historia censentis verumque librorum ceterorum ordinem restituentis (praef. vers. lat. hist. an., in Ar. Opp. lat. Bas. 1548. T. II p. 326. cf. Nunnes. de studio philos. p. 89) cuius de Aristotele auctore dubitationem in demonstrationem verterunt alii, de quibus iam Scaliger Comm. ad l. X hist. an. in. ed. Maussac. Tolosae 1619. p. 1186, ut postea Camus Discours prélimin. p. 29. Schneider praef. ed. hist. an. p. 13 sq. et T. IV p. 262—64. 275. At quum libri hi tres de sterilitate et de spiritu et de motu animalium ab Aristotele omnes sint una de causa alieni, peior tamen illorum duorum ratio est et Aristotele prorsus indigna, tertius autem de motu insignis certe auctoris praeclara et diligens est disputatio.

Licet vero liber ille de motu Aristoteli falso tribuatur, tamen ante physiologicos iam libros scriptos esse metaphysicos nihilo minus certum est. Dicit enim in illis saepissime se scribere velle (numquam se iam scripsisse) de nutrimento de morbis de plantis, sicut iam libro Meteor. tertio extremo disputationem promisit de lapidibus, non quidem quod nullo modo ex ipsius verbis sequitur in hoc ipso loco ubi universales tantum rationes divisionesque posuisse satis erat sed postea demum proprio aptoque loco instituendum (*προχειριζομένοις περὶ ἕκαστον γένος* i. e. quando instituemus sermonem etc.) sc. post doctrinam de plantis. Omnes enim hos libros post libros quinque de generatione animalium perficiendos sibi sumsisse Aristotelem ita ut ex ipsius consilio iam Meteor. 1, 1 nuntiato Physicorum opus universum concludatur libris de natura quae anima vitaque praedita est zoicis, hi vero incipientes ab homine animaeque doctrina per se spectatae descendentes ad animam quatenus est animalium sensu praeditorum omnium corpori cooperans finiantur in animam nutritivam ac vegetativam plantasque huius solius participes, lapidibus deinde qui et ipsi latiori sensu sicut omnis natura animam habent causamque idealem et aeternam rerum agmen claudentibus, id et ex citationibus patet et ex ipsa re. Pertinent enim illi ad opus de partibus animalium physiologicum, in quo post eos qui proprie dicuntur *περὶ τῶν μορίων* (de gen. an. 1, 15. 720b 20) de universi corporis partibus earumque causis agentes (765b 7. 782, 20) quique unius operis pro prima quasi parte habentur (de gen. 5, 1. 778b 1 ubi de causa movente quae substantiae quasi accidens est repetuntur ea quae dicta sunt *κατ᾽ ἀρχὰς ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις* i. e. de part. an. 1, 1. 640. max. v. 4—7. 15—19. 25; licet huius eiusdem quoque de generatione partis utpote separatae *οἱ κατ᾽ ἀρχὰς λόγοι* citentur 4, 8. 776b 10) sequitur altera pars de generatione, in qua simul de partibus huic rei propriis antea neglectis (de part. 653b 16. 655b 25. 678, 22 sqq. cf. de gen. 1, 1. 715, 1. 11. 16 *τῶν περὶ τὰ μόρια τελευταῖα ταῦτα*, cf. 721, 26. 28); generationi vero iisque quae causae moventis sunt diversarum partium affectibus coniuncta proxime est *αὔξησις* et *τροφή* (in libro enim de gener. *περὶ τῆς ἔσωθεν τροφῆς* tantum quae est in utero matris nascentium dicitur), de quo argumento rationeque ea qua ex alimento in corpus ducto et liquefacto et concocto sanguis, ex sanguine totum corpus alatur, librorum de generatione

altera quasi pars agit ita ut non solum coniuncto titulo, ubi tamen libri *περὶ τροφῆς* deperditi soli respiciuntur, citentur *τὰ περὶ τὴν γένεσιν καὶ τροφὴν* (cf. 650b 8. 674, 20. 678b 19) sed vel communi 668, 7: *ἐν τοῖς περὶ γενέσεως λόγοις* (cf. de sensu 442, 3); quae tamen suum post libros de generatione quinque servatos (in quibus ipsis ea contineri falso voluit Nunnes. de stud. ph. p. 90 cum Philopono et Simplicio ad Arist. de an. 2, 4 extr.) proprium (de an. 2, 4. de part. 653b 13) certissime locum tenent (de part. 2, 4. 740b 11 ubi de incremento plantarum et animalium ita: *περὶ ὧν ὕστερον λεκτέον κατὰ τοὺς οἰκείους τῶν λόγων καιρούς*. cf. de gen. an. 5, 4. 784b 2 *ὕστερον λεκτέον ἐν τοῖς περὶ αὐξήσεως καὶ τροφῆς*. 744b 34. 745, 9. Prantl p. 43—45. sine certa temporis nota itaque ut nihil inde efficias citantur Meteor. 4, 3. de somno 3 ubi *ἀναληπτέον* illud urgeas minime necesse est). Quum vero e nutrimento male facto et corrupto et parum cocto malaque quatuor quae sunt corporis (466b 20) qualitatum humorumque (sunt enim *τροφῆς περιττώματα*. paullo aliter Plato Tim. 82—86. Tim. Locr. 102 *τροπαὶ αἵματος ἢ σαρκὸς τακεδόνες*: quam quidem *ξύντηξιν* in libris Hippocr. passim memoratam reiicit Aristoteles) generatorum ratione (debet enim esse *σύμμετρος κρᾶσις* cf. 652b 35. 457, 1) accidentibus causis externis velut aere, gignantur morbi (Phys. 194, 23 *χολὴ φλέγμα ἐν οἷς ἡ ὑγίεια* cf. Metaph. 7, 4 in. de gen. 1, 18. 725, 14. de part. 4, 2. 677, 5 sqq. *χολὴ* autem duplex *ξανθὴ* et *μέλαινα* 511b 10. 457, 31. cf. Pl. Tim. 83. 85), quam eandem doctrinam praeter Hippocraticos (cf. max. I de morb. p. 167. IV de morb. p. 324. Galen. 2, 165 sq. ceterum de theoriarum medicarum quae apud Hipp. inveniuntur in hac re differentia satis imprudenter iudicarunt Link et Petersen, paullo rectius Littré cf. Hipp. t. II préf. p. 22) et Platonem philosophos exposuisse Galenus dicit plurimos et Peripateticos et Stoicos Aristotelem Theophrastum Eudemum Zenonem Cleanthem Chrysippum alios (cf. Gal. adv. Julian. 18, 1 p. 258 sq. 264. 269), itaque post libros de nutrimento necessario agendum fuerit de caussis morborum, id quod ipse revera ita instituit hist. anim. 8, 18—27, ideo Aristoteles quae de morbo et sanitate physico quoque philosopho docenda esse intellexit (de sens. 1, 1. 436, 17 de long. vit. 1. 465b 32. de vit. 480b 22), minime tamen recte post Parva naturalia statim proferenda significasse sumitur (Prantl p. 96. Spengel p. 166) id quod ipse disertis verbis negavit 467b 8, ea igitur post

libros de generatione et nutrimento quibus fulciuntur merito scribenda distulit (cf. Ephes. ap. Nunn. p. 89. Eudem. Eth. 1249b 4. Theophr. de caus. pl. 5, 8) ipseque nuntiavit praeter locum l. de part. (2, 7. 653, 8) parum certum in l. de gen. an. 4, 10. 777b 8; ubi non dicit se de ipsa vitae longitudine eiusque causis, quod iam fecerat in Parv. nat. (de long. vit. c. 5), postea tractaturum (ita hoc intellexit Ephesius etiam ad l. de gen. an. p. 102, recte reiiciente Prantlio p. 44 not. licet in eo errante et ipso quod ad l. de victu spectare haec credidit), sed de illis ipsis quae dicit *φυσικὰ συμπτώματα* quatenus non vitae solum longitudinis et brevitatis sed morborum quoque causae sunt corporis mixtionem (*τὸ κεκρᾶσθαι*) humorumque rationem mutantes (velut Hipp. in l. de aere aquis et locis) i. e. non de longitudinis causis sed de causis illis quae in corpore animali ut aliorum ita et longitudinis sunt causae: hoc vero nullo alio loco fieri potuit nisi in libro de morbis animalium, in quo tamen ipso quin de longitudine denuo commemoratum fuerit (sicut in Theophrasti libris de plantis: ita de caus. pl. 2, 11 etc. cf. Arist. Problem. 20, 7. 923b 2) nihil obstat. Absolutis deinde morborum causis eodem modo quo de animalibus agendum erat de plantarum partibus generatione victu morbis (cf. Pseud-Arist. probl. 20—22), qua de re et ipsa diligentissimis studiis sicut docent ea quae comparationis causa libris zoologicis inspersit (quae collegit Wimmer Phytologiae Arist. fr. Breslau 1838) ab Aristotele pertractata et quasi mente iam absoluta multis locis (cf. Prantl p. 47) scripturum se promisit et quidem post libros de animalibus omnes (de gen. an. 5, 3. 783b 20. cf. 1, 1. 716, 1. de part. an. 2, 10. 656, 2). Quorum librorum omnium scribendorum consilium quod magnopere fovisse Aristotelem manifestum est numquam tamen ipsum revera perfecisse cur pro certo habeam illa potissimum causa est quod a nullo auctore antiquo lecti illi nec citati ne a Plinio quidem qui tamen Theophrasti aliorumque multorum libris (velut de lapidibus Sotaci, de plantis Phaniae cf. font. l. 21, ex cuius libro Athenaeus fragmenta plura posuit, numquam nisi uno loco excepto Aristotelis) diligentissime usus est iam ante aevum Alexandrinum virorumque doctorum curas sicut medicorum physicorumque ab Athenarum luce remotorum multi, deperditi fuisse censendi essent, id quod neque Aristotelis auctoris facile gloria patitur nec librorum argumentum gravissimum ipsius discipulis quam maxime probatum. Neque enim dubium est quin ea ipsa

de causa quia nihil de illis rebus ipse scripserat magister, Theophrasti libri de plantis et lapidibus qui doctrinae Peripateticae lacunam hanc tanta diligentia magis quam ingenio primus explevit singularem apud posteros sint laudem adepti, contra neglecti perditique exceptis tamen libellis illis septem singularibus eiusdem libri de animalibus (cf. Th. de caus. pl. 5, 6, 13) quibus scil. non nisi paraphrasi Aristotelis libros excerpserat (D. L. 5, 49). Scripti sunt Theophrasti libri de metallis et de lapidibus Athenis regnante Praxibulo i. e. Ol. 116, 2 (cf. Th. de lap. 59. Plin. 33, 37) ante quam libri de plantis qui post Ol. 118, 1 (cf. Th. hist. pl. 4, 3, 2. Schneider T. IV p. 585 sq.). Aristotelis autem omnino non ferri dicunt librum de morbis Alex. de sensu f. 94, librum de plantis Alex. ibid. f. 109 (Spengel p. 157) et Ephes. de vita et morte f. 175 b, librum de lapidibus et metallis Olympiodor. ad Meteor. ap. Ideler t. II p. 162 (*οὐκ ἔγραψε δὲ* — sc. *π. μετ. ὁ Ἀρ.* — *ὅσον ἡμᾶς καὶ τοὺς πρὸ ἡμῶν εἰδέναι· ὁ μέντοι τούτου μαθητὴς Θεόφραστος* etc. cf. Alexand. ibid.), quamvis ubi de divisione agunt librorum doctrinaeque Aristotelis tales saepe de lapidibus deque plantis libros aut ex coniectura sumant commentatores ipsius verba secuti (de utroque libro cf. Simpl. in Phys. f. 1 a. Philopon. in l. de gen. et corr. praef. Damascius Prolegg. l. de coelo Sch. Br. 454, 22. 29 ubi haec *καὶ μέντοι καὶ περὶ φυτῶν Ἀριστοτέλει γέγραπται.* de l. de plantis cf. David in Categg. 24, 21 Br., de metallis Olympiod. in Meteor. praef. ap. Id. I p. 133 etc.) aut respicientes Theophrasti libros eosque quos alius auctoris esse accuratior voluit notitia ceterorumque veterum scriptorum neglectus. Nam licet indices librorum Aristotelicorum omnes et Diogenis et Ptolemaei (Wenrich 154. Hadschi Kh. 5, 11) et Hesychii libros de medicina referant — et sane medici famam habuisse par est medici filium (cf. Aelian. v. h. 5, 9. 9, 22 etc. cf. etiam medica problemata quae ferebantur Aristotelis) — illos tamen ne veteres quidem criticos genuinos duxisse Galenus docet opus illud collectionis medicae (*ἰατρικὴ συναγωγή*) quo de medicorum priorum (*τῶν παλαιῶν ἰατρῶν*) doctrinis peripatetico more et historico auctor egerat (inde ductum videtur Aristotelis de Stratone medico testimonium apud D. L. 5, 61) ab aliis Menoni Aristotelis discipulo tribui asserens (Gal. 15, 26 cf. Plutarch. qu. conv. 8, 9, 3 *ἐν τοῖς Μενωνείοις*). Qui autem ferebatur Aristotelis de plantis liber (cf. praeter indices illos tres Athen. 14 p. 652) idem ab aliis nec magis recte Theo-

phrasto dabatur (cf. Pollux 10, 170 ἐν τοῖς Θεοφράστου ἢ Ἀριστοτέλους φυτικοῖς: ita enim cum Hemsterhusio legendum pro φυσικοῖς) eademque dubitatione Theophrasti librum de metallis a Polluce Harpocratione Hesychio et ab ipso Theophr. de lapid. 1 citatum Aristoteli adscriptum fuisse ex Polluce (7, 99. cf. 10, 149 ubi solum Theophrastum nominat) intelligimus. Librum quendam περὶ τῆς λίθου i. e. de magnete habent Diog. et Anon. Ad opus de plantis pertinuisse non solum de humoribus disputationem, quam ipse in illis instituendam (de sensu 4. 442b 24) promisit Aristoteles (Meteor. 2, 3. 359b 20. cf. de humoribus Theophr. hist. pl. lib. IX, de caus. pl. l. VI, ibid. 6, 20 fin.), sed etiam de agricultura (de qua Th. de caus. pl. l. III. cf. ibid. II init. et fin., V init.) Theophrasti exemplum docet: qui tamen postea legebantur Aristotelis περὶ χυμῶν (Olympiod. ad Meteor. ap. Id. I, 287. nisi forte hic ex ipsis tantum verbis Aristotelis talem eius fuisse librum effinxit Theophrastum respiciens; Alexander certe de illo nihil commemoravit ib. p. 288. falsa habet Ideler praef. p. XII) et περὶ γεωργίας, quo inter ψευδεπίγραφα ab Anonymo relato et a Ptolemaeo citato (Wenr. 154) usus est in libro de hortis Gargilius Martialis (apud A. Mai Classici auct. e Vatt. codd. ed. T. I Rom. 1828 p. 408 „Arist. in Georgicis"), hi non minus certe spurii fuerunt nec qui omnino non scripsit de plantis Aristoteles scripsisse illos putandus est. Nescio unde ductum sit illud quod e falsi Aristotelis „quae circumferuntur" Geoponicis de vulturum ex austro flante conceptu et anno deinde tertio partu mirabili citat Aldrovandi in Ornithologia (3, 1 ed. Bonon. 1646 T. I p. 245 et 246. idem similes Theoph. Simocattae et Manuelis Philae sententias affert), de qua eadem re iisdem ex parte verbis dixit Aelianus nat. hist. 2, 46 (cf. Arist. ap. Aldr. „mares sunt etiam ut audio eorumque nidi ostenduntur" cum Aelian. καὶ τούτων μὲν ἀκούω καὶ νεοττιὰς δείκνυσθαι), item Aristotele citato auctore Cassianus in Geoponicis Aeliano consentiens (14, 26 cf. ed. Niclas p. 1032) qui tamen licet interdum citet Aristotelem Mirab. ausc. exscribens (cf. 13, 16. 14, 26 init. 15, 6) numquam illius operis titulum tradit: quae quomodo expediam haesito. Niclas quidem ex eodem fonte hausisse cogitavit Aelianum, sc. ex ipso illo Aristotele cuius Geoponicorum exemplar ex Arabico Latine versum legerit Aldrovandi. Sane enim cognovisse Arabes opus quoddam de agricultura Aristoteli tributum patet ex libro illo ut plurimum memorabili quem

de agricultura composuit sec. XII Ibn El-Awwâm (Libro de agricultura etc. traducido al Castellano por Don J. A. Banqueri. Madrid 1802), qui pro more Arabum mediique aevi omnis communi ex multorum et Arabicorum et Graecorum scriptorum locis opus suum contexuit, Graecorum tamen testimonia (inter quos praeter Aristotelem cf. I p. 9 Cassianum alios continuo fere cum Junio citat Costi cuiusdam apud alios quoque Arabes velut Beitarium clari de agric. librum cf. T. I p. 42. Wenrich p. 298 sq. Hadschi Kh. 5, 132; plurimorum tamen nomina corrupta) non ex ipsis hausit fontibus sed ex aliorum potius Arabum libris de quibus ipse dixit in praef. p. 8 sq.: inter quos est Chaldaeus ille Ibn-Wahschijja (sec. IX—X cf. Wüstenfeld Geschichte der arab. ärzte und naturforscher p. 39) qui et in libro suo Agriculturae Nabataeae multis veterum auctoribus usus est et librum de agric. Democrito adscriptum cuius fragm. plurima citat Ibn El-Awwâm, in linguam Arabicam ipse transtulit. Et Aristotelis quidem fragmenta quae posuit Ibn El-Awwâm, ex libro quodam de agricultura qui tamen numquam titulus nominatur manifesto sumta (cf. T. I p. 551. 657. 671. 673. T. II p. 226. 242) ex Costo illo videtur duxisse (cf. max. 1, 551. 2, 242. etiam 2, 226) sive ipse sive auctor quem sequitur Arabicus nec ipsum Aristotelis librum Arabice umquam extitisse verisimile est (id quod inconsideratius ut saepe voluit Wenrich p. 94). Quae autem revera apud Arabes ferebantur Graecorum auctorum scripta Graece deperdita velut Aristotelis Platonis Galeni Hippocratis aliorum plurima, ea omnia fere sunt recentissima auctorumque Byzantinorum pseudepigrapha. Syri enim illi interpretes quos intento studio eos libros quorum lectione tunc temporis maxime gauderent Graeci Arabibus tradidisse par est, mirum quantam praeter antiquorum auctorum libros clarissimos et tunc quoque vulgatos Byzantinorum scriptorum copiam in Arabicam linguam transtulerint eorumque falso titulo aut apud Graecos iam inscriptorum aut ipsorum interpretum deceptorum errore et incuria aut qua maxime causa medio aevo apud Latinos quoque tituli turbati sunt (cf. e gr. Aristotelem de causis de pomo de sex principiis etc.) librariorum posteriorum in titulo describendo cum brevitate negligentia. Etenim et interpretes auctoresque Arabici et quorum eadem prorsus studiorum ratio medii aevi scriptores Christiani ipsis fere rebus singulis cognoscendis et undecunque ingenti curiositate compilandis intenti erant magis quam auctorum litterarumque historiae verique rerum nexus indagationi certae et eruditae.

Cuius rei documentum habes et confusa illa exiliaque quae de auctorum vitis retulere (cf. e gr. quae ex Nedimo repetunt Abulfaradschius Dschemaleddinus Hadschi Khalfa de Euclide et Apollonio mathematicis de Hippocrate etc., licet de medicis auctoribus citent Joannis grammatici Alexandrini historiam cf. Casiri 1, 236. 238) et ipsas librorum inscriptiones quae vel antiquissimis auctoribus tribuunt scripta non solum recentissima verum manifeste Christiana iisque tribuunt qui vel in iisdem illis libris quorum auctores perhibentur ipsi citantur. Ita libri Christiani et ex Arabico Latini et adeo Graeci Galeni nomine circumferuntur plurimi, quorum exempla multa praebet Renati Charterii editio (quod ad Graecos cf. l. Galeni *περὶ τῶν ἐν τοῖς νεφροῖς παθῶν* T. X p. 538): unde satis est commemorasse subscriptionem interpretis Arabici Galeni libro Secretorum ad Monteum (a Burlaeo quoque in librorum Galeni catalogo = Vinc. Spec. hist. 10, 92 memorato), qui et ipse auctoris Christiani est et (sicut plurima Galeni cf. Hadschi Kh. 1, 75) Alexandrini (ed. Chart. T. X p. 554. 556. 557), additam in haec verba: „Inquit Hunayn filius Isaac, Istuc est quod invenimus ex libro religiosorum Galeni; et est gloriosioris benedictionis quam libri eius alii et iuvamenti. Quod si acciderit alius liber ab ipso, transferam ipsum". Non minus tamen post primos interpretes librariorum peccavit negligentia: ita enim qui apud Arabes ferebatur liber de plantis Nicolai Damasceni (cf. Meyer praef. ad vers. Alfredi lat. Lips. 1841. p. 10—14) quo hunc ut in aliis libris Aristotelis de eodem argumento librum paraphrasi expressisse accuratiores credebant (cf. Hadschi Kh. 5, 162), postea in ipsius Aristotelis titulum abiit et apud Arabicos commentatores, recentiores quidem (inter quos, cf. Wenrich p. 173, Wüstenfeld l. c. p. 78. 94, Nunnes. ad vit. Aristot. p. 138, fuit Ibn Badsche) et apud Alfredum Anglicum versionis latinae veteris auctorem (de quo cf. Thom. Wright Biogr. Brit. litt. II p. 220 sq.) Multo frequentior apud Arabes mentio fit libri Aristotelis de lapidibus, in quo ille de sexcentis (Hadschi Kh. 5, 33) vel septingentis (Sylvestre de Sacy Chrestomathie arabe T. III p. 533 cf. 447) lapidum speciebus dicitur disseruisse agens de natura illorum et proprietatibus maximeque de utilitate medica de locis quibus inveniuntur et metallifodinis, plenus ille superstitionibus nec Plinii de eadem re libris adeo dissimilis, aetatis autem Byzantinae (cf. de lapidum gradibus Ar. ap. Constant. p. 378, Ibn El-Beitar II, 63. de magnete eiusque vi

et angulis duobus contrariis Const. p. 378 et Vinc. Sp. nat. 8, 19. 34). Huius libri quem Arabica versione usus primus inter Latinos citavit Constantinus Africanus et in epistola ad filium de incantationibus p. 318 sq. in opp. Const. ed. Basil. 1536 (eadem legitur in ed. operum Galeni Charteriana t. X sub Galeni nomine inepte tradita, licet auctoris sit Aarone medico Alexandrino — cf. Sprengel 2, 365 et Renan de phil. perip. ap. Syr. p. 27 — et Arabibus notissimo quem citat p. 572b = Const. p. 320, recentioris) et in libro de gradibus (p. 352. 360 ubi pro „Arabum in libro de lap. intitulato" corrigas „Aristoteles" etc. ex Vinc. Spec. nat. 7, 45 eundem Constantini locum citante, deinde p. 378. 383. 384. 386) aliisque ineditis quibus qui in l. de mineral. interdum ex Const. citat Aristotelem usus est Albertus in l. de mineralibus (Opp. II p. 229. 232. cf. 228. 233. 237. epistolam illam Const. hic appellat l. de physicis ligaturis" p. 243) itemque usus esse (nisi forte ipsius Aristotelis libro) Arnoldus de Saxonia videtur, cuius liber de virtutibus lapidum (Vinc. 8, 23) inter primarios harum rerum fontes a Vincentio in Speculi naturalis libro octavo exscriptus cum Aristotele illo ipsis interdum verbis consentire deprehenditur (Vinc. 8, 77. 87) — huius igitur Aristotelis compendium Arabicum quod habetur Parisiis confectum a Luca Serapionis filio qui se centum tantum lapides selegisse in prooemio dicit (de Sacy l. c.), multi medici physicique Arabici et maxime ii qui de medicamentis simplicibus et de lapidibus pretiosis tradiderunt fragmenta praebentes citant, velut Ibn El-Beitar in l. de med. simpl. qui de octodecim lapidibus Aristotelis testimonio utitur (übersetzt von J. v. Sontheimer Stuttgart 1840—42, ubi hos locos notavi T. I p. 15. 44. 73. 138. 187. 189. 294. 515. 523. 537. 542. 553. 554. T. II p. 63. 161. 201. 271. 345. 346. 446), Teifâschi (cf. Hadschi Kh. 2, 654) in libro de gemmis (Specimen ed. Seb. Fulco Ravius Traj. ad Rhen. 1784 p. 51—53. 54. 76), Kazwîni in cosmographia (Chézy apud S. de Sacy l. c. p. 447. cf. 443), alii. Non tamen commemorant Aristotelem de hac materia Ali Ben El-Abbas Mesue Avicenna Serapion Averroes quorum versiones antiquas latinas perlustravi; Rhazis enim opere celebri uti non licuit. Eiusdem autem libri a Luca editi praeter notitiam a Constantino suppeditatam Latinam quoque versionem extitisse excerpta illa docent quae „e libro Aristotelis de lapidibus" larga manu dedit Vincentius Bellov. Spec. natur. 6, 77. 7, 24. 41. 52 et praecipue in libro octavo, cf. e. gr. de sma-

ragdo 8, 102 = Constant. p. 318 = Ibn El-Beitar I p. 537 (cf. Marbod c. 7), de carneolo Const. ib. = Beitar II, 201, de onyche Vinc. 8, 87 = Const. l. c. etc. Similis liber, non tamen idem, videtur esse Aristotelis de metallifodinis (Hadschi Kh. 5, 152), de cuius argumento ad artem chymicam pertinente utrum sit illa ars nec ne ex Alfarabii verbis disputat Ibn Badsche apud Hadschi Kh. 5, 272 sq. 282 cf. Avicenna ap. Vinc. Sp. nat. 7, 85, non illo eodem cum Aristotelis „arte alchemiae" sive libro de perfecto magisterio in Theatro chemico Argentor. 1659. T. III p. 76—127 latine edito, in quo Hermetis Secretum citat auctor (p. 79. 80. 82. 127) et suum ipsius librum „quod Lumen luminum inscribitur" (p. 79. cf. Vinc. Sp. nat. 7, 36. 8, 6 etc. cf. „Aristoteles de alchymia" quem memorat ex cod. Arab. Ph. Labbeus in Nova bibl. mss. sive specim. antiq. lect. Paris 1653 p. 255. Theophrasti nomine simili ratione utitur libellus metricus de arte sacra gr. ap. Idelerum in Medicorum minorum T. II, 328—35). Non minus quam in chemicis secretis Byzantini atque ex Byzantinorum exemplo scholastici et Arabes et Latini delectabantur in astrologicis (chemia enim est quasi quaedam inferior astronomia ut ait Arist. Th. chem. III p. 76): quo factum est ut harum quoque ineptiarum libri Aristotelis simularentur, velut ille de impressionibus coelestibus „qui liber est melior tota philosophia Latinorum" secundum Rogerum Baconem et dignus qui transferatur (Op. mai. p. 246. cf. 245. 473. Casiri 1, 245. de alio quodam libro astrologico cf. Albert. Opp. V, 661). Inter omnia vero quae Byzantino aevo debentur Aristotelis pseudepigrapha et apud Arabes et apud Latinos (apud quos qui primus citavit ipsis tamen Arabicis fontibus hic quoque ut in ceteris usus Petrus Alfonsi est in disciplina clericali p. 43. 71 ed. Schmidt, quamquam iam ante hunc eodem fonte Arabico tacite usus fuit ad signorum physionomicorum doctrinam Constantinus Africanus in Pantechni l. I c. 8—18. Const. Opp. reliqua ed. Basil. 1539) celeberrima fuit Epistola Aristotelis ad regem Alexandrum de regimine principum sive Secretum Secretorum a Johanne filio Patricii (ita enim vertit Philippus nomen Jahjae Ben Al-Batrik) seculo nono translatum „primo de lingua greca in caldeam et de hac in arabicam" (sicut dicitur in prologo Johannis), cuius libri Antiochiae reperti latina versio a Philippo quodam clerico sec. XII facta iussu Guidonis de Valencia episcopi Tripolitani ingentem medio aevo i. e. sec. XIII—XV famam (et vel Rogeri Baconis commentarium si fides

Catalogis libr. mss. Angliae et Hiberniae in unum collectis Oxon. 1697 T. I P. II. cod. 1616. idem Secretum iam ante Philippum a Joanne Hispaniensi quae ad diaetam spectant excerpente ex parte conversum fuerat et dedicatum „Theophinae Hispaniarum reginae" Cat. codd. Angl. II, 1 c. 3794. cf. I, 3, 1005. I, 2, 869. I, 1, 2674. Jourdain p. 117) nacta innumeris fere exemplaribus conservatur nec solum in francogallicam veterem anglicamque linguam conversa est sed etiam licet per partes excerpta et parte altera medica omissa in Turcicam (Hadschi Kh. 5, 89. cf. 4, 411). Auctor hic qui Christianus est (id quod ipso invito quaevis fere docet pagina) sicut auctor historiae Alexandri Callistheni tributae et Byzantinus seculi sexti vel septimi, astrologicae superstitionis plenus fabularumque delectabilium (cf. fol. 7. 11. 17b. 28. 28b. 35 et maxime f. 30—31. cf. f. 21 „libros delectabiles") et librorum Hermeticorum amator — Hermes enim Trismegistus iste est „magnus doctor Hermogenes" quem cum Esculapide i. e. Asclepio (f. 20b. cf. f. 8b: Et scriptum est in libro Esculapiorum. cf. Abulfaradsch hist. dyn. vers. Pococke p. 7) aliisque antiquis philosophis quorum nomina corrupta sunt (f. 20b extr.) saepius citat (cf. f. 5. 9b. 10. 20b. 23. f. 20b idem dicitur esse Enoch qui Graecis Hermogenes i. e. Hermes omnis scientiae secretae et coelestis auctor; de quo qui Arabibus est Edris sec. Petr. Alf. p. 34. cf. Schahrastâni vert. Haarbrücker II, 61. cf. II, 3. Hadschi Kh. 1, 62 etc. etc.) — multis tamen numeris dignus qui denuo edatur (prius enim cum aliis quinque versionibus latinis partim de Arabico olim partim de Graeco factis et suo quodam tractatu de Universalibus Aristotelis Secretum edidit Alexander Achillini in „Opere septisegmentato" Bononiae 1501, ed. alt. 1516, cf. etiam Fabric. B. G. 3, 283 H.; ego quidem codice Berol. lat. qu. 70 membr. sec. XIV utor optime scripto: alterum enim quod in bibl. Berol. exstat exemplar in cod. theol. lat. oct. 37 sec. XV textum breviorem continet ex integro illo multis omissis excerptum), hic igitur auctor quum alios quosdam libros suos citat velut librum de aquis f. 20b, librum de pulmentis et medicinis f. 18b, librum „de medicinis compositis et potacionibus artificialibus et unguentis confectis et emplastris secundum artem et ordinem Grecorum Italicorum Indorum et Persarum, in quibus nullum experimentum fuit fallax" f. 20b („libros Persarum" pro more Byzantinorum citat etiam f. 28b, cf. f. 29 „in libro cuiusdam Medorum mandatum est filio suo", idemque de Indis multa narrat

f. 7. 11. 28b), tum librum quendam „de lapidibus et plantis" f. 23. cf. f. 22b „In aliis quidem libris nostris plene de proprietatibus lapidum et viribus herbarum et naturis plantarum declaravimus" (cf. f. 23b), qui quidem liber falsi Aristotelis num idem fuerit cum illo quem citat Constantinus dubito. De animalium quoque proprietatibus et medicinis librum quendam Aristotelis (cf. quod habetur in cod. gr. Matrit. 84 sec. XV manu Const. Lascaris maximam partem scripto prooemii *Ἀριστοτέλους περὶ ζώων ἰδιότητος* fragmentum ab Iriarte editum Catal. p. 322 sq. in quo de Hippocrate medicinae conditore narrans auctor Aphorismorum illius prooemium quoddam spurium adscripsit sermone fere neoplatonico) legisse Arabes docet Ibn El-Beitar 1, 376. 2, 560. cf. 2, 99. Ibn El-Awwâm 2, 719. Teifâschi p. 47 Rav. Hadschi Khalfa 3, 121, e quo multa hausisse praeter veri Arist. historiam animalium videtur Eldemiri cf. La Chasse d'Oppien trad. en français par Belin de Ballu, suivi d'un extrait de la grande histoire des animaux d'Eldémiri par M. (i. e. Sylvestre de Sacy) Strassbg. 1787 p. 176. 178. Ceterum Albertus Magnus a quo in libro de mineralibus maximeque in Secretis (cf. cod. lat. Berol. qu. 70. f. 298—308, quem quidem de virtutibus herb. lap. et animal. tractatum genuinum esse Alberti Colon. parum idonea de causa negat Echard Scriptor. ord. praedic. T. I p. 182) citantur de lapidibus auctores multi velut Aaron Evax (cf. Marbod de gemmis in prologo et col. 1687 ed. Beaugendre) Hermes, Aristotelis illum de lapidibus tractatum cum Thoma Aquino (Comm. in Meteor. f. 48b) ignorabat, cf. Opp. II, 210: „De his autem libros Aristotelis non vidimus nisi excerptos per partes", ubi quod ad verba extrema (cf. Jourdain p. 169. 317. 368) voluisse potius videtur Constantini illa quam quae dicit Vinc. Bell. „addita libri quarti Meteororum" Spec. nat. 5, 80. 86, in l. septimo saepius excerpta, cf. ibid. 7, 85: „Nonnulli etiam illud caput ultimum Meteororum ubi agitur de transmutatione metallorum dicunt non esse Aristotelis, sed additum ex verbis cuiusdam alterius auctoris." Et sane hoc caput, quod sub titulo „Aristotelis de mineralibus" in op. septisegm. edidit Achillini f. 21b—22b, auctoris est manifeste Arabici Arabumque de hac re doctrinae (cf. Sylv. de Sacy Chrest. ar. III, 372—74. 430—35) plane concinens (cf. etiam de alchimia f. 22b), Avicennae sc. sub cuius nomine post Chymiam Gebri illud edidit Tancken Gedani 1682, cf. Tom. Aquin. de arte alchem. p. 270 in Th. chem. t. III, Albert. de min. Opp. II, 251.

Sed de his aliisque Aristotelis aliorumque Graecorum auctorum libris pseudepigraphis Arabicis, quos ad Byzantinarum quidem litterarum historiam, non vero ad antiquissimos illos Alexandrina iam aetate falso inscriptos pertinere omnes manifestum est, alio tempore disputandum erit.

Jam vero si libros illos de victu et morbis de plantis de lapidibus omnino non scripsit Aristoteles nec physicae doctrinae universae expositionem unquam absolvit, morte sola eum fuisse impeditum patet nec iam locus est metaphysicis libris post physiologicos. Et sane quidem quamquam eae sunt citationes et Metaphysicorum, quae licet non disertae nec ipso libri addito titulo multae tamen in Physicis obviae sunt (cf. Bonitz Comm. p. 4 et praeterea 184b 26. 198, 28. 228, 19 etc.), et Physicorum librorumque subsequentium quae in Metaphysicis, ut de temporis ratione nihil inde efficias uno forte loco excepto Phys. 1, 9. 192, 35 qui vix ullam admittere dubitationem visus est omnibus, ipsa tamen si perlustras Physica eaque quae primo maxime libro universalia dicta sunt Metaphysicorum argumentum saepe tangentia, si physica scripta quae sequuntur reliqua, si librum de anima, res ibi metaphysicas terminosque sexcenties invenies esse usurpatos saepeque quae in Metaphysicis dedita opera demonstrantur ita hic argumenti instar adhibita quasi illis memoratis utpote omnibus iam notis res omnis conficiatur, alteram denique hanc secundamque videbis theoreticae philosophiae partem e prima philosophia, id quod ex ipsa re esse patet, fundamentoque metaphysico revera pendere omnem indeque rerum physicarum deduci plurimas et definitiones et explicationes, ut minime ex eo solo id derivare possis quod tota iam prima philosophia perfecta et mente auctoris elaborata quasi interspiciatur: non enim lectori ignoranti. Nam ut exempla afferam, si multis modis dici unum (taceo enim de ente de quo idem saepe ut notum assumitur velut 185, 21 etc. cf. max. 336b 29) legis ita simpliciter saepe positum (ut Phys. 1, 2. 185b 6. 5, 4. 227b 3. de an. 2, 1. 412b 8 etc.) sive ex principio quod vocant contradictionis omnis dialecticae fundamento celeberrimo rei cuiusdam refutandae argumentum peti (velut Phys. 8, 5. 257b 10. de an. 3, 2. 426b 29. 427, 5—8. de sensu c. 7) sive quo illius maxime illustratur veritas et qua ratione multa et contraria tamen esse posse unum et idem ostenditur, potentiae et actus discrimen per totam fere physicam dominari eoque non physiologicos solum libros et genera-

tionis explicationem animaeque definitionem et doctrinam omnem niti psychologicam (cf. de an. 1, 1. 2, 1—2. 2, 5. 3, 2. 3, 4 sq. 3, 8) sed in primis etiam Physicorum libris ipsius motus definitionem (Phys. 3, 1—3. cf. 200b 26. 201, 9) atque omnino in his ipsis discrimen illud ut notissimum et lectori iam probatum saepe inferri (186, 3. 191b 28. cf. 262, 22. 327b 23 etc. Phys. 8, 4) sive denique ea respicis quae de physicae et metaphysicae disciplinae ratione universa passim tanguntur (Phys. 1, 2. 2, 2. 2, 7. Phys. 1, 3 = Met. 1, 5. 986b 17. Phys. 1, 5. cf. Met. 13, 1 etc.) et prius scripta esse debere Metaphysica non solum propter dignitatem et argumentum universalius sed diserte quodammodo significari iis quae rebus quas ad aliam prioremque disciplinam spectare edicit opponit postea (*ὕστερον*) tradenda 318, 5—9 cf. 192b 2, haec omnia si perpenderis, iam vix ulla tibi dubitatio relinquetur quin libros metaphysicos, quos eodem fere tempore quo Physicorum octo scriptos esse cuivis apparet, post hos ipsos statuas edi non potuisse nedum post psychologicos vel physiologicos. Nec obstat illud *εἰς ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἀποκείσθω* quo disputationis de forma quam metaphysicae esse ait illique occasioni debere reservari et manere, arcet ab hoc loco repetitionem; nam *περὶ τῶν φυσικῶν καὶ τῶν φθαρτῶν εἰδῶν ἐν τοῖς ὕστερον δεικνυμένοις ἐροῦμεν* (Phys. 1, 9). Physica autem Aristotelis opera ut secundum ipsius verba uno consilio plantas etiam et animalia comprehendente (cf. de coelo 3, 1. Meteor. 4 extr. et 1, 1. ubi qui vocatur *ὑφηγημένος τρόπος* ad ea spectat quae Physicorum initio 1, 1 exposita sunt de doctrinae methodo ab universalibus ad particularia descendente, cf. eandem formulam Polit. 1, 1. 1252, 17 *κατὰ τὴν ὑφηγ. μέθοδον* i. e. in Eth. extr. Eth. 2, 7. 1108, 3. Meteor. 3, 1. 370b 4. de gen. an. 3, 9. 758, 28 i. e. 737b 25. 732, 25 etc.) et uno etiam tenore scripta sunt nobisque integra servata — caveas enim ab illis quas inepte finxit Ideler duabus Meteorologiae recensionibus praef. p. XII sq. cf. I, 354. 401. 466. 501. 527. 539. 589 sq. 614 etc. cf. Stahr Arist. b. d. Röm. 91 sq. nimis ille veterum citationibus tribuens quae neque in ipsis auctoris verbis haerere solent neque ita ad Meteor. omnes quam ad alios libros perditos suppositosque referuntur — ita in duas partes dividuntur ubi a physicis quae vocamus auctor procedit ad physiologica: finit altera pars quarto Meteororum, qui liber ab elementis et elementorum generatione speciebus et affectibus post universalia naturae motusque

propria expositis universam ipse de generatione et corruptione doctrinam quam respicit 4, 1 in. cf. de gen. et corr. 2, 2, perficiens (cf. Averroes Comm. in I Met. in. Opp. V, 403b, qui quarti libri summam tantum dedit p. 460—67) sicut recte dixit Alexander Aphrodisiensis (Qu. nat. et mor. 3, 14. id. ap. Olympiod. in Met. 1, 133. 2, 169 Idel. et ibid. Pseudoalexander i. e. ut credo Michael Ephesius 1, 133. 2, 167, qui commentarium veri Alexandri in cuius nomen abiit fere ut Ephesius auctor comm. ad Metaph. l. 5—13, exscripsit omnem et compilavit ipse recentior Olympiodoro et Philopono nec magis ad Alexandrum Aegaeum cf. Ideler praef. p. 17 sq. quem sequitur Spengel, pertinens cuius nulla scripta inclaruere quam ad Alexandrum Damascenum Galeni cum Eudemo peripatetico aequalem cf. Gal. 2, 218. 14, 627) male ille a multis intellectus (etiam ab Idelero II, 355—57. ansam erroris de quo recte Spengel p. 151, dedit Olympiod. II, 169) — titulum enim reprehendit non locum libri nec nisi a nomine Meteorologicorum ut quartum ita tertii caput ultimum in Arabum etiam exemplaribus omissum quartoque additum in vers. graecolat. Jourd. 168 separavit —, tertiumque librum continuo secutus (id quod falso negavit Prantl p. 153) ipsisque Aristotelis citationibus ab omni suspicione tutus (cf. p. a. 649, 33. g. a. 743, 6. 784b 8. Philochor. apud Athen. 14, 656 = Met. 4, 3) transitum parat ad animalium naturas et generationes tractandas, ita quidem ut primum agat de nobiliore animalium parte anima sc. per se spectata (i. e. *περὶ ψυχῆς φυσικῆς*: nam de mente humana eademque divina deque iis quae mente percipimus rebus intelligibilibus et aeternis sive *περὶ τῶν νοητῶν* solius metaphysicae est disputare, cf. de part. an. 1. 641, 36) et de communibus animae et corporis operationibus, orsurus alteram deinceps zoicorum partem physiologicam de causis partium animalium et generationis. Zoica pars a physicorum librorum nexu separata est animalium historia cetera omnia praecedente, qua universa quasi materia disciplinae animalium accurate descripta, interioribus etiam partibus sectione reclusis, oculis proponitur ita quidem ut singularum partium situs et figura in singulis fere animalibus (cf. 511, 11 de piscibus) tabulis anatomicis historiarum operi additis (haec enim sunt illae *διαγραφαὶ αἱ ἐν ταῖς ἀνατομαῖς* i. e. in tabularum anatomicarum collectione, saepius memoratae cf. 497, 32. 525, 8. 566, 14. 746, 14. Prantl p. 27. sicut in aliis quoque libris interdum figurae textui apposita erant cf. Meteor.

1, 8. 346, 31: *θεωρείσθω δ' ὅ τε κύκλος καὶ τὰ ἐν αὐτῷ ἄστρα ἐκ τῆς ὑπογραφῆς,* cf. etiam 375 b 18. 363, 25. Theophrast. de signis 2, 10. Arist. fr. de signis p. 973 b 22 et in ipsa hist. an. 3, 1. 510, 30. de part. 4, 3. 677 b 18 tabulasque virtutum in Eth. Eud. 1220 b37. Nicom. 1106, 32. huc faciunt et *γῆς περίοδοι* hoc tempore vulgares Met. 362 b 12. 350, 15) auctoris cura illustraretur sicut nunc quoque codices Dioscoridis: — patet enim eosdem plane fuisse libros anatomicos et historicos; nam quum una fere semper citentur *αἱ ἀνατομαὶ* et *αἱ ἱστορίαι* (cf. Prantl p. 25—28), numquam tamen libri significantur de anatomica scientia sed ipsae tantum aut sectiones ita ut solennis illa formula *φανερὸν ἐκ τῶν* sive *διὰ τῶν ἀνατομῶν* nihil aliud velit atque *ἐκ τῶν ἀνατεμνομένων,* id quod habetur 478, 27 i. e. si quis dissecuerit, aut sectionum descriptiones nec umquam praeter historiam animalium alii Aristotelis exstiterunt libri de scientia anatomica sive animalium partibus interioribus quibus ut par est mox celeberrimis veteres certe medici et maxime Galenus uti non neglexissent, negligentes illi scripta illa supposita anatomica quae sane secundum indices tres ferebantur velut *αἱ ἐκλογαὶ τῶν ἀνατομῶν* rariora spectantes et mirabilia, unde Apollon. mirab. 39. cf. Apul. Apolog. p. 492 Oud., Stahr Arist. b. d. Röm. p. 150; nam libros *ἀνατομῶν* Aristotelis quos vocat Apul. ib. p. 491 cf. quae incerta leguntur p. 477, ipsam sine dubio vult historiam animalium; neque quidquam *ἀνατομὴ ἀνθρώπου* quam numquam citatam — errat enim de Galeno Fabric. 3, 389 — spuriam ait Anonymus, pertinere videtur ad Isagogen anatomicam eam quam ex ipsis zoologicis Aristotelis scriptis ab homine quodam recentissimo verbotenus consarcinatam ex Gallia quondam reportasse dicitur Petrus Lauremberg primus editor, cf. Bernard praef. ed. Lugd. Bat. 1744. p. 3—5 et ibid. p. 14—16 Joach. Morsi praef. ex ed. Amstelod. 1681. Choulant Geschichte und litteratur d. ält. med. Leipz. 1841. I p. 129. Qua autem zoica Historicis eadem fere ratione physica scripta universa olim praecedebantur Problematicis, quae de rerum naturalium particulariumque et ad ipsam naturae philosophiam theoreticorumque librorum expositionem minus pertinentium causis (cf. Meteor. 2, 6) agebant velut de elementis (de vita et m. 5) et meteoris (sc. de ventis Meteor. 2, 6) deque rebus psychologicis (de somno 2) et physiologicis (de part. an. 3, 15. de gen. an. 4, 4. 4, 7) quaeque revera scripta et ante Physica scripta fuisse apparet ex ipsius verbis

Meteor. 2, 6. 363, 24: *ὅσα μὴ συμβέβηκεν ἐν τοῖς προβλήμασιν εἰρῆσθαι τοῖς κατὰ μέρος.* Quae quidem Aristotelis problemata et nobis deperdita et antiquitus iam ipsis Graecis quum propter argumentum minus notabile tum propter aliorum auctorum similes libros plurimos, nullo modo dubito quin a posteriorum Peripateticorum consuetudine cuius nunc quoque monumenta exstant Arist. Mirabilia et Oecon. lib. II Hippocraticis illis Aphorismis et Prorrhetico primo et Coicis praenotionibus nec non Mirabilium rerum collectionibus plane similia, tales Problematum libros tumultuaria plane ratione aut prorsus nulla undique congerentium omnino recesserint. Nam quae ipse citat ea non leguntur in Aristotelis quae feruntur Problematis physicis (iisdem sine dubio cum *φυσικῶν προβλημάτων κατὰ στοιχεῖον* 38 libris quos indicat Diogenes) nec umquam legi potuerunt (quod falso cum aliis statuit Ideler ed. Meteor. 2, 194): sunt enim haec ea quorum et omnis ratio Aristotele prorsus indigna et argumentum magna ex parte ab eius non sententiis solum cui vel contrarias non raro tuentur sed studiis etiam alienum (velut medica et musica). Id quod non de hac solum collectione valet sed de ceteris etiam plane similibus quas multas antiqui ferebant Aristotelis (cf. praeter indices Arist. vit. Nunn. p. 24—25). „Ex Ar. libro qui *ἐγκύκλια προβλήματα* inscriptus est" citat Gellius 20, 5 idem prorsus problema quod in nostris etiam 30, 10 repetitur, de qua re fallitur Stahr Ar. b. d. Röm. 132; ita et in codicis Matritens. 94 Problematum medicinalium et physicorum collectione per partes exstante Aristotelisque falso nomine ornata multa quae et in nostris repetuntur (cf. Prantl über die Probleme des Arist. Abh. d. Münchn. acad. 1850 T. VI p. 366). Exstant nunc quoque *μηχανικὰ προβλ.* quae etsi diligentius uberiusque exposita et vel prooemio ornata, in quo de mechanicorum ratione quomodo se habeant ad physica problemata p. 847, 24, non magis tamen quam cetera Aristotelis esse putabis; quibus tacito auctoris nomine usus est sive potius ipso ex quo problemata haec ducta sunt auctore Vitruvius in libro decimo de principiis machinarum agens, cf. ed. Schneider Comm. t. III p. 343. 362. 367 sq. van Cappelle ad Ar. Mech. p. 197 (cf. 214. 217). Ad tales igitur Problematum libros perditos referenda sunt ea quae ex Aristotelis Probl. saepe citant veteres in nostris non reperta (quas citat. collegit Prantl p. 367—70): nostra enim haec olim fuisse auctiora, id profecto non verisimile est in scriptore eo qui sex-

centies eadem sive iisdem verbis sive paullo mutatis bis vel tris aut integra aut ex parte repetere non supersedit (cf. Prantl p. 345—47), compilans ille problemata verbotenus plerumque excerpta ex scriptis discipulorum Aristotelis utpote in rebus particularibus uberiorum, maxime autem Theophrasti (cf. Schneider in comm. ad libros Th. *π. ἀνέμων π. πυρός π. κόπων περὶ ἱδρῶτος* ed. Theophr. t. IV. Prantl l. c. p. 372—76) cuius ita omnes libros una cum ipsis aut aliorum eiusdem libri locorum aut aliorum librorum citationibus (velut libri de igne Probl. 30, 1 cf. Th. de igne 34 sq. 40, ex qua citatione antiqui quidam editores deesse nunc problematum de igne sectionem male efficiebant, cf. Schneider IV, 594. fragmentum illud longum Theophrasti Probl. 30, 1 e libro *περὶ μελαγχολίας* a Diogene memorato sumtum esse patet. ceterum de his citationibus quas collegit p. 348 sq. minus recte iudicavit Prantl ipsius eas auctoris esse putans, cuius tamen nullae omnino in hoc opere partes sunt) ita igitur omnes exscripsit ut e singulis fere sectionum titulis libellorum Theophrasti adhibitorum Diogenis inspecto indice coniecturam facias. Ipso Aristotele non nisi rarissime auctor usus est, velut de geminis solibus Probl. 15, 12 quae sunt ex Arist. Meteor. 3, 6 (cf. 912b 31 — 913, 4= Meteor. 377b 30 — 378, 11). Theophrastus enim ut doctrinas illas quarum ambitum primus emensus est Aristoteles singulorum capitum monobiblis exemplorum plenis et problematum adauxit ita scriptorum rerum magis quam philosophiae curiosorum, ut Plinii Athenaei aliorum, praecipuus semper fons fuit. Ei vero qui Theophrasti libellos istos in suspicionem vocaverit (cf. Prantl p. 373. Ideler Met. 1, 137), summa id quidem iniuria quum et omnino Theophrasti utpote minus clari recentiorisque certiores fuerint libri qui ferebantur apud veteres eiusque rationi optime illi conveniant corrupti quidem multis locis at integri tamen (neque enim multum iis tribuerim quae in codice Florentino libro de igne subscripta leguntur librarium fortasse solum spectantia: *τέλος Θεοφράστου περὶ πυρὸς καὶ τῆς αὐτοῖ μεταφράσεως* Schneider t. V p. 155; contra librum *περὶ σημείων ὑδάτων καὶ πνευμάτων* cf. D. L. 5, 45 pariter alienum et ab Aristotele et a Theophrasto censeo, utrique enim in codicibus assignatur, cf. versionem veterem latinam in Achillini Op. septisegm. editam et Schneider t. V p. 163 sq. cf. 173, utroque indignus et propter ipsam compositionis rationem et propter superstitiones quibus nimis indulget, antiquiores ut initio narratur

compilans. cf. Arist. de signis avium ap. Ael. n. h. 7, 7. ceterum et Pseudaristotelicum illud de nominibus ventorum ap. Bekk. p. 973, de quo cf. Ideler Meteor. 1, 308, excerptum dicitur ἐκ τῶν Ἀρ. περὶ σημείων. D. L. 5, 25. Ar. Meteor. 2, 6), Theophrasti libros in hac Problematum collectione fuisse exscriptos evincunt problemata botanica ex Theophrasti libro de causis plantarum sumta, cf. 20, 8 = c. pl. 5, 6, 3. 20, 9 = c. pl. 5, 6, 4. 20, 14 = c. pl. 5, 6, 5—6. 20, 17 cf. hist. pl. 7, 3, 4. c. pl. 4, 4, 5—6. 20, 18 cf. c. pl. 5, 6, 10 etc. Mechanica vero Problemata quae versantur circa libram et vectem aliaque deinde varia (ad vectem autem ceterarum rerum mechanicarum explicationem referendam esse vult omnium p. 848, 13) non esse Aristotelis si negligas compositionem ipsam et quaestionum minutias et confusionem (multis tamen quae bene vereque intellecta exposuit auctor refertarum cf. van Cappelle p. 152 sqq. et 184, ita ut in huius libri laude multi essent antiquiores ut Monantholius cuius cf. Praef. et Comm. p. 211) et ex praefationis sermone circuli ex quo mechanicorum motuum ϑαύματα omnia repetit mirabilia efferentis (847b 17 sqq. cf. Vitruv. 10, 1. 8) et ex eo sequitur (nihili enim sunt quae pro Aristotele auctore verba fecere Henr. Monantholius in Comm. ad Ar. Mech. Paris. 1599 p. 1—2 et van Cappelle in ed. Mech. Amstelodami 1812 Animadverss. p. 127, quem cf. de cod. Paris. p. 125, sermonem Aristotelis et disputandi modum agnoscentes) quod si ipsum audimus nullius omnino scripti mathematici auctorem eum fuisse patet. Licet enim ipse ut omnes Platonis discipuli mathematicorum fuerit peritissimus — hoc enim cuivis persuadent libri physici et metaphysici (cf. e. gr. Meteor. 3, 5 et similia) — tamen ubicunque tangit res mathematicas ad peritos eos qui disciplinis illis operam dant ipsaque harum rerum studia et theoremata lectorem reiicit, vel ibi ubi tangit τὰ φυσικώτερα τῶν μαϑημάτων (Phys. 2, 2) et inter physicam et mathematicam disciplinam intermedia (cf. de astron. Metaph. 11, 8) scilicet optica (Meteor. 3, 2. 372, 31) et harmonica (Polit. 8, 5. 8, 7) et astronomica (de coelo 2, 10. 291, 31. ibid. 2, 14. 297, 2. Meteor. 1, 8. 345b 1), ita ut ipse de talibus libris ne cogitasse quidem intelligatur philosophiae quippe intentus et ipsi rerum naturae non rebus substantia carentibus (Analyt. post. 1, 13. cf. 27. Metaph. 11, 8 et quae licet in ipsa sententia eadem alieni tamen ab illo libro XI auctoris esse sentias Metaph. 12, 3) et solius fere humanae mentis circa quantitatem abstractam eiusque accidentia

necessaria speculantis figmentis. Nec si cogitasset locus fuisset post Physica morte interrupta theoreticarum disciplinarum tertiae. Quapropter spurios fuisse omnes censeo qui Aristotelis secundum indices Andronici et Ptolemaei ferebantur apud veteres libros mathematicos, e quibus commentatores, qui vel ex ipsa sola Aristotelis theoreticae philosophiae divisione (Metaph. 5, 1. cf. auct. lib. 10, 3. 4) de mathematicis eius scriptis persuasi erant (cf. David Prolegg. p. 16b), eos fere solos citant (David in Cat. 25, 34. Simpl. in Cat. f. 3) quos nunc quoque legimus, sc. Mechanica illa et librum *περὶ τῶν ἀτόμων γραμμῶν* (cf. Ptol. Wenr. 143) ab aliis Theophrasto adscriptum (D. L. 5, 42 in ind. Andronici, cf. Themist. et Simplic. de coelo Sch. Br. 510b 11), ad neutrum fortasse pertinens: Aristotelem enim, qui numquam in refutandis singulorum philosophorum sententiis singularibus tanta copia usus est, non ipsum libro peculiari egisse de placito illo Platonicorum (non enim Platonis est, qui ut docet Timaeus p. 53d dogma illud mathematicum non solum ad physicam theoriam numquam sicut fecere Platonici adhibuit sed ex ipsa definitione mathematica semovit, non per se aliquid esse punctum ne definitioni quidem concedens, verum ut ait Aristoteles principium lineae dictitans id quod vocamus — nos sc. disciplui et maxime Xenocrates — *τὰς ἀτόμους γραμμάς* cf. Metaph. 1, 9. 992, 20, de quo loco erravit cum ceteris Bonitz Comm. p. 122), vel ea docent quibus in libris genuinis illud refutavit cf. de coelo 3, 1. de sensu 6. de gen. et corr. 1, 2. 316b 17 et ad quem locum tres illi spectant Phys. 6, 1. Optica his addit David in Cat. 25, 35 cf. Alexand. in Meteor. II, 104 sq. Olympiod. ib. I, 171. Vit. Nunn. p. 24 similisque tituli („de Speculo") librum sub Aristotelis nomine translatum legebant Arabes (Casiri 1, 306. Wenrich 161. 174) et postea Latini (Vincent. Bellov. Spec. hist. 3, 84 „extat enim liber qui dicitur perspectiva Aristotelis" ex quo tamen ipse nihil excerpsit Vinc. in Spec. nat. nec magis Roger Baco Ptolemaei Opticorum bene gnarus. cf. Walther Burley de vita philos. c. 53. Nunnes. ad vit. Arist. p. 129) unde excerpta fragmenta legas apud Bartholomaeum Anglicum (fr. ord. min. sec. XIII) in opere olim celeberrimo aequalisque Vincentii Speculo naturali prorsus simili de proprietatibus rerum ubi de visu agit et oculis et coloribus, ed. Argentor. 1485 l. III c. 7, V c. 6, XIX praef. cf. Joannis (Pecham, † 1294) archiep. Cantuar. Perspectiva communis 1, 44. 46. 2, 33. 51—54. 56 ed. Facius Cardanus s. a. l. (Mediolani) et

Jo. Duns Scoti Quaest. Meteorol. l. III qu. 3—5 ubi de refractione visus agit et reflexione (p. 85. 91 Opp. ed. Wadding Lugd. 1639 t. III) propter locum de iride Aristotelis, in quem eundem commentatus Albertus nonnisi Euclidis Perspectivis usus fuerat (Opp. II, 127). Quae autem de hoc argumento ipse citavit Aristoteles (de anima 2, 7. 496, 2—6) ea non magis spectant librum de opticis, id quod falso voluit Alex. in Meteor. l. c., quam librum de coloribus: optime vero conveniunt Problematicis (ad quae aliam quoque Arist. citationem in Meteor. 4, 3. 381 b 13 iure videtur referre Prantl l. c. p. 364). Neque enim ubi de visu agit philosophus aliquid restare significat neque ad visus naturam ipsam explicandam philosophiamque faciunt quae circa *τὰ οἰκεῖα πάϑη* visus versantur optica theoremata, non magis Aristotelis illa quae dicuntur quam Optica Euclidis (quorum nunc nonnisi epitome exstat recentioris cuiusdam auctoris, id quod ex introductione patet, non patuit autem neque editoribus cf. Gregory in praef. Eucl. ed. Oxon. 1703 neque Opticae historicis cf. Priestley p. 10. Wilde p. 11 sq. modo spurium esse libellum istum modo corruptum clamantibus et interpolatum. rectius Delambre hist. de l'astron. anc. I, 60) vel Ptolemaei (de cuius Opticis cf. Delambre l. c. II, 411—428). Confirmatur autem falso illo Problematum libro fieri potuisse illud quod de quarto Metaphysicorum supra contendi, sc. ut pro vero *περὶ τῶν πολλαχῶς* libro falsus nunc legatur, amplioris hic rerum ambitus at dignitatis longe minoris. Jam vero post Problematica sequatur doctrinarum physicarum prima pars comprehendens libros qui ab Alexandrinis ita inscribebantur: Physicorum octo, de coelo quatuor, de generatione et corruptione duo, quatuor denique Meteorologicorum — arcte cohaerentes, ita tamen ut quod recte dixit Spengel (über das siebente buch der Physik Abh. d. Münchn. Acad. Bd. III p. 308) in tres fere sectiones dividantur (cf. ipsum Arist. Meteor. 1, 1 init.), quorum prima est eorum qui proprie et ab ipso vocantur *περὶ φύσεως* vel *φυσικά* i. e. *τὰ καϑόλου περὶ φύσεως* de principiis et motu (Phys. 8, 8. 257, 34 ubi respicit ad 5, 2—4. cf. 8, 8 fin. de gen. corr. 2, 9. 336, 13) libro octavo terminata, quem tamen utpote intermedium et de motu continuo et aeterno specialiter agentem ab illis aliquatenus videtur separare (cf. 8, 1. 3. 5. 8. 10): transitum enim facit ad ipsam de corporibus physicis doctrinam (de coelo 1, 1. 3, 1) et primum ad corpora coelestia quae cum universo mundo motu illo aeterno moventur

et ipsa aeterna, ita ut et librorum de coelo quodammodo initium sit et simul Physicorum finis (*τέλος ἡμῖν ταύτης τῆς πραγματείας* Phys. 8, 3. 253, 31) neque ipse ullo modo loco movendus neque alio ac libro de coelo primo continuandus. Eiusdem operis partes esse qui sequuntur libros ipse Aristoteles saepius eo quoque significavit quod universalia illa de physicis citat tamquam *τοὺς πρώτους λόγους, τοὺς ἐν ἀρχῇ λόγους* (de Coelo 1, 3. 270, 17. 4, 3. 311, 11. de gen. et corr. 2, 10. 337, 25. ad libros de generatione et corr. secuturos reiicit Phys. 4, 5. 213, 4), simul tamen partem separatam esse eadem Physica indicans solenni illa formula *εἴρηται ἐν ἄλλοις* s. *ἐν ἑτέροις* (de gen. et corr. 2, 10. 337, 18. 2, 1. 329, 27. 1, 3. 316b 17. 317b 13) qua non alios solum libros citare solet sed eiusdem etiam libri partes alias et distinctas. Deinde ut Physica motusque primus et aeternus et circularis excipiuntur descriptione primi corporis coelique et siderum et ipsius denique terrae, ita libri de elementis (de coelo III. IV. de gen. et corr. I. II) et elementorum motu vario contrarioque (de coelo IV) deque generatione et corruptione Meteorologia explicantur descriptis corporum sublunarium effectibus et mutationibus ita quidem ut ab eo quem vocat *τὸν περὶ τὴν γῆν κόσμον* ad res terrestres et natura compositas plantasque et animalia (Meteor. IV) auctor descendat. Horum omnium librorum locus certissimus est nisi quod de uno iam antiquitus dubitatum fuit quarto de coelo, quamvis non magis recte quam de Meteororum quarto. Nam quum argumentum eius libri secundum ipsius verba et prima et extrema esset *περὶ βαρέος καὶ κούφου* commentatores offensi utpote nimium urgentes partium titulos ab Alexandrinis positos inscriptionem huius libri varie conati sunt explicare (cf. Simpl. de coelo init. Sch. Br. p. 468 sq.), sumtam illam primis duobus libris ex ipsius Aristotelis verbis (de coelo 3, 1. 298, 24 cf. 30. cf. 1, 10 fin. et Meteor. 1, 1). Sane non sunt de coelo libri *γ'* et *δ'*, recte tamen sequuntur primos duos atque communi operis de corporibus simplicibus agentis (de coelo 3, 1) Physicorumque partis secundae disputatione (1, 1 sqq. cf. 1, 8 fin.) introducuntur. Etenim de elementis tractaturus auctor primum coelesti illo astrorum elemento a ceteris eoque maxime discrimine facto quod unum et aequabile pondere caret a gravis et levis ratione et contrarietate exemtum tribusque *τῶν σωματικῶν στοιχείων* in mundo locis distinctis, supremo primi elementi de quo primo coelo agit l. *α'* et *β'*

deinde de reliquis duobus (3, 1. 298b 7: *λοιπὸν περὶ τοῖν δυοῖν* cf. 1, 4. 271 b 25. Meteor. 1, 3. 340, 5) elementis elementorumque locis aeris sc. cum igne medio et imo terrae cum aqua — haec enim *σύστοιχα* —, libro tertio ut secundum Alexandrum descriptionem mundi (*περὶ τοῦ κόσμου* Alex. ap. Simpl. p. 468, 11—28, cum quo revera ipse consentit Simplicius p. 469, 33—39. cf. b4—6. inde titulus Arabicus „de coelo et mundo") compleat de mundi sublunaris elementis agit et motu eorum naturali a pondere omni corpori proprio pendente (3, 1—2. cf. 4, 1) numeroque et differentia (3, 3 sqq. *πόσα τε καὶ ποῖα* 338, 22), ita ut quasi primus sit de generatione et corruptione: nam quemadmodum de primo corpore disserenti una de aeternitate sermo coniungitur, ita de corporibus loquenti corruptioni obnoxiis *ἅμα συμβήσεται καὶ περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς διασκέψασθαι* (3, 1. 298b 8. cf. 3, 1—2. 3, 7 sq.). Generatio vero corporumque diversitas quum efficiatur elementorum variis facultatibus, de generatione et corruptione docenti hoc ipso negotio explicantur *αἱ διαφοραὶ σωμάτων αἵ τε κατὰ τὰ πάθη καὶ τὰ ἔργα καὶ τὰς δυνάμεις* (3 extr. 307b 20), sc. libro de coelo quarto et de gen. et corr. I. II (primi igitur tres l. de coelo sunt de ipsis physicis substantiis, reliqui de physicis facultatibus secundum discrimen 3, 1. 298, 29 factum), et primum quidem de ea corporum differentia sane primaria quae non iam ad generationem ipsam spectat (cf. de gen. et corr. 2, 2. 329b 20 *τούτων δὲ βαρὺ μὲν καὶ κοῦφον οὐ ποιητικὰ οὐδὲ παθητικά*), sed quum universalis corporum motus et localis quasi *ζώπυρ᾽ ἄττα* teneant potestates illae (*δυνάμεις* 308, 3) gravis et levis, merito praecedunt reliquas differentias corporum primas quibus nititur generatio. Quo factum est ut universaliores hi libri (de coelo III et IV) de elementorum mundanorum numero differentia et motu (cf. de coelo 4, 6 ubi tacite respicitur ad 3, 8) eos qui de generatione et corruptione proprie inscribuntur praecedentes in priorum librorum titulum abirent latius intellectum a quarto certo alienum. Gravissimum igitur quartum illum et suo loco certissimum (promittitur iam de coelo 1, 3 init. cf. 1, 8. 277b 23) qui ex ipso solo titulo dubitatione ducta non genuinum esse dicerent *ὡς οὐ προσῆκον τοῖς περὶ οὐρανοῦ σκέμμασιν ἀλλ᾽ εἴπερ ἄρα τοῖς περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς* (Simpl. praef. in IV de coelo Sch. Br. 516, 3), ii vix digni sunt qui refutentur. Quam leves in hac re saepe fuerint critici veteres argumenta docent contra

Meteorologicorum auctoritatem allata inepta plane et ex verborum tantum specie petita quae bene refutavit Olympiodor. I, 131 sq. Jam vero omne Physicorum opus absolvitur libro singulari qui tertiae parti i. e. Meteorologicis eodem titulo quartus adnumerabatur: in quo post generationem et corruptionem *τὴν κοινήν* iam agitur de eadem hac quatenus in ipsis corporibus compositis (*ἐν τοῖς φύσει συνεστῶσιν ἤδη* 379 b 11. 379, 6. 378 b 20. 33. cf. 328 b 32. 268, 4) in animalibus sc. et plantis (378b 30. cf. 298, 31) conspicitur, quae quum communi nomine dicatur *γένεσις καὶ σῆψις* pro varia corporum quae elementorum facultatibus mutantibus subiecta sunt natura et mutatione complures diversosque modos capit et nomina varia (etenim *αἱ ἐργασίαι τῶν ποιητικῶν* sunt *πέψις* et *ἀπεψία* 4, 2—3, *πῆξις* et *τῆξις* autem *τῶν παθητικῶν* 4, 4—7. cf. Theophrasti libellum *περὶ πήξεων καὶ τήξεων* D. L. 5, 45), quibus modis quum determinentur *αἱ διαφοραὶ τῶν ὁμοιομερῶν* (4, 8. cf. 10 in.) sicut supra elementorum facultatibus corporum simplicium differentiae, iam ut libri de elementis illustrantur meteorologicis ita hic in fine libelli qualibus corporibus proprietates illae conveniant (9) et quomodo iis differant lapides plantae animalia partiumque *ὁμοιομερῶν* origo (10 sq.) exponitur, ita ut iam satisfecerit auctor promisso dato Meteor. 1, 1. 339, 5: *διελθόντες δὲ περὶ τούτων* (sc. de meteoris) *θεωρήσωμεν εἴ τι δυνάμεθα κατὰ τὸν ὑφηγημένον τρόπον ἀποδοῦναι περὶ ζῴων καὶ φυτῶν καθόλου τε καὶ χωρίς* atque revera nunc sit *τέλος γεγονὸς τῆς ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν προαιρέσεως πάσης* (339, 8). Nam ex ipsis illis verbis elucet non respici ad opera *περὶ ζῴων* varia et diffusa sed ad breviorem quandam (*τί*) et universaliorem (*καθόλου*) disputationem Physicorum partem separatam (*χωρίς*. quapropter 4, 10. 384 b 34 libri tertii caput ultimum citatur his verbis: *ὥσπερ εἴρηται ἐν ἄλλοις*). Attamen praeparari certe zoologica scripta et toto hoc libro manifestum est et epilogo eius quo post universales illas *τῶν ὁμοιομερῶν* differentias ut iam a materia et elementis ad cognitionem eorum quae vocat *τὰ ὅλα ἔργα τῆς φύσεως* et ad naturae causas finales perveniamus, ipsam rerum singularum ex partibus consimilibus constantium naturam necesse esse docet ut exploremus et deinde *τὰ μὴ ὁμοιομερῆ*, ita quae ex iis composita sunt velut hominem plantam iamiam intellecturi. Quibus verbis tenendum est studia quidem operaque zoica sequentia non vero horum dispositionem indicari, id quod putavit Pseudo-

alexander post Meteorologica statim debere sequi sumens *τὰ περὶ τῶν ζώων μορίων* (ad Meteor. II p. 236. cf. Olympiod. II, 168). Sed antequam zoicorum librorum seriem persequar ad Physicos illos octo qui proprie inscribuntur redeat disputatio. Recte enim dixit Porphyrius quatuor esse de motu *καὶ ἰδίᾳ περὶ κινήσεως ἐπιγράφεσθαι* testatus est (ap. Simpl. Sch. 395, 14 sqq.) nec verum est quod Simplicius ex ipsis Aristotelis citationibus quinque Physica (vel *περὶ ἀρχῶν φυσικῶν*, licet revera de principiis non sint nisi primi duo: nituntur enim loco Aristotelis de coelo 1, 6 ubi libri tertii de infinito disputationes appellat ancipiter *τοὺς λόγους τοὺς ἐν τοῖς περὶ τὰς ἀρχὰς εἰρημένους ἡμῖν*) tribus de motu continuari probare conatus est (395,12. 404b 7—38. 435,34) ita potius distingui debere cum prioribus commentatoribus inde ab Andronico omnibus asserens quodque ita fieri solere nec ipse Porphyrius infitiatus est (cf. etiam Alexand. ad 1, 3 p. 18, 32 et ad 12, 1 in.). Aristoteles autem ipse quum Physicorum titulo citet universum illud opus nec quintum solum librum et octavum (Metaph. 11, 8) sed etiam libros de coelo et de generatione primum (Metaph. 1, 8. 7, 1. 10, 6), praecipue tamen nomine illo universali usus est de illis libris omnibus quibus de physicis universe disputatur (cf. locos a Bonitzio cit. Comm. p. 5) quorumque argumentum ita describit Meteor. 1, 1 in. ut sit *περὶ τῶν πρώτων αἰτίων τῆς φύσεως* (I. II. cf. 1, 1. 184, 15) et *περὶ πάσης κινήσεως φυσικῆς* (III—VIII) sive ut ait Phys. 3, 1 de iis quae *πάντων κοινὰ καὶ καθόλου πᾶσι* (200b 22. 24) motu sc. et infinito iisque sine quibus nullus esse motus dicatur (200b 20) loco et vacuo et tempore (III—IV) et deinde *περὶ τῶν ἄλλων κινήσεων* (3,3. 202b 28. i. e. V—VIII). Ipse disputationem quinti libri citans (5, 2—4) his libris contineri dicit *τὰ καθόλου περὶ φύσεως* (8, 5. cf. de gen. et c. 2, 9. 336, 13. de Physicorum quinto memorat Theophrastus in epistola quae eius ferebatur ad Eudemum sec. Simpl. 404b 10 respicientis ad 226b 15); neque enim quod de quinto, non valet de sexto libro arcte coniuncto nec eo certe minus universali nec si in ipso octavo libro praecedentem huius ipsius scripti partem Physica sc. priora citat (*δέδεικται πρότερον ἐν τοῖς φυσικοῖς*) a Physicorum eum titulo distinguit, praesertim quem ipse de coelo 4, 3 cum reliquis inter *τοὺς πρώτους λόγους* referat. Idem tamen sicut alias quoque physicorum librorum disputationes singulares ex proprio argumento appellare solet velut de

an. 2, 1 *περὶ τοῦ ποιεῖν καὶ πάσχειν* (= de gen. corr. 1, 7), *περὶ μίξεως* de sensu 3 (= de gen. corr. 1, 10. cf. 328b 26. 322b 22), *περὶ στοιχείων* de an. 2, 11. de sensu 4 (= de gen. corr. II cf. 328b 31), sicut ex quarto etiam Physicorum (4, 10 sqq.) citat *τὰ περὶ χρόνου* (de coelo 3, 4. 303, 23), ita tres illos qui unius argumenti tenore agunt de motu (l. V—VI quos dicit coniungens *τοὺς πρώτους λόγους τοὺς περὶ κινήσεως* Phys. 8, 8, et cum illis l. VIII) *τὰ περὶ κινήσεως* appellare plerumque maluit, quamquam quum quintus omnino rarissime citetur (Metaph. 7, 1) sextum tantum et octavum revera ita significari invenies (cf. 8, 8. 263, 11 = 6, 2. cf. 6, 9. de coelo 1, 5. 272, 30. 1, 7. 275b 21 = 6, 7. cf. 6, 2. de gen. et corr. 1, 3. 318, 3 = 8. Metaph. 8, 8 = 6, 1. 6. de sensu 6. 445b 20. de coelo 3, 1. 299, 10 = 6, 1). Attamen error ille Simplicii ceterorumque ex traditione satis certa natus est ea tres fuisse Aristotelis libros de motu: tot enim novisse Eudemus a vitae eius scriptore Damaso (Simpl. 404b 35) dicitur, qui quidem quum in ipsius Physicis magistri libros velut idem quoque Ethicos altera quasi editione sive paraphrasi prosecutus septimum Aristotelis librum omisisse et plane ignorasse reperiatur (Simpl. 416b 9), tres de motu manifesto habuit quintum cum sexto (Simpl. 404b 39) et octavum. Et sane librum septimum singularem quendam, id quod Simplicius etiam concedit 416b 17, de motu librum fuisse non quidem ipsius Aristotelis sed Peripatetici cuiusdam in hunc locum propter argumenti titulique similitudinem male interpositum, id ipso illo de Eudemo octavum cum sexto coniungente testimonio satis superque probatur. Cuius rei idem quod in historiae animalium codicibus relictum est vestigium, incertitudo sc. editorum de serie librorum: etenim secundum quosdam (quorum sententia servata est in codicis E. Bekk. inscriptionibus) libri de motu hoc ordine legebantur VII (α′), VI (β′), VIII (γ′); qua re quum qui iure cohaerere viderentur sextus et octavus coniungerentur, male tamen a quinto sextus separatus est a quo totus pendet (6, 1. 231, 22 = 5, 3. 6, 3. 234, 32. 6, 8 = 5, 6. cf. 241, 27. 234, 10. 235b 27 = 5, 1). Quintum autem genuinum esse fidem facit vel auctor libri Metaph. κ′ et eum et tertium exscribens. Inventus tamen ille ordo est ideo quia septimus liber, cuius initium cum priori disputatione nullomodo coniunctum alio statim se convertit sc. ad demonstrandam causam moventem, a sexti quoque argumento alienus est nec unquam sextum attamen ea citat ut priora qualia

libro quinto disputata reperiuntur (7, 3. 247 b 13 = 5, 2. 7, 1. 242 b 7 = 5, 4. cf Simplic. 404 b 45) ita ut subsequi quintum et sextus videretur et septimus. Unde suspicio nascitur alterutrum alienum esse. Quae suspicio non parum augetur textus illa confusione ex duabus quae huius solius Physicorum libri utpote antea separati similiter atque Categoriarum olim ferebantur recensionibus (de quibus cf. Spengel l. c. p. 313—16) mixti verbis tantum ut recte dixit Simplicius et enuntiatorum sententiarumque ordine interdum inverso non vero, ut falso contendit Spengel p. 322 sqq., in ipsis sententiis discrepantibus et ita quidem mixti ut ex altera illa recensione quam Simplicius quidem prorsus reiicit 421 b 45, quum iam huius ipsius tempore (421 b 2 ad text. c. 4. 248 b 6. cf. 421 b 44) et vel Alexandri (ap. Simpl. 421 b 42. praeterea Alexander lectiones sat diversas memoravit quae in neutra legebantur, velut ap. Simpl. 419, 34) singula enuntiata in septimi libri codices quosdam irrepsissent, post Simplicii aetatem eoque temporis intervallo quod inter sextum seculum intercedit et nonum capitula 2 et 3 integra illata legerentur, aliis tamen codicibus aut verum horum capitulorum textum servantibus aut ex utroque miro modo conflantibus. Etenim iam Arabica Physicorum versio e talibus codicibus contaminatis facta est, plane illa cum plurimorum codicum nunc servatorum lectione ab Alexandri et Simplicii textu diversa consentiens (cf. Averrois Opp. T. IV f. 312 g sqq.) eademque et c. 4. 249, 15 codicum omnium lectionem (*ὁ μὲν γὰρ χρόνος ὁ αὐτὸς ἀεὶ ἄτομος τῷ εἴδει* etc.) exhibens (f. 330 g) quam Alexander in solo commentario pro varia lectione commemoraverat ex altera recensione in codices illos ex iudicio Simplicii qui eam in suis non legit exemplaribus translatam (cf. 421 b 44. restituenda igitur huic loco est Simplicii lectio quam ipse in comm. ponit 421 b 34—37). Ceterum ut haec etiam addam lacuna illa in textu verae editionis 244 b 5 ex homoioteleuto *ἀλλοιούμενον* post Simplicium orta — eum enim integrum hunc locum legisse ex ipsius commentario textus perditi verba citante sequitur — ita fere ex Simplicio f. 246 et ex alterius recensionis textu (p. 400, 27—b22. cf. var. lect. ad 422 b 19) resarcienda mihi videtur: *ἐν ἅπασι γὰρ συμβαίνει ἅμα εἶναι τὸ ἔσχατον ἀλλοιοῦν καὶ τὸ πρῶτον ἀλλοιούμενον· ὑπόκειται γὰρ ἡμῖν τὸ τὰ ἀλλοιούμενα κατὰ τὰς παθητικὰς λεγομένας ποιότητας πάσχοντα ἀλλοιοῦσθαι* (Simpl. f. 246 extr.) *ὑπὸ τῶν αἰσθητῶν* (Simpl. f. 246 b v. 8),

αἰσθητὰ δ' ἐστὶν οις διαφέρει σῶμα σώματος (Simpl. ib. v. 8) *οἷον βαρύτης κουφότης σκληρότης μαλακότης ψόφος ἀψοφία λευκότης μελανότης γλυκότης πικρότης ὑγρότης ξηρότης πυκνότης μανότης καὶ τὰ μεταξὺ τούτων* (al. rec. 244b 16—18. cf. Simpl. ib. v. 1 sq. verba sequentia 244b 18 *ὁμοίως* — 20 *ποιότητος* omittit Arabs f. 316a, ex parte codd.), *ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἄλλα τὰ ὑπὸ τὰς αἰσθήσεις· ἅπαν γὰρ σῶμα σώματος διαφέρει τοῖς αἰσθητοῖς ἢ πλείοσιν ἢ ἐλάττοσιν ἢ τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον τοῖς αὐτοῖς* (var. lect. codd. H Ha etc. qui quum utrumque in hoc capite textum misceant in hoc quidem loco verum textum aperte sequuntur. cf. Simpl. v. 10). *ἀλλὰ μὴν καὶ ἀλλοιοῦται τὸ ἀλλοιούμενον* (var. lect. ib.) *ὑπὸ τῶν εἰρημένων· ταῦτα γάρ ἐστι πάθη τῆς ὑποκειμένης ποιότητος* (codd. H Ha etc. cf. Simpl. v. 13. iam sequuntur quae p. 244b 6:)· *ἢ γὰρ θερμαινόμενον* etc. etc. Quod si autem argumentum septimi libri respexeris, quod cum octavi disputatione qua et esse posse ostenditur et necessario esse motum quendam unum et continuum et infinitum eumque esse motum circularem, nullo plane sententiarum vinculo coniungitur nec ullo huius libri loco aliqua mentione respicitur — id quod maxime desideratur 8, 4 sq. ubi simile argumentum et uberius quidem tractatur et licet alia ratione ut Averroes dixit et intentione diversa (Phys. f. 312c) ita tamen ut haec demonstratio nondum antea suscepta fuisse intelligatur, amplior illa quam quae praecedatur ea quae est 7, 1; neque ubi ipse omnem generationem et corruptionem ad *σύγκρισιν* et *διάκρισιν* itaque ad motum localem refert (8, 7. cf. etiam 8, 9) ad 7, 2 respicitur; at sextum et quintum saepe respicit octavus (cf. 262, 1 = 5, 4) — contra si disputationem quae est octavi in sexti fine propositam et omni hoc libro praeparatam videris septimo prorsus interrumpi, hunc non solum plane inutilem esse dices huic loco, sicut ii quos male reprobavit Alexander (Simpl. 416b 8) utque de primo certe capite etiam Themistius (Averr. l. c.), sed importunum. Agunt enim libri tres illi de motu quasi de motu locali qui omnium motuum primus motus omnia genera comprehendit tamquam universalis et sine quo ceteri esse non possunt (8, 7), ita quidem ut postquam in prioribus de ipsa eorum quae ad motum omnem necessaria sunt natura magnitudine sc. loco et tempore dictum est, iam quaeratur quomodo in motu sint illa sive non sint quae circa magnitudinem praedicantur quae movetur et circa tempus quo movetur *τὸ συνεχές*

(nullus enim motus potest esse *συνεχὴς* praeter localem 8, 7. 261, 31. 264b 28. cf. 3, 1. 200b 17. 228, 20) sive *τὸ διαιρετὸν* (*εἰς ἀεὶ διαιρετὰ* cf. 6, 1—2. 4) et *τὸ ἀμερές* (non potest *ἐξ ἀτόμων εἶναί τι συνεχές* 6, 1 neque moveri quod est individuum 6, 10. 240b 8. 31. cf. et 6, 5. 236b 17. 234, 24), *τὸ πεπερασμένον* et *τὸ ἄπειρον* (cf. 6, 10 fin. et 8, 8. *μεταβολὴ δ' οὐκ ἔστιν οὐδεμία ἄπειρος* 241, 26. 6, 2. 7). Nam quum omnis mutatio sit circa contraria (5, 1. 225b 3. cf. 8, 7. 261, 32. 252b 10 et 5, 5) itaque finita finibus quietemque recipiens, est tamen motus qui quum non sit contrariorum unus sit et continuus et infinitus tempore et aeternus in quem octavo libro demonstratum et quinti libri et sexti omnis tendit disputatio. Etenim si necesse est semper esse motum (8, 1 sq.), omnia vero quae moventur (sive perpetuo sive ita ut quando quiescant 8, 3) ab aliquo moventur (8, 4) aut ab alio aut a se ipso — neque enim ab aliquo alio omnia in infinitum (cf. 256, 17. 28) neque eodem motu moveri neque vario possunt ac diverso (256b 30. 257, 25. cf. 241b 14. 259, 15), id quod sequitur ex iis quae de infinito disputata sunt 6, 2. 7 cf. 6, 20 fin. et 237b 25, ex quibus iisdem ducta est demonstratio illa quae est 7, 1. 242, 15 sqq. b20 sqq. (cf. Simplic. ad h. l.) et supervacanea et octavi libri auctori manifesto ignota — debet esse primum quid quod moveat immotum (8, 5 sq. cf. 8, 6. 259b 28 sqq.) idque natura simplex et aeternum et *ἀμερές* quodque aeternum proinde et immutabilem et simplicem motum moveat et infinitum (8, 6 extr. cf. 8, 10), unum illum et continuum quem quum si modo sit qualis esse debeat iam 5, 4 nuntiatum fuerit, nunc et fieri posse ostendit (8, 7 sq. cf. 8, 6. 259, 16) et esse eum motum orbicularem inter locales primum (8, 9) quo *τὸ κύκλῳ σῶμα φερόμενον* de quo deinceps sermo erit in libris de coelo cuiusque orbem aeternum quasi imitatur aeterna illa generationis *ἀνάκαμψις* (de gen. et corr. 2, 10 sq.) circa quam versantur libri de rebus sublunaribus tractantes. Quid vero ad disputationem illam facit id quod auctor septimi libri docet omnem motum moveri ab aliquo ita ut primum quoddam sit *αἴτιον τοῦ κινεῖσθαι*, ea de causa sola quia *οὐκ ἐπ' ἄπειρον πρόεισι τὸ ἀεὶ ὑφ' ἑτέρου* (7, 1)? neque enim illud quum neque *ἀκίνητον* ostendatur neque ad motum aeternum referatur neque omnino amplius exhauriatur cum quaestione libri VI fine proposita ullo modo cohaeret; quid quod de causa motus quae sententia tangitur 7, 1. 242b 24, sc. *τὸ πρῶτον*

κινοῦν ἐστὶν ἅμα τῷ κινουμένῳ, ea deinde 7, 2 accurata et minuta demonstratione et inutiliter repetita de omnibus tribus motus generibus eorumque speciebus secundum ordinem diligentem explicatur? quid denique illae quae post disputationem circa *ἀλλοίωσιν* institutam (7, 3) aeque singularem nullo nec cum prioribus nec inter se nexu adduntur quaestiones (7, 4) de motibus quales sint inter se comparabiles (*κ. συμβληταί*) et postremo (7, 5 cf. van Cappelle ad Arist. Mechan. p. 188—90) quaedam quae ad mechanicam spectant de vi motrice? Quibus de causis (cf. etiam usum alienum categoriae *τοῦ πρός τι πῶς ἔχειν* 246b 4. 247, 2. b 3 et in textus verbis a Simplicio servatis *τὰς παθητικὰς λεγομένας ποιότητας* Peripateticum quendam manifesto prodentes, praeterea *ὑπὲρ* 243, 10) librum septimum e Physicis Aristotelis censeo esse eiiciendum. Quo vero tempore scripta sint Physica — scripta vero esse constat ut post Rhetor. Eth. et Polit. ita aliquot annis post Speusippi Isocratis Philippi mortes (Ol. 110, 2. 110, 3. 111, 1) nec certe ante Ol. 112 — id ipse prodidit Arist. Meteor. 3, 2. 372, 28 (nam e locis Meteor. 3, 1. 1, 7 nihil aliud sumi potest nisi post Ol. 109, 4 scripsisse Aristotelem de qua re nemo dubitat; falsa habet Humboldt Asie centr. II, 169) ubi de iridis lunaris apparitione perquam rara his verbis utitur: *διόπερ ἐν ἔτεσιν ὑπὲρ τὰ πεντήκοντα δὶς ἐνετύχομεν μόνον*, quibus si non se ipsum solum significat (velut loco manifesto de astrorum quibusdam observationibus Meteor. 1, 6. 343b 30 *καὶ αὐτοὶ ἑωράκαμεν — δὶς ἤδη*, cf. ib. v. 11. 15. contra latiori sensu accipiendum est illud *πρὸς τὴν ἡμετέραν αἴσθησιν* Met. 2, 8. 366b 30, licet Heracleam certe Ponticam ipsum vidisse, cf. 367, 1, non minus vel ex hoc loco verisimile sit quam Byzantium, id quod patet ex Met. 3, 2. 372, 15) certe non excludit nec de Graecis omnino illa intelligi debere ut credidit Ideler praef. ad Met. I p. 9, praeterquam quod Aristoteles de iis tantum id affirmare potuit cum quibus ipse vivebat et locutus erat, ex eo sequitur quod nullus esset terminus a quo numerum duceret nisi illud cogitaret temporis spatium quo et ipsius et aequalium vita memoriaque finiretur. Accedit ipsa sententiae auctoritas qua esse talem iridem et videri posse asserit, quum et priores (372, 22) et fere posteriores omnes (cf. Plin. 2, 60. Seneca qu. nat. 1, 3, 1. 1, 10. ceterum mirum est quod quae de iride dicit Aristoteles de corona lunari interpretatus esse Seneca videtur 1, 2, 10 de qua tamen iam antea separatim egerat Arist.)

iniuria id propter raritatem ingentemque maxime observandi difficultatem negaverint. Dicit autem ὑπὲρ τὰ πεντήκοντα quia aliud est vitae aliud memoriae initium, ita ut ex hoc loco si Apollodorum sequaris non modo Ol. 111, 3 iam scripta fuisse (ita Schneider praef. ad hist. anim. I p. 42) Meteorologica efficiatur sed vel aliquot annis post i. e. ab auctore annos nato quinquaginta sex vel octo (circa Ol. 113, 1). Nec obstat illud quod rerum Alexandri novique orbis incerta tunc tantum fama veteres fontes secutus et quas ipse citat tabulas geographicas (350, 14 sqq.) vetera etiam nomina fluviorum montiumque Asiae maximorum posuerit (Meteor. 1, 13) Bactrum Choaspem Araxem ex Parnaso monte cum Indo editos, quos Alexandri milites vocarent Oxum Choaspem (cf. Strabo 3, 268. Curt. 8, 10. Arriano Choes 4, 23, 2 qui etsi parvus tamen ut Phasis deinde citatus propter mercatorum itinera Graecis memorabilis) Jaxartem montemque Paropanisum vel Caucasum (cf. similem locum Arriani 5, 5. Curt. 7, 3). Diversus enim est Aristotelis Araxes ab Araxe Herodoti qui postea Oxus appellatur quemque eundem e Persarum fabulis alio nomine hic dicit Acem (3, 117), Asiae fluminum si Indica exceperis maximus ille ut ait Aristobulus (Arrian. 3, 29. 7, 16. Strabo 2, 427) et celebratissimus de quo mirum profecto esset si nihil Herodotus audivisset, audivisset vero de Jaxarte quem vix attigere Persae. Licet Strabo quoque Jaxartem videatur intellexisse; qui ut fere solet diversorum auctorum seculorumque narrationes simul excerptos exhibere, de Massagetis circa Araxem colentibus et propter Cyri bellum a multis auctoribus celebratis verba ipsa Herodoti tacite exscribens (Strabo 2, 432—33 = Herod. 1. 215—16. 202: inde etiam hoc loco Araxis nomen quo nunquam praeterea nisi de Araxe Armeno Strabo utitur) quae de Araxis ille ostiis accolisque auditu accepta tradidit de Armeno Graecis notiori interpretatus (cf. tamen 1, 204), nec in hac re solum sed in iis etiam quae de Scytharum seculo septimo Araxem transgressorum irruptione narravit (4, 11. 40), ea in orientales Caspii maris quo ut cetera omnia revera pertinent recte transfert alioque deinde loco (2, 464) in Herodoti errorem, qui postea etiam non Callisthenem solum (Strabo l. c.) sed Eudoxum (nam quae ille de fluvio quodam in Hyrcanium mare catarracta delato retulit sec. Strab. 2, 428, iis similia de Araxe Armeno habet Mela 3, 5 eademque de Oxo Polyb. 10, 45. p. 863 Gronov.) videtur tenuisse, merito invectus est. Aristoteli autem Araxes sine dubio est Jaxartes

quum Bactrus sit Oxus (cf. Arrian. 7, 16: ἐκ Βάκτρων μὲν Ὦξος ποταμός), appellatus nomine illius (Plin. 6, 18. Curt. 7, 4) inter fluvios ex quibus primum nascitur augeturque Oxus, qui et propter urbis famam cuius moenia praeteriit dignissimus esset et mercatoribus per Oxum in Caspium mare navigantibus (cf. Strabo 2, 427 sec. Patroclem et Plin. 6, 19) utilissimus ita ut postea etiam apud Arabes non raro nomen traheret Oxus ab urbe Balkh (Jaubert Nouv. Journ. Asiat. t. XII p. 495). Accedit quod licet quae primum Alexandri milites nuntiabant distinguenda sint ab iis quae quum rerum gestarum commentarios ederent Theophrasti demum aetate lectos (cf. Th. h. pl. 4, 7, 3. 4, 4. 9. c. pl. 2, 5, 5 etc.) coniectura postea doctiores adderent, Jaxartem tamen quod nomen ab accolis primi acceperant Macedones (Aristobul. ap. Arr. 3, 30), errore iam recepto non adulatione cuius inconsideratius saepe Alexandri comites Strabo arguit (2, 427. 424 etc.) pro Tanai habuisse eos indicio illud est quod idem iam dixit Aristoteles de Araxe in Maeotidem delato per Tanaim (350, 24 cf. eandem Hecataei opinionem apud Scymnum v. 869 ed. Meineke), ita ut licet ab oceano separatum Caspium illud mare sive Hyrcanium λίμνην esse sciret non θάλασσαν (Meteor. 1, 13. 351, 8. 2, 1. 354, 3) cum Maeotide tamen coniunctum putaret. Neque Aristobulum Ptolemaeum ceterosque regis comites de Caspio oceani borealis sinu cogitasse (nam quae de Heraclidis in Caspio mari navigatione consilioque Alexandri mittentis explicat Arrian. 7, 16, ea ex ipsius opinione, cf. 5, 5. 26, ab Alexandrinis accepta loquitur illisque supponit ficta) ex eo sequitur quod etiam paullo postea Polycletus mare hoc λίμνην esse contendit dulcis aquae ita tamen ut Tanais ramo quodam in Maeotidem meante cum Ponto coniunctum sit (Strabo 2, 427 sq. cf. Polyb. l. c. Polycletum refutare studuit Eratosthenes Strab. l. c.): quam omnium Macedonum opinionem fuisse Strabo asserit ab eo quoque probatam qui in epistolis sub Alexandri regis nomine editis (quas saepius citat Plinius cf. 6, 21 etc.) haustum Caspii maris dulcem esse prodidit (Plin. 6, 19). Contra sensit Patrocles Seleuci et Antiochi regum classis praefectus fieri posse autumans ut ex Indico mari in Caspium eiusdem oceani partem circumvecti perveniant (Strabo 2, 442. 1, 118), quam navigationem ab eo revera institutam esse inepte scripsit Plinius (6, 21). Ceterum ex his omnibus auctorum veterum testimoniis illud sequitur gravissimum, eundem plane illa aetate fuisse Oxi

amnis cursum qui fuit medio aevo (Humboldt Asie Centrale II, 226—45), eum scil. ut flumine diviso partim in lacum Chorasmium ferretur (huius enim littus meridionale eos intellexisse manifestum est quos sequitur Herodotus paludes dicens insulis repletas, quas ubi Herodotei loci sententiam Strabo exposuit τὴν πρὸς ἄρκτοις θάλασσαν interpretatus est) partim in Caspium mare et duobus quidem ostiis uno eo cuius locum accurate descripsit Abulghazi (Jaubert l. c. p. 491 sq.) altero quod quum inferiorem Jaxartis cursum Graeci ignorarent ipsi ostium Jaxartis esse credebant distans illud a meridionali Oxi ostio secundum Patroclis testimonium octoginta parasangarum (Strabo 2, 441 sq.) sive stadium 2400 (ita Eratosthenis triginta stadium sicut Herodotus 5, 53 cf. 2, 6. 6, 42, sumentis parasangam — erant enim et alii quadraginta vel sexaginta stadium Str. 2, 442 — ex Patrocle ductus calculus ap. Strab. 2, 423 et Plin. 6, 15) intervallo. Jam igitur patet Aristoteleae aetatis de Caspio mari et Tanai opinionem retinuisse etiam et confirmasse Alexandri comites nec nisi a doctis geographis Alexandrinis profectam esse celebrem illam de oceani terram velut insulam circumdantis quatuor partibus sententiam antiquissimam Graecorum theoriam et ab Herodoto acriter impugnatam (1, 121. 123. 4, 8. 4, 36—45) renovantibus, de qua non cogitabant ipsi quibus sine fine India patebat rerum ab Alexandro gestarum scriptores narrantes quae viderant, de terrae orbi universo minime speculati. Nec alia causa est cur Diodorus etiam utqui Alexandri milites sequatur consentiat Aristoteli, contra omnes qui geographica tradentes Alexandrinis geographis uterentur Eratosthenis placitum receperint. Ex hac igitur re de Aristotelis Meteorologicis ante Alexandri iter Asiaticum compositis nihil sequitur.

Attamen si non usus est Aristoteles comitum Alexandri libris post mortem demum et Aristotelis et Alexandri a senioribus editis, quin de nonnullis rebus militum aliorumque ex Asia redeuntium narrationes audivisse eum credamus certe non impedit illud quod nusquam belli Persici sicut nec ipsius nisi uno loco Alexandri (quem semel tantum Theophrastus etiam nominat h. pl. 4, 4) mentionem fecerit neque eorum omnino quae ad res ab aequalibus gestas spectant ad philosophiam nihil pertinentia. Cuivis enim de fontibus quaerenti historiae animalium quae uberrimo naturae experimento nixa pro primo quasi est zootomiae comparatae compendio Graecique ingenii pulcerrimis ex monumentis, plurima cuiusvis

generis animalia ipsum vidisse Aristotelem et secuisse patet (cf. de gen an. 4, 1. 764, 34) eaque maxime quae in singulis animalium classibus nunc primum positis definitisque tamquam exempla et typos identidem nominat, velut inter ea quae vocat *τὰ ἔναιμα ζωοτόκα* praeter domestica ea quoque quae in ipsa Europa rariora essent ut leones ursos pardos lynces ferasque alias quas circa Pindum et Thraciae Pangaeum novit Xenophon (Cyneg. 11, 1. *παρδάλεις* tamen Asiae concedit Ar. 606b 16. est autem inter illas et bonasus Paeonum vel urus h. an. 8, 45 cf. Humboldt Asie centrale 2, 211 et Wiegmann Observ. zool. crit. p. 16 sqq.) et Asiae Libyaeque externa multa velut hyaenas chamaeleontes camelos (inde a Xerxe Graecis bene notos cf. Herod. 7, 83. 86 sq. 125, de Indicis idem 3, 103) elephantos etc. quos ipsum dissectos comparasse non minus quam homines de qua re alio loco dicam patriaque animalia verba eius diserta videntur docere, licet sane in quibusdam quae pro suis dat aliis tamen fidem habere potuerit (cf. e. gr. de leone 507b 16. 22. *τὰ ἐντὸς ἀνοιχθεὶς* 497b 17. 594b 27. obstat tamen illud *οἷόν περ πλάττουσι* 499b 25 confirmans Wiegmanni sententiam in Observat. zoolog. crit. ad Ar. hist. an. Lips. 1826 p. 4 e loco hist. an. 497b 16, ubi de cervicis osse spondylis carente, demonstratam venatorum potius de leone narrationes vulgares audivisse Aristotelem i. e. ut consentaneum est descriptiones animalium rariorum quae sive viventia sive a venatoribus dissecta aut semel aut obiter viderit alio modo postea memoria deficiente eum complevisse — de urso 507b 20 — de lupo 507b 17. cf. ibidem *ὁ θώς* et *πάρδαλις* p. a. 3, 2. 667, 21 — de hyaena 6, 32 — de bonaso 506b 30 — de chamaeleonte 2, 11. 503b 11. 14—27. cf. b23 *ἀνατετμημένος* — de simiarum speciebus variis 2, 8. cf. 502b 26 *τὰ ἐντὸς διαιρεθέντα* — de elephanto 507b 34 — 508, 2. cf. Galen. 2, 572 et Ar. 506b 1—3, Mnesitheum ap. Gal. 2, 569 — praeterea de crocodilo 506, 20. 508 5 etc. etc. cf. etiam p. a. 3, 4. 666b 18 multasque alias feras vidisse certe eum descriptiones accuratae persuadent, velut camelos 2, 1. cf. 677, 35 etc.). Neque enim plurimorum animalium quorum notitiam Aristoteles tradidit ipsum explorasse naturam faciemque sumenti obstat illud quod quorundam descriptionem verbis tantum in recentiorem sermonem mutatis ex aliis scriptoribus tacite transtulisse deprehenditur sed ibi tantum ubi eorum quae ipsi viderant auctores externam faciem recte descripsisse putaret: ita ex Herodoto de hippopotamo

2, 7 = Her. 2, 71 (quam bestiam non vidit Ar., diversi enim generis animalia commiscet Herodotum secutus memoria forte lapsum, cf. Cuvier Révolutions du globe ed. III Paris 1825 p. 71. Aristotelem exscripsit Plin. 8, 39 licet Romae hippopotamum ludis ostendisse Scaurum ipse tradat 8, 40 nec vituperandus: philologus enim fuit non physicus), ex eodem de crocodilo (2, 10 et 5, 33 = Her. 2, 68) quem vidisse eum verisimile est (cf. etiam 498, 13), de ibibus (9, 27. cf. Her. 2, 76. cf. praeterea 606, 6. Her. 4, 192. 605, 21. 606 b 4. Her. 4, 129. 490, 11. Her. 3, 107—9. de avi cinnamomo 9, 13. 616, 6 cf. Her. 3, 111), ita denique in tota Europa non nisi inter Nessum amnem et Acheloum reperiri leones (i. e. circa Pindum et Pangaeum ut Xenophon l. c. sive a Nesto usque ad Olympum ut Pausanias 6, 5 ex antiquiore quodam scriptore de Polydamantis pancratiastae non de suo tempore narrans. Polybii certe aetate nulla iam leonum in Europa memoria, cf. lib. XII p. 910 Gron., olim multo magis frequentium ut epicorum poetarum usus familiaris docet) Herodoti verbis (7, 126. cf. 125) statuit 6, 31 cf. 8, 28. Sicut autem de Libycis belluis Herodoto utitur ita de Indicis maxime Ctesia (velut de asinis Indicis canibusque 2, 1. cf. 663, 19. 8, 28. cf. 746, 34, de quibus Ctesias quoque egit cf. fr. 79. ap. Phot. § 5. 25 etc. cf. Herod. 7, 86), Herodoro praeterea aliisque, numquam tamen nisi uno tantum loco de arachniis 623, 31 Democrito quo maiore iure ficta itinerum huius Asiaticorum fama refutatur; caute tamen utitur itaque ut et errores eorum saepe corrigat (id quod de Ctesia et vel de Indicis rebus ut 606, 8 notissimum est. quod ad Herodotum cf. de serpentibus cornigeris Her. 2, 74 cum Arist. 500, 3, de lingua crocodili Her. 2, 68 cum Ar. p. a. 2, 17. 660 b 15—34. cf. 691 b 20. 516, 24. itaque aliorum saepe nominibus omissis sententias refutat velut de camelis 499, 20, de elephantis 498, 8 cf. 709, 9 ubi Ctesiam tangere videtur sicut de semine elephanti 523, 26. 736, 2. cf. Aelian. h. a. 17, 29) et nova plerumque addat quae aut ipse expertus sit aut ex hominum viventium et diuturno animalium usu expertorum narrationibus diligentissime percontando acceperit. Pro uberrimo enim fonte eorum maxime quae de vita et generatione moribusque animalium tradidit fuerunt ei qui saepissime citantur *νομεῖς* sive *ποιμένες* et *κυνηγοί* (et quidem de hyaenis etiam 6, 32 et de pardis 9, 6, cf. de ursis 6, 30. 8, 17. de bonasis 9, 45. de leonibus 9, 44 etc.) et *ἁλιεῖς* (cf. 532 b 20 *οἱ ἐμπειρικοὶ ἁλιεῖς*) aliique rei rusticae periti, *οἱ*

ἔμπειροι (οἱ περὶ ταῦτα πραγματευόμενοι 595, 21. οἱ μελιττουργοί 9, 40—43 etc.), quorum observationem praeclara saepe laude dignam licet interdum etiam fabulosam (non raro enim et horum et priorum scriptorum de multis animalibus et populares fabulas, τὰ μυθολογούμενα 578b 24, cf. 579b 2. 580, 14. 585, 14. b22. 597b 1. 609b 10. 619, 19. 756b 5 etc. sicut mythica Musaei Herodori Herodoti et animalia Ctesiae fabulosa tangit refutatque, ita ut Peripatetici cuiusdam liber ὑπὲρ τῶν μυθολογουμένων ζώων D. L. 5, 25 haec dedita opera exsequentis sicut Strato etiam fecit D. L. 5, 59, ipsi postea Aristoteli facile tribueretur) spectat frequens illud ὦπται (ἤδη ὦπται, οὔπω ὦπται, καὶ τοῦϑ' ἑώραται, ὦπται γὰρ ἱκανῶς ἤδη, καὶ τοῦτο ὦπται ἤδη ὑπό τινων φανερῶς 504b 26, οὐδέν πω συνῶπται μέχρι γε τοῦ νῦν ἀλλ' ἢ ὅτι λέγεται μόνον 580, 20, καὶ τούτου αὐτόπται γεγένηνταί τινες 620b 23. cf. 618, 18 etc.). Et hos quidem non uno, sed multis locis eum adiisse (cf. οἱ ἐν Τορώνῃ 548b 15, de piscatoribus Byzantinis 598b 14 etc.) et in Graecia et in Macedonia et Thracia diu commoratum regionumque circa Hellespontum et Propontidem et Pontum bene gnarum (ita Byzantium visisse eum e l. 8, 13 certissime constat, cf. 6, 17. 571, 17. 612b 8 et fortasse etiam Amisum profectum non iniuste credas cf. 5, 22. 6, 13), hoc maiore tibi iure ex historiarum libris sumas quam quae veteres qua occasione fieri potuerit ut tot animalia externa feraque Aristoteles cognoverit descripseritque explicaturi ex iisdem libris effecerunt, propter ipsam partim bestiarum Asiaticarum notitiam partim propter adhibitam piscatorum omniumque omnino narrationem quibus ut ait Plinius vivaria armenta alvearia piscinae aviaria in cura erant, modo itinera eius cum Alexandro Asiatica commenti modo ipsius regis auxilia sive per Graecam Asiamque totam talium rerum peritos omnes Aristoteli percontanti parere iubentis (Plin. 8, 17) sive largo pecuniae dono octingentorum sc. talentorum scientiam magistri promoventis (Athen. 9, 398, quod ad Philippum ineptius etiam retulit Aelian. var. h. 4, 19): quae quidem plane patet ei qui Arist. opus legerit doctorum hominum figmenta esse immensi operis amplitudinem admiratorum, quum praesertim eadem prorsus recentiorum coniectura hortus ille Theophrasti natus sit. Verisimile quidem est ut postea Romanorum tempore (cf. Plin. 8, 20. 24. 25. 28. 34. 40. 54. de aviariis 10, 72 etc.) ita et Graecorum republica florente peregrina animalia saepe in Graeciam spectandi mirandique gratia

a mercatoribus esse delata quodque de avibus multis constat (cf. etiam C. F. Hermann Griech. altertümer III, 68) velut de phasianis pavonibus (6, 9. οἱ τρέφοντες 564b 3. cf. Athen. 9, 397) psittacis (Ar. 597b 27. in pompa Ptolemaei Philadelphi a Kallixeno Rhodio descripta psittaci quoque cum meleagridibus phasianis aliis ἐν ἀγγείοις ferebantur Athen. 5, 201. 9, 387. cf. Plin. 10, 58), quod porro constat de canibus Indicis (Xen. Cyneg. 9, 1. 10, 1. cf. Kallix. ap. Athen. 5, 201. Herod. 1, 192), idem de aliis quoque bestiis statuendum esse nec de simiarum solum variis speciebus et antiloparum — e quibus tamen orycem quem sicut asinum Indicum dicit monocerotem (nostris est Antilope leucoryx) non vidisse eum patet cf. 499b 19. 663, 24 — ferisque Europaeis regionumque Europae propinquarum velut leonibus ursis (cf. de Mysiae ursis albis mirab. 144 deque Mysiae feris in universum Xenoph. Cyn. 11, 1) sed vel de chamaeleonte camelo aliis, praesertim quum qui apud Asiae gentes propter venatus delectationem magni aestimatam vigebat paradisorum mos eum Graeci quoque reges tyrannique imitati esse videantur. Nam quum in Persarum imperio et ipsius regis et in singulis provinciis satraparum (Xen. Cyrop. 8, 6, 12) cultos fuisse constet paradisos palatio adiunctos (cf. Brisson de regio Persar. principatu ed. alt. 1595 p. 52—54. 110) arboribusque et plantis peregrinis et bestiis (velut leonibus regio venatu iam apud Assyrios destinatis, cf. de paradiso prope Maracandam sito Curt. 8, 1) refertos (Xen. Oecon. 4, 13 sq. Cyrop. 1, 4, 11. Curt. 8, 1), quorum exempla in Asia minore post Lydos (Strabo 3, 92) habes Cyri Sardianum (Xen. Oec. 4, 20) eumque qui eiusdem Cyri Celaenis erat Phrygiae urbe ἀγρίων θηρίων πλήρης (Xen. Anab. 1, 2, 7) eosque quos cum regia Pharnabazi in Phrygia Hellesponti tenebat Dascylium ubi Agesilaus hiemavit Ol. $96^2/_3$ (Xen. Hellen. 4, 1, 15) — quos eosdem ipsum Aristotelem visisse verisimile est contendentem (hist. an. 6, 36) novem hemionos Syriacos (cf. 491, 2. 577, 23 i. e. Cappadoces sec. Theophrastum ap. Plin. 8, 69. Arist. mirab. 69) in Phrygiam asportasse Pharnacem Pharnabazi patrem: εἰσὶ δὲ νῦν μὲν τρεῖς, τὸ παλαιὸν δ' ἐννέα ἦσαν ὥς φασίν 580b 8 — Graecos quoque hunc morem recepisse docent praeter Harpali hortos Babylone claros (Theophrast. h. pl. 4, 4, 2. cf. de Bagoae hortis ib. 2, 6, 7, unde Plin. 13, 9) et Ptolemaeorum horti iuxta regiam Alexandrinam (Athen. 14, 654. 9, 387) et iam ante Alexandri eiusque successorum regna Dionysii senioris paradisus

Rheginus (Theophr. h. pl. 1, 5, 6). Adde quod ipse Aristoteles pharmacopolarum certe morem tangit eum ut viventes servarent serpentes et araneas (φαλάγγια) 8, 4. 594, 23 ἔστι δὲ τοῦτο θεωρῆσαι ἐκ τῶν παρὰ τοῖς φαρμακοπώλαις τρεφομένων (cf. 9, 39. 622b 34). Quapropter ubi de Asiae orientalis animalibus Aristoteles mentionem iniicit utrum ex fontibus hauserit Persico bello antiquioribus sive libris (nulla enim eorum quae post Herodotum de India alii velut Eudoxus scripserint memoria servata est. Dino quoque Aristotelis aequalis in Persicis naturalia habuit multa cf. fr. 2, 12—16 Müll.) sive mercatorum et peregrinatorum traditione sive ex paradisorum visu, an ex ipsis de quibus parum traditum est Alexandri comitum narrationibus nunc fere discerni non potest. Nam quod Plinius quae de murium fetu muribusque Persicis ex Arist. h. an. 6, 37 exscripsit (10, 85) sub auctore se dicere prodit Aristotele et Alexandri Magni militibus, id fabulae coniecturaeque supra memoratae deberi facile intelligitur. Certe si nonnulla, tamen non multa eum a Macedonibus accepisse ex eo quoque verisimile est quod ne ipsi libri quidem etiam doctiorum postea editi ipsis rebus intenti mores hominum et tractuum quos peragraverant plantas et animalia nisi raro obiterque tangerent eaque fere sola quae maxime absona viderentur, velut olei fontem (i. e. naphthae) circa Oxum amnem arboresque interdum novas (Plin. 12, 13. 12, 10 sqq. cf. de Nili piscibus Aristobulum Strab. 3, 476 etc. Megasth. fr. ed. Schwanbeck p. 10 sq.) quodque Indiae adeo mirabilia fama antiqua celebrata diligentiorem postea demum scriptorem sortita sunt Megasthenem. Omnino enim si verum est Alexandri expeditionem Graecorum scientiam valde auxisse, id ipso magis invito factum est quam quod falso praedicant (Humboldt Cosmos II, 192) auctore. Bactrios quidem camelos iam Assyriorum aetate occidentalem spectasse Asiam et tenuisse monumenta ipsa docent (Layard Niniveh II, 433. cf. elephantum ibid. 434 descriptum et I p. 346). Nec magis certo pronuntiaveris de reliquis animalibus quorum notitiam Macedonibus deberi voluit Cuvier (hist. des sciences naturelles. Paris 1831. T. I p. 154. cf. Humboldt Cosmos II, 191 sq. 427 sq.), de pardio vel secundum aliam lectionem hippardio (quod solo vocis sono commotus Cuvier l. c. temere putavit esse idem animal quod nunc appellatur Felis iubata, ipsis paucis Aristotelis verbis plane repugnantibus inter κερατοφόρα καὶ δίχαλα iubatum illud referentis 499, 1. cf. 499b 31, neque tamen verisimilior est

aliorum opinio camelopardalim intelligentium) deque hippelapho („Antilope picta" Indiae boreali propria quam voluisse Aristotelem plane demonstravit Wiegmann Observ. zool. crit. p. 21—30) et bubus agrestibus i. e. Indicis (qui nobis büffel, cf. Cuvier Révol. p. 73. Wiegmann p. 31) quae duo animalia in Arachosia degentia breviter describit Arist. 2, 1. 498b 31 sqq. At revera a Macedonibus quaedam accepta posuisse Aristotelem et quod inde sequitur ultimis demum vitae annis et historiam animalium et zoica omnia composuisse, praeter ea quae accurata et certa priorum erroribus passim opponit, manifesto iis demonstratur quae de elephantis vitaque eorum et moribus multis locis praeclare exposuit (cf. Cuvier hist. d. sc. n. 1, 153 et Révol. du globe 69: l'histoire de ce quadrupède est plus exacte dans Aristote que dans Buffon) itaque exposuit ut quum ex hominibus indoctioribus et elephantorum ducibus minime ea discere potuerit quae physico tantum curae sunt, ipsum vidisse elephantos nihil dubium sit (cf. 500b 6—14. 498, 8. 497b 22. 507b 34). Nam ex eo profecto quod non commemoravit *ἀναπνοὰς* illas iuxta tempora elephanti sitas a Megasthene ubi de coitus tempore agit propter hanc ipsam rem liquoremque mares odore allicientem notatas (fr. 36, 12. 37, 12. cf. 37, 4 Schwan.), non peti posse contrariae opinionis argumentum (id quod voluit Humboldt Cosmos 2, 428, cf. Schlegel Ind. Bibl. 1, 165) ex ipso animalium historiae consilio et ratione intelligitur non in singulorum animalium descriptionem nedum accuratam intento sed in membrorum potius singulorum quibus et genera animalium praecipua et singula animalia aut conveniant aut differant comparationem, ita ut non nisi ubi occasionem sumere libuisset maximeque in morum libris quorundam pleniores descriptiones intersererentur velut bonasi (9, 45. cf. mirab. 1) chamaeleontis (2, 11) simiarum (2, 8) cameli (2, 1) hyaenae (8, 5) cf. 9, 14. 9, 21 etc. et de struthionibus p. a. 4, 14. Indicos autem elephantos vidisse Aristotelem, non Libycos quos Onesicritus iam illis comparavit ut infirmiores (Strabo 3, 281) docent ea quae de dentium apud mares feminasque diversitate tradit (501b 32) Indicis propria. Quae autem de vita et moribus accurate prodidit Aristoteles ita congrua sunt iis quae ex Alexandri comitibus apposuit Strabo paucis quidem verbis ex Onesicrito et Nearcho levius ut solent in talibus et negligentius narrantibus excerptis (3, 281) Megasthenem potissimum, quem nemo credet aut Aristotelem aut una cum Aristotele Ctesiam (cf. Schwan-

beck Meg. p. 75. 8) exscripsisse, secutus; ex qua re patet Aristotelem in his testes eosdem audisse recentes et Macedones. Ita de elephantorum venatu eadem breviter tangit Aristoteles (610, 24—33. cf. 15 sqq.) quae uberius dedita opera narrat Megasthenes fr. 36. 37 (ex quo eadem et apud Strabonem 3, 279 sqq. et in Arriani Indicis 13 sq.); eadem uterque contra priorum sententiam de coitu elephantorum Meg. fr. 1, 54 = Ar. 500b 6, de vere coitus tempore fr. 36, 12 = Ar. 546b 9; sedecim menses vel octodecim in utero gestare Meg. fr. 36, 13. 37, 13. 1, 55, octodecim menses etiam Arist. ait vel secundum quosdam annos duo 578, 19 (ubi pro τρί' ἔτη corrigas δύο, cf. 777b 15. 546b 11); τίκτει δ' ἓν Ar. 546b 11 = Meg. fr. 37, 13. 1, 55; de morbis eorumque remediis accuratius Ar. 8, 26 (cf. 604, 12 φασίν) consentiente tamen Megasthene et de remedio ex carnibus suillis assisque parti infirmae impositis (Ar. 605b 1. Meg. fr. 36, 15. 37, 15. cf. fr. 38) et de olei potu (Ar. 605b 2—4 ὥς φασί) sive butyri (Meg. fr. ibid.) quo tela corpori inhaerentia decidant; praeterea de proboscidis (de qua p. a. 2, 16) vigore (δένδρα ἀνασπᾶν Onesicrit. Str. 3, 281. Ar. 497b 29); ceterum aetatem qua primum elephantus ὀχεύει καὶ ὀχεύεται quum Aristoteles dicat esse πρὸ τῶν εἴκοσιν ἐτῶν (ita enim 578, 17 e codd. P Da legendum est, non πρῶτον), altero loco patet 546b 8—9 (codd. PDa) pro πέντε ἐτῶν scribendum esse δέκα πέντε (ιε') i. e. quindecim vel sedecim, vel contra Plinium qui eundem iam errorem in textu Aristotelis reperisse videtur (8, 15). Onesicritus autem qui elephantum contendit κυΐσκεσθαι δεκαετίαν (Str. 3, 281. cf. Plin. 8, 10) eodem prorsus modo in hac re numerum augere videtur quo vitae terminos. Nam quum Megasthenes vitam eos perducere referat usque ad ducentos annos (fr. 36, 14. 37, 14. 1, 56) atque Aristoteles eundem ponat numerum secundum alios ad trecentos vivere eos addens, contra Onesicritus qui res praesertim Indicas in maius augere solet stupore magis quam mala fide itaque ut vel ab ipsius socii Aristobuli narratione in multis distet, consentit quidem illis qui trecentos annos crederent, adiicit tamen σπάνιον δὲ καὶ ἕως πενταχοσίων (cf. de Indi amnis velut Nili hippopotamis Onesicr. Str. 3, 257. 283, contra Aristobulus ibid.; de serpentum fabulosa magnitudine 3, 269. cf. Her. 4, 191, contra Aristob. 3, 282 Ctesiam sine dubio respiciens quem talia narrasse nec omnia certe fabulosa ex Arist. 606b 9 concludas idem de Libyae serpentibus tradente exemplumque addente

de boves solidos haurientibus 606b 10 sqq. quod postea de boa constrictore confirmavit Megasth. fr. 16. qui error ut similes aliorum multi ex ancipite illo Aethiopiae nominis usu prodiit de quo Schwanbeck Meg. p. 1—5, cf. apud ipsum Arist. 606, 6 et 8 ubi idem fere et ex Herodoto de Libya et de India ex Ctesia habet; de serpentibus Aethiopiae alatis Arist. 490, 11. cf. Meg. fr. 12. 14; idem quae de aspide Libyca, de qua cf. 612, 16 et mir. 142, et de eo quod ex ea praeparatur *σηπτικόν* ex Ctesia narrare videtur Arist. 607, 21, spectavit is qui Aristoteli tradidit ea quae paullo post commemorat 607, 32—34, sc. Macedo quidam: idem enim postea Megasth. fr. 12, Strabo 3, 277; de gruibus et Pygmaeis Ar. 597, 4. Meg. fr. 29. 30). Quod ad equicervos, comparandi videntur Megasthenis *ἵπποι μονοκέρωτες ἐλαφόκρανοι* Str. 3, 289 (cf. de mulierum Aegyptiarum fecunditate Arist. 584b 7. Onesicr. Str. 3, 264). Jam vero Macedones militesque Alexandri sequi se auctores, id ubi de potu elephantorum loquitur disertis verbis ipse prodidit. Ait enim ita 8, 9: *ὁ δ' ἐλέφας ἐσθίει πλεῖστον μὲν μεδίμνους Μακεδονικοὺς ἐννέα ἐπὶ μιᾶς ἐδωδῆς· ἐπικίνδυνον δὲ τὸ τοσοῦτον πλῆθος· τὸ δ' ἐπίπαν ἓξ μεδίμνους ἢ ἑπτά, ἀλφίτων δὲ πέντε μεδίμνους καὶ οἴνου πέντε μάρεις (ἔστι δ' ὁ μάρις ἓξ κοτύλαι)· ἤδη δέ τις ἔπιεν ἐλέφας μετρητὰς ὕδατος Μακεδονικοὺς εἰσάπαξ δέκα καὶ τέτταρας καὶ πάλιν τῆς δείλης ἄλλους ὀκτώ.* Neque enim causa ulla cogitari potest cur qui ceterum in historia animalium Atticis sexcenties mensium mensurarumque vocabulis utatur, hic Macedonicam posuerit mensuram, nisi ea quod a Macedonibus numeros istos revera acceperit neque addidisset his barbarum mensurae vocabulum *μάρις* (barbarum esse ipse explicatione apposita significat) nisi apud barbaros Macedones recepissent. Est enim *μάρις* mensurae modus Persicus humidorumque ita fere praecipuus ut solidorum *ἀρτάβη* (de qua Herod. 1, 192. Polyaen. 4, 3, 32), nomine ut videtur cuivis mensurae communi (cf. radic. mâ sanscr. mâtra) in certum quoddam genus ab ipsis quidem Persis, non solum Macedonibus narratoribus coacto. Persicum esse elucet ex scriptore quodam Aristoteli subaequali rerum Alexandri anonymo et satis rhetore quem exscripsit Polyaenus (4, 3, 32); is enim ubi recenset quomodo Alexander *ἐν τοῖς Περσῶν βασιλείοις ἀνέγνω τὸ βασιλέως ἄριστον καὶ δεῖπνον ἐν κίονι χαλκῷ γεγραμμένον* (de eadem re non Ctesias solum accuratissime sed Dino quoque et Heraclides Cumanus Ari-

stotelis aequales in Persicis egerant iam ante bellum Persicum Athen. 2, 67. 4, 145. Ctes. fr. 66. Dino fr. 12—15. 19. Ephippi Olynthii fr. 2. Heraclid. fr. 2) singularum rerum quae in mensam regis collata consumebantur mensuras ponens praeter talenta et minas, artabas et quae vocantur *καπέτιες* (cf. *καπίθη* Xen. Anab. 1, 5, 6 et inde Pollux 4, 168) nominat marim (*ὁ μάρις* Arist. *ἡ μάρις* Polyaen.): et sane nunc quoque in lingua neopersica servatur idem „mensurae numerive" vocabulum „mar". Addit ille *μάρις ἐστὶ δέκα χόες Ἀττικοί*: unde quum et apud Polyaenum et apud Aristotelem maiores mensurae propter reliquas necessario cogitentur sex illas Aristotelis cotylas sequitur non esse Atticas sed potius, sicut *μέδιμνοι* qui adhibentur et *μετρηταί*, Macedonicas a Macedonibus narratas longe maiores et ei potius mensurae quae Atticis dicitur *χοῦς* comparabiles, ita ut si sex Maced. cotylis decem choes Attici aequentur — neque enim causa est cur eiusdem aetatis scriptorum testimonia illa ita aequari posse neges — iam diserto Aristotelis testimonio de mensuris quoque Macedonicis comprobetur illud quod de nummis Boeckh defendit (Metrolog. untersuch. p. 89 sq.) sc. Aegineticas eas fuisse et duabus tertiis partibus Atticis maiores (5, 3. cf. Boeckh p. 77 sqq. 275 sq. idem in Monatsber. d. Berlin. acad. 1854 p. 92). Praeter Anonymum illum et Aristotelem maris Persicus nusquam commemoratur neque grammaticos quidem eum nisi ex Aristotelis illo loco solo (quem citavit Aelian. n. h. 17, 7) novisse docet Pollux 10, 184 (cf. 4, 168) Aristotelis verba repetens, item Hesychius in Lex. s. v. Graeci autem elephantos (de quibus quod ad vini potum cf. Megasth. fr. 36 et 37, 15. 38) *πρὶν ἢ διαβῆναι Μακεδόνας ἐπὶ τὴν Ἀσίαν οὐδὲ ἑωράκεισαν* (Pausan. 1, 12, 4) neque Persae in bellis gerendis elephantorum opera utebantur nisi in ultimo solo proelio Arbelensi, in quo cum Indorum occidentalium auxiliis quindecim elephantos secum habuit Darius quos cepit victor Alexander (Arrian. 3, 8, 6. 11, 6. 15, 6) numquam antea Macedonibus visos (cf. de Macedonum in Indico bello terrore ab elephantorum nova acie orto Arr. 5, 10, 2. Curt. 8, 14). Arbelenses elephantos postea in Alexandri exercitu non commemoratos in Europam esse asportatos cum Indis ducibus (cf. Phylarch. ap. Athen. 13, 606 *ἡ τοῦ Ινδοῦ γυνή* i. e. rectoris elephanti etc.) et ab Aristotele visos coniectura admodum verisimili credidit Schlegel (Ind. Bibl. 1, 160. 163). Jam vero quum elephantos a Macedonibus bello captos vidisse Aristotelem, Macedones

de iis narrantes audisse certa demonstratione constet, simul constat historiam animalium post Olymp. 112, 2 esse compositam aut aliquot annis post pugnam Arbelensem aut quod verisimile est post reditum veteranorum et peracta Indica bella c. Ol. 113, 3—4 (nec ante Ol. 113, 2 propter Meteorologica). Libros autem de partibus et generatione animalium ipso mortis anno absolvit Ol. 114, 3, reliquos huius operis quin adderet morte prohibitus, psychologicos denique medio inter ambos tempore scripsit Ol. 114, 1—2. Quid vero? Si scripsit animalium historiam Aristoteles cur non politiarum etiam historiam et rhetorum et poetarum physicorumque et quae cetera ei historica tribuuntur idem scripserit? At longe alia res est: nam praeterquam quod in zoologicis historica ab ipso ubique auctore citantur, numquam vero ubi eadem occasio esset cetera illa, plane alia huius libri ratio est certo et praeclaro ordine et consilio in dividendis et comparandis animalium partiumque generibus proprietatibusque communibus procedentis atque ipsa hac materiae zoologicae, quae quasi quoddam inventarium naturae animalis quo praeparetur causarum investigatio proponitur, institutione philosophum prodentis et finem scriptoris philosophicum. Constat autem universa historia animalium duabus vel tribus partibus, quarum prima ab homine incipiens agit de partibus animalium (l. 1—4), cui coniungitur quam ipse promittit 1, 5. 489b 17 (*ἐν τοῖς περὶ γενέσεως δι' ἀκριβείας ὕστερον ἐροῦμεν*) recte septimo libro extremo in natorum primo statu subsistentem (7, 12. cf. 7, 10) ut fere fit in ceteris animalibus, de generatione secunda (l. 5—7) finem ordine inverso faciens in homine, postrema autem (l. 8—9) et separato titulo ab Athenaeo citata *περὶ ζώων ἠθῶν καὶ βίων* (Athen. 7, 307 = Arist. 9, 2. 610b 14—17. cf. Athen. 7, 282 *περὶ ζώων ἠθῶν* = Ar. 9, 37. 620b 33—35. cf. Ar. 1, 1. 488b 27 et ubi alia pars eiusdem libri designatur 9, 29. 618. 8, verbis *εἴρηται ἐν ἑτέροις* respicientibus ad locum de cuculo 6, 7) in qua de victu etiam et morbis. Quibus partibus simul eorum librorum quibus postea zoologica philosophice tractantur in universum quidem ordo significatur, librorum sc. de partibus animalium et generatione, quos sequi debebant libri de victu et morbis; quos omnes ut universam physicam scientiam continuantes (liber de incessu anim. citatur de coelo 2, 2. 284b 13; libri de anima Phys. 8, 2. 253, 21. cf. 259b 8; liber de sensu Meteor. 1, 3. 341, 14. Meteor. 3, 2. 372b 9. cf. 374, 10. b15 etc.) ita post historiam animalium scriptos esse sexcentis

constat citationibus. Neque tamen ex eo quod de sensibus (4, 8) de voce (4, 9) de somno (4, 10) de sexu (4, 11) adiungit quaedam libris de partibus (cf. 5, 1 in.) ut plena esset historia, concludi debet Aristotelem ita etiam psychologicos quamvis ad zoologicos libros proxime pertineant (ut ipse ait de p. a. 1, 1. de an. 1, 1) immiscuisse physiologicis; id quod ipso libri de anima prooemio defenditur. Nam doctrina de anima (*ἡ τῆς ψυχῆς ἱστορία* 402, 3) quae est *οἷον ἀρχὴ τῶν ζώων*, utpote maioris dignitatis et amplitudinis a reliqua zoologia peculiari opere recte separata suoque et longo prooemio novum opus ut in Eth. Metaphys. etc. significante et priorum sententiarum diligente enarratione ornata, ita ut ineptum foret hanc introductionem quasi alteram ponere post primam quae contineatur libro de part. an. primo, arctissimo praesertim et optimo viculo libro de part. secundo cum primo coniuncto (quare de ipsius sententia p. 159 sq. ipse Spengel dubitavit Reihenfolge etc. p. 163 sq.) — ea omnes praecedit libros physiologicos, id quod ipse disertis verbis Aristoteles confirmat de gener. 5, 1. 779b 22 (*ὥσπερ ἐλέχθη πρότερον ἐν τοῖς περὶ τὰς αἰσθήσεις καὶ τούτων ἔτι πρότερον ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς διωρισμένοις* cf. de part. an. 2, 10. 656, 29. 2, 1. 647, 26. de gen. an. 5, 7. 788b 1), praeceditur autem ipsa historia animalium (quae etiam *φυσικὴ ἱστορία* dicitur 650, 32 ut *ζωϊκὴ ἱστορία* 668b 30 sive simpliciter *αἱ ἱστορίαι*) seorsum scripta, a Titze autem plane inepte inter primum de part. an. et secundum interpolata, sicut docent verba libri de vita et morte c. 3. 468b 31: *ἡ δὲ καρδία ὅτι ἐστὶν ἀρχὴ τῶν φλεβῶν ἐν τοῖς περὶ τὰ μέρη τῶν ζώων εἴρηται πρότερον* etc.: ubi quae dicuntur *τὰ περὶ τὰ μέρη τῶν ζώων* non sunt libri de partibus animalium sed qui item de partibus agunt historici (cf. h. a. 3, 3. 3, 19. cf. 740, 23) et citantur etiam de resp. 12. 16. Eodem semper fere titulo historia animalium ab Athenaeo (in septimo potissimum de piscibus libro) citatur (*ἐν τῷ περὶ ζώων μορίων*, et quidem plerumque *ἐν πέμπτῳ ζώων μορίων* cf. e. gr. Athen. 7, 286 = Ar. hist. an. 5, 5. 540b 17—19. Athen. 7, 303 = 5, 10. 543b 12 sq. Athen. 7, 304 = 5, 10. 543, 22—24 etc. etc. raro eadem simpliciter *περὶ ζώων* cf. 7, 286 = 2, 13. 505, 3—7 etc.), diversa ab alio quodam de animalibus et praecipue de piscibus libro historico et breviori Aristoteli tributo (cf. Apollon. mirabil. 27: *δύο γάρ εἰσιν αὐτοῦ πραγματεῖαι ἡ μὲν περὶ ζώων ἡ δὲ περὶ τῶν ζωϊκῶν*) cuius idem iisdem saepe locis Athenaeus praeter Apollonium duo

fragmenta ferentem mirab. 27 et 28 et Schol. Odyss. 16, 2 verba posuit inscripti *περὶ ζωϊκῶν* (interdum etiam legitur *περὶ ζώων*, cf. Athen. 7, 305 etc.) sive *περὶ ζωϊκῶν ἢ περὶ ἰχθύων* (Athen. 7, 318. 319. 320), *περὶ ζώων ἢ περὶ ἰχθύων* (Athen. 7, 305), *περὶ ζώων καὶ ἰχθύων* (Athen. 7, 328), *ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ ζωϊκῷ ἢ περὶ ἰχθύων* (Athen. 7, 286 cf. 328 *ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ ζωϊκῷ*) et a Peripatetico quodam post Aristotelem compositi. Libris autem de anima tribus coniunctos esse ceteros qui de anima agentes variis apud veteres titulis inscribebantur, inter omnes constat comprobaturque mutuis horum librorum citationibus (cf. de anima 1, 1. 2, 1. 3, 9 etc. Trendelenburg comm. ad Ar. de an. p. 117. 120. Prantl de libror. ad hist. an. pertin. ord. p. 38): sunt enim psychologicae doctrinae pro altera revera parte (cf. de an. 2, 8. 420b 21 *τὸ δ' αἴτιον ἐν ἑτέροις εἰρήσεται* i. e. in libro de respiratione. cf. de somno 1. 454, 12 *διωρισμένων δὲ πρότερον ἐν ἑτέροις περὶ τῶν λεγομένων ὡς μορίων τῆς ψυχῆς* i. e. in l. de anima, cf. 456, 2. 467b 13 etc.), id quod ipse dicit Ar. libri de sensu initio: *Ἐπεὶ δὲ περὶ ψυχῆς καθ' αὑτὴν διώρισται καὶ περὶ τῶν δυνάμεων ἑκάστης κατὰ μόριον αὐτῆς ἐχόμενόν ἐστι ποιήσασθαι τὴν ἐπίσκεψιν* etc. — et v. 5. *τὰ μὲν οὖν εἰρημένα περὶ ψυχῆς ὑποκείσθω, περὶ δὲ τῶν λοιπῶν λέγωμεν* etc. quae reliqua quum ipse hoc loco recenseat neque libellus quidem ille de longitudine ac brevitudine vitae a ceteris, ut cum Michaele Ephesio una cum sequenti tractatu de vita et morte post libros de gen. an. eum reiiciente (cf. Ephes. de gen. an. f. 102, idem de long. et brev. f. 157. de vita et morte f. 160 b et 175 b) multi voluerunt recte negantibus Spengelio et Prantlio, separari possit in duos libros rectius digeruntur, quorum alter continet quae ad sensum animamque sensilem pertinent quaestiones de sensu et memoria et somno deque insomniis et divinatione per somnum, alter eas quae ad *ψυχὴν θρεπτικὴν* animalium spectant (sunt enim omnes aut *μετ' αἰσθήσεως* aut *δι' αἰσθήσεως* cf. Alexand. de sensu f. 93 b—94 a) *περὶ ζωῆς καὶ θανάτου καὶ τῶν συγγενῶν ταύτης τῆς σκέψεως* (de resp. 21. 480b 21), inter quae de respiratione disputatio suo saepius nomine citatur sicut aliorum librorum partes; licet et haec plane eadem sit (cf. 467b 11) cum universa quaestione de vita et morte nec minus quaestio de iuventute et senectute (cf. 467b 7. 10. cf. de resp. 18) quae numquam neque suo titulo extitit neque nunc

perdita est, ut falso putavit Spengel p. 166: de his enim omnibus instituta de respiratione disputatione ipsa dirimitur. Est igitur Parvorum naturalium quae vocantur primus liber *περὶ αἰσθήσεως καὶ ὕπνου*, quo nomine ab ipso Aristotele comprehenditur de part. an. 2, 7. 653b 19 ubi de causa somni memorans librumque qui postea dicitur de somno respiciens (non enim recte ex hoc loco effecit Trendelenburg l. c. p. 119 de somno egisse Aristotelem etiam in libro de sensu nunc mutilo) ait ita: *περὶ ὧν εἴρηται καθ' αὑτὰ ἔν τε τοῖς περὶ αἰσθήσεως καὶ περὶ ὕπνου διωρισμένοις;* licet posteriores quidem editores itemque Arabes librum de sensu in duos dividant (cf. codd. ilc Bekk. p. 436 et codd. QYGa cfl et margines imM Bekk. ad 442b 26 ubi incipit secundus i. e. c. 5—7) iisque adiiciant librum separatum *περὶ μνήμης καὶ ὕπνου,* quo titulo quum a veteribus saepe citetur (cf. Alexander in Topic. p. 296b 1 Br. ex quo Suidas s. *μνήμη*, Alexand. de sensu f. 125b, Ephes. de mem. et somno f. 127, id. de motu an. f. 149 ubi sic: *εἰκότως μετὰ τὸ περὶ μνήμης* — i. e. *τὸ π. μν. κ. ὕπνου* — *τέτακται τὸ περὶ ζώων κινήσεως* etc. et cod. mY apud Bekk. p. 449) iam patet cur quae de somno 2. 455, 7 dixit Aristoteles ea ex libro eius *περὶ μνήμης* citare potuerit Gellius 7, 7 (de quo errat Stahr Arist. bei den Römern p. 137). Secundus autem liber est *περὶ ζωῆς καὶ θανάτου,* ad quem pertinet etiam quod praemittitur caput singulare *περὶ μακροβιότητος καὶ βραχυβιότητος* quoque quum de morbo in hoc libro minime tractatum fuisse supra iam dictum sit concluditur omnis *ἡ περὶ τῶν ζώων μέθοδος* (de long. vit. extr. cf. de sensu init. Alex. de sensu f. 93b sq. et Spengel p. 158). Tota igitur nobis animae historia qualem cogitavit scripsitque Aristoteles servata est universam illa, praeter mentis doctrinam quae metaphysica est non zoologica, psychologiam physicaeque philosophiae partem primariam complexa. Neque enim recte contendit Trendelenburg (ad Ar. de an. p. 118) partem quandam libri de sensu esse perditam, huius rei cuius nullum in ipso libro vestigium extat inde coniecturam petens quod de gen. an. 5, 7 de voce sonoque disputatum esse dicat auctor et in libro de anima et in libro de sensu. Idem tamen in l. de sensu 4 in. de hac re iterum explicare recusans, quamquam c. 3 in. (439, 7. 11. 14. 16) de omnibus sensibilibus qualia sint dicendum esse voluerat, ad disputationem libri de anima solam (2, 8) remittit, quo quidem loco de variis soni differentiis (420, 26)

non nisi obiter egit nec minus breviter de saporis (422 b 6—14) etiam et odoris (421, 26—b 3) tactorum differentia disputationi de elementis omnino relicta (423 b 29) nec in l. de sensu hac eadem de causa renovata. Nam ut sonis omissis statim transit ad sapores et odores nec nisi comparandi causa in hoc quoque libro auditus passim (cf. c. 1. 3. 6. 7) meminit, eodem modo tactus quoque et tactorum negligitur differentia licet iisdem c. 3 in. verbis eodem modo promissa. Et sane patet illis verbis magis sensibilia de quorum differentia dicendum sit omnia recenseri quam de singulis promitti. Neque enim in libro de sensu explicari potuisse sonorum et vocis animalis differentias ex ipsa illa disputatione l. de gen. an. 5, 7 sequitur qua diserte nihil aliud quam universalia illa praetermissa esse significat ipsamque vocis et soni definitionem (cf. 786 b 23 *τίνος μὲν οὖν ἕνεκα φωνὴν ἔχει τὰ ζῷα καὶ τί ἐστι φωνὴ καὶ ὅλως ὁ ψόφος, τὰ μὲν ἐν τοῖς περὶ αἰσθήσεως εἴρηται τὰ δ' ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς*); hoc enim l. de generatione loco de singulis potius dicit in voce animali differentiis atque ipsa haec sunt nunquam antea tractata *ὅσα μὴ πρότερον ἐν τοῖς περὶ αἰσθήσεως διώρισται καὶ ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς* (788 b 1). De vocis enim natura ipsa locutus est et uberius in l. de an. 2, 8 (cf. 420 b 5 sqq. = 786 b 23) et passim in l. de sensu (cf. 439 b 31. *εἴδη φθόγγων* 445 b 22. 446, 20. 447, 19. 448, 9. 19 et omnino quae de sensibus una omnibus c. 6. 7 demonstrantur), sonorum musicorum et symphoniarum doctrinam tangens quam quum nunquam de musicis rebus egerit Aristotelis, consulto non minus in l. de sensu omisit quam physiologicam de voce quaestionem reservavit libris zoologicis. Liber vero sive potius libri fragmentum *περὶ ἀκουστῶν* (= *περὶ φωνῆς* ind. Anon. Menag. cf. Porphyr. ad Ptol. harm. p. 246 in. *ἐπὶ — φωνῆς τὴν διδασκαλίαν ποιησάμενος*) quod ut paullo antea Theophrasti de musica auctoris clari excerptum (p. 241—44) ita Aristotelis hoc ad rem musicam pertinens servavit Porphyrius in comm. ad Ptolemaei harmonica (apud Wallis Opp. math. T. III p. 246—54, cf. p. 231: *ταῦτα εἴρηκεν ὁ Ἀριστ. ἐν τῷ περὶ ἀκουστῶν· οὗ καὶ πᾶν τὸ σύγγραμμα ἀναγκαιότατον ὑπάρχον παρὰ τὰ ἐνεστηκότα παραθήσομεν.* p. 246 *φέρε καὶ τὰ τούτου συντέμνοντες διὰ τὸ μῆκος ἔνια παρατιθώμεθα ἵνα καὶ ταύτην πεπληρωκότες ὦμεν τὴν ἐπαγγελίαν· περὶ δὴ τῶν κατὰ τὰς φωνὰς διαφορῶν ποιούμενος λόγον ἐν τῷ περὶ ἀκουστῶν φησί· „Τὰς δὲ φωνὰς ἁπάσας*

συμβαίνει γίγνεσθαι" etc. = Bekk. 800, 1) quodque ipsum excidisse in libro de sensu olim putavit Trendelenburg l. c. (cf. Prantl p. 39), adeo tota ratione ac methodo ipsaque explicationis didascalicae amplitudine et certo ordine ab alia ad aliam differentiam describendam disputationis procedentis aequabilitate, qua si non ab auctore categoriarum et physiognomici ab Aristotelis certe brevitate separatur singula comparando miscente in eum finem ut quae subest singulis ratio emergat, diversus est non solum a libro de sensu sed ab ipso etiam Aristotele ut negare illud non dubites. Est enim disputatio omnis physiologica non psychologica, qua quomodo singulares vocis animalis differentiae in corpore gignantur exponit auctor ita quidem ut ordine omnes exhibere studens eademque semper verborum formula usus primum recenseat quales voces efficiant *τῶν ἀγγείων αἱ διαφοραί* sc. arteriae (asperae) et pulmonis (801, 19. cf. 800, 31. b16. 19. 801, 6), deinde omnes vocis modos studio quodam historico accurate et describat et exemplis ex sonorum aliorum et instrumentorum maxime musicorum qualia sunt *αὐλοὶ* et *κέρατα*, comparatione (cf. max. 802, 8—b29) sumtis illustret (*δῆλον δὲ, φανερὸν δ' ἐστὶ καὶ ἐπὶ τῶν ὀργάνων* etc. cf. 802, 31. 37. 803, 27. 37. b15. 23 etc.): ita enim 801b 1 *ἀσαφεῖς* (ita enim pro falso Bekkeri *σαφεῖς* scribendum cf. 801b 21) *δὲ μάλιστα αἱ φωναὶ γίγνονται* — 801b 22 *λαμπραὶ δὲ γίνονται* — 801b 40 *αἱ μὲν οὖν λαμπραὶ τῶν φωνῶν γίγνονται διὰ τὰς εἰρημένας αἰτίας* (cf. eandem phrasem 801b 21) — 802b 29 *σκληραὶ δ' εἰσὶ τῶν φωνῶν ὅσαι* — cf. 803b 2 *τραχύνεσθαι δὲ συμβαίνει τὰς φωνὰς ὅταν* — 803b 18 *λεπταὶ δ' εἰσὶ τῶν φωνῶν ὅταν* — 804, 8 *παχεῖαι δ' εἰσὶ τῶν φωνῶν ὅταν* — 804, 21 *λιγυραὶ δ' εἰσὶ τῶν φωνῶν ὅταν* — 804, 32 *σαθραὶ δ' εἰσὶ τῶν φωνῶν ὅσαι* — 804b 8 *δασεῖαι δ' εἰσὶ τῶν φωνῶν ὅσαις* — 804b 10 *ψιλαὶ δ' εἰσὶ* — 804b 11 *ἀπεῤῥωγυῖαι* — et b26 *τῶν δ' ἰσχνοφώνων* etc. (quod ad sermonis aequabilitatem cf. etiam 803, 9 et 804b 21) eademque ille et minuta ubertate qua in Physiognomicis (cf. An. Men. ind. *φυσ. β'*) *ἡ ἐκλογὴ τῶν σημείων* ratione item historica non philosophica et ab eodem fortasse auctore instituitur, sermone ut plurimum arido et eadem semper verba in describendo adhibente (cf. e. gr. formulam illam *ἀναφέρεται ἐπὶ* et praecipue locum 813b 7—11. 11—20 etc. etc.). Etenim licet saepe Aristoteles rem physiognomicam tangat (cf. Analyt. pr. 2, 27 fin., hist.

an. 1, 8—11, passim in l. de partibus et generatione animalium, cf. max. 769b 20 ubi prioris „cuiusdam physiognomici", cf. Physiogn. 805, 18 sqq.) non tamen de ea arte separatim egit ipse, id quod praecipue ex hist. an. intelligitur (cf. etiam de fronte iudicia hist. an. 491b 12 et phys. 811b 28 quae diversos auctores satis probant) nec nisi locos illos dispersos dignos quos respiciat Galenus censuit ubi in talibus rebus maximeque in libro priorum sententias recensente qui inscribitur *ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ταῖς τῶν σωμάτων κράσεσιν ἕπεται* Aristotelem auctorem citat (4, 795 cf. 795—97) nec alia usurpasse Posidonius etiam videtur (ap. Galen. 5, 464. cf. 4, 794) nec denique Origenes (contra Celsum 1, 33 p. 68 ed. Lommatzsch) inter physiognomicos clarissimos, inter quos refert Zopyrum Loxum Polemonem, nominat Aristotelem a cuius libro pseudepigrapho satisque illo ut videtur ignoto ne Polemonis quidem liber pendet (quamvis hoc et Franz in notis ad Script. physiogn. vett. Altenburg. 1780 p. 282 asserat et Fülleborn in historia physiognomicae, v. Beiträge zur gesch. d. philos. St. VIII. Züllich. 1797. p. 96. cf. de Adam. p. 98) et in dispositione et in sententia satis diversus liberque. Adamantius autem qui in prooemio de studiis suis locutus ex Aristotele aliisque physiognomicam se artem collegisse fatetur, id tantum praestitit quod ipse ibidem ita nuntiat: *παραφράσαι τὰ Πολέμωνος εἱλόμην.* Aristotelis vero librum praeter Stobaeum soli tangere videntur Pollux (2, 135 *βυσαυχὴν ὃν ἐπίβουλον Ἀρ. φυσιογνωμονεῖ,* cf. Arist. 811, 17) et Galenus (4, 797), obiter tamen hic nec locos inde magis quam ex libro de spiritu ascribere dignatus. Neque librum illum legit Averroes (id quod miro errore voluit Franz praef. p. 7 sq.) neque alius quisquam inter Arabes, licet apud Hadschi Kh. 5, 129 ex Graecis sc. indicibus e Ptolemaei libro notis (cf. apud eundem 5, 75 de Ar. libro de sensu „Vidi tamen inquam eum totum et in Ptolemaei scripto liber legitur") recenseatur „liber Aristotelis de physiognomia". Albertus Magnus autem qui in primo de animalibus Aristotelis cuius sententias excerpsit (cf. p. 21. 25. 38) imitatus exemplum multus est in singulorum membrorum physiognomiis separatim exponendis variosque harum rerum auctores citat, neque peculiarem illum Aristotelis librum cognovit neque quem nunc habemus Polemonem neque Adamantium. Citat enim ille librorum fragmentis appositis artis physiognomicae auctores claros, praeter Arabicos Razem et Avicennam et cuius non nisi

nomen commemorat Constantinum Africanum (p. 20. 29. 38), Aristotelem et Philemonem quem dicit antiquissimum (p. 35) et qui hunc postea secuti sint Palemonem „declamatorem" et Loxum (p. 20. 26), praeterea Platonem et Pythagoram. Quorum quidem Aristoteles ille cuius citat „physiognomiam quam Alexandro scribit" (p. 66. cf. 67. 71. 72. 77. 78. quae tamen ex eodem citat p. 36 et altero p. 77 loco incerta sunt) est auctor Secreti Secretorum cuius pars extrema in codicibus saepe omissa (velut in cod. Berol. alterius theol. lat. 37 oct. editione abbreviata), saepissime vero separatim scripta peculiaris instar de physiognomia tractatus Aristotelis (id quod vel bibliothecarum docent catalogi), ita inscribitur in cod. Berol. (f. 35b): „De cognicione qualitatum hominum per signa spiritualia quae dicitur phisonomia Aristotelis" (f. 35b—36b cf. „Physionomia" in ed. Bonon. f. 17b—18b ubi „explicit Phys. Ar. ad Alex."). Quam quod quasi prooemium — cuius sicut epilogi non sententias solum sed ipsa verba imitatus est Michael Scotus in „Physionomiae" (Colon. 1508) quam ad Fridericum II imp. scripsit parte tertia falsi Aristotelis vestigiis omnino insistente — praecedit caput „de intellectu et agnicione rerum et hominum" fabulam illam continet de Hippocrate sapiente et Philomene (scribitur Philomon in cod. at in casu obl. Philomeni) summo doctore et magistro phisonomiae pulcerrimum illud de usu artis physiognomicae iudicium (cf. Albert. p. 20) ferentem, quae ut celebratissima fuit apud Arabes Latinosque omnes ita antiquissima. Idem enim iam antiquitus narrabatur de Socrate et Zopyro (Cic. Tusc. 4, 37. de fato 5. cuius non meminit Jourdain p. 343—46. cf. etiam Alexand. Aphrod. de fato c. 6 p. 18 ed. Orell. qua haec fabula nititur de Socrate sententia, ea Theophrasti iam fuit cf. apud Pseudar. Probl. 30, 1. 953, 10. 27. b32 et Polemon. p. 301. videtur autem Cicero ex Socratici cuiusdam dialogo hausisse, ut coniicio ex verbis quibus de fato 5 usus est his „addidit etiam mulierosum, in quo Alcibiades dicitur cachinnum sustulisse"), in quorum nomina postea suppositos legimus Hippocratem et Philemonem, et Hippocratem quidem qui Arabibus est Bocrat, ipsorum Arabum et forte Joannis translatoris errore aperto, pro Zopyro autem iam ipse Graeci auctoris textus exhibuisse intelligitur Polemonem quem Philemonem in versionibus Latini scribunt. Quod non ante quintum p. Chr. seculum factum esse ostendit Joannes Cassianus monachus († 444, cf. Fabric. B. Gr. 8, 452 sq. H., Bibl. med. et inf. lat. 1, 355 ed. Mansi) qui in

collatione Chaeremonis (Collat. patrum 13, 5 ed. Basil. 1485) de philosophorum imaginaria (quippe voluptatem ut repriınente ita concedente) castitate locutus narrationem illam eodem fere quam Pseudaristoteles tenore ita retulit: „Denique famosissimus ille ipsorum Socrates hoc ut ipsi celebrant de se non erubuit profiteri. Nam cum intuens eum quidam physiognomon dixisset omma pederastu, hoc est oculi corruptoris puerorum, et irruentes in eum discipuli ulcisci illatum magistro vellent convicium, indignationem eorum hac dicitur compressisse sententia ——— id est quiescite o sodales, etenim sum sed contineo (me)". „Quidam" ille igitur postea appellatus est Polemo. Jam vero sicut in fabula hac incerta sunt veterum quorundam physiognomicorum nomina, ita libri quoque qui secundum Origenem apud Graecos ferebantur Zopyri et Polemonis veterum illorum nominibus arreptis suppositi videntur ab auctoribus Platonicis, cf. Polemonis praefationem et quae Neoplatonicum plane auctorem produnt Loxi illa apud Albert. p. 20 de animae in sanguine sede et spiritibus „qui vehicula sunt virtutum eius", ψυχῆς ὀχήματα. Loxi istius qui praeterea citatur apud Alb. p. 22. 26. 27. 34. 35. 36. 67. 71. 76. 77, plerumque cum Philemone aut cum Palemone coniungitur sententia (cf. in codice quodam Marburgensi tract. phisionomiae cuius auctor ex tribus auctoritatibus Loxi medici Aristotelis philosophi Polemonis declamatoris sua se elegisse praefatus est sec. C. F. Hermannum in Catalog. codd. lat. Marburg. 1838 p. 7). Atque haec quidem nomina eadem revera esse patet, licet diversos auctores manifesto voluerit Albertus (p. 20. 26) modo hunc modo illum citans (Philemonem p. 26. 34. 35. 71, Palemonem p. 22. 26. 27. 36. 38. 66. 76. 77. utriusque et Loxi de prudenti signorum usu ex prooemio ut videtur librorum sententiam ponit p. 26. cf. extr. verba Secreti Arist.) ita ut duos certe libros legisse intelligatur, nequidquam illos ut fragmenta ostendunt plane dissona ad Graecum quem legimus Polemonem pertinentes. Quorum unus fuit is qui ex Graeco versus apud Arabes ferebatur de physiognomia Philemonis (ar. Falimûn) cuiusque nunc quoque extat textus Arabicus (cf. Wenrich p. 296. Dschem. ap. Hadschi Kh. 4, 589. Abulfaradsch. hist. dynast. p. 56 Poc. qui de Philemone Hippocratis aequali postquam Dschemaleddinum secutus sicut Hadschi Kh. 4, 589 sq. fabulam illam narravit ita ait „Est illi hoc in genere liber cuius exemplar apud nos lingua Syriaca extat"); a quo nescio an diversus fuerit is quem cum Razis

tractatu physiognomico ex Pseudaristotele pendente commemoravit Hadschi Kh. 4, 388 his verbis: „Calîmûn (ita pro Falîmûn falso legitur litteris Fâ et Kâf vitio in nominibus propriis frequentissimo commutatis. procul ergo Clemens ille quem finxit Flügel!) quoque librum de arte physiognomica scripsit qui de feminis solis agit", id quod neque de Philemone neque de Palemone verum esse reperitur. Similiter tamen de signis femineis tantum actum fuisse in libro qui Pythagorae dicitur Alberto ex fragmentis (p. 38. 76) conspicitur. At quoquomodo statuis de Philemone - Palemone illo eodem simul et diverso, id quidem certum est quae inde Albertus apposuit in Polemonem Graecum minime quadrare, contra cum Polemone hoc consentire ea quae Platoni tribuit Albertus vel etiam „Platonicis" qui ut ait p. 36 „omnia quae bestiarum sunt pro similitudine quadam hominibus attribuerunt" (cf. qui hos ipsos oppugnat Pseudaristot. in Physiogn. c. 1. ex Loxo et Philemone uno tantum loco tale quid citat Albert. p. 34) morum signa ad animalium species partesque comparatas referentes: cf. Plato ap. Albert. p. 34 de naribus = Polemo p. 241 ed. Franz (cf. etiam Arist. Phys. 811, 32), Plato p. 35 de labiis = Polemo p. 258 (cf. Ar. 811, 18—21), Plato p. 35 sq. de ore = Polemo p. 250 sq. (ubi pro *κριῶν* et pro Adamantii p. 398 *κυνῶν* ex Alberto corrigas *κητῶν*; item Polemonis *παντόμωρον* et Adamantii *πάνυ βορόν* ex Alberti „voracem" intelligas esse *παντοβόρον*. ceterum quod ad maledicorum os caninum cf. Arist. 811, 26), Plato p. 38 de mento = Pol. p. 257, Plato p. 38 de voce = Pol. p. 253, 255—56. Sunt tamen quaedam quae nunc in Polemonis textu videlicet negligenter excerpto et minime integro, id quod cuivis legenti patet (cf. etiam „ex" illud inscriptionis libri secundi), non habentur: ita enim comparationes animalium quas ex Platone servavit Albertus p. 66 (de collo = Pol. p. 259 et ibid. de gutture = Pol. p. 264) et p. 77 (de lateribus = Pol. p. 273. cf. Arist. 810b 14—16) desunt in Polemonis locis qui illis respondent; alia apud hunc omnino omittuntur velut quae de collo fuerant apud Platonem Alberti p. 66 et de ilibus p. 77 et de incessu p. 78, de labiis secundum „Platonicos" p. 36 (cf. Arist. 811, 24—26). Ceterum et Aristotelis Secretum et eundem Platonem citat Alexander ab Alexandro d. gen. II, 19 p. 208 ed. Francf. 1594 (cf. Pol. p. 249, Ar. 812, 12, Franz p. 142). Neque tamen Adamantius incertae plane aetatis scriptor alium atque mutilum illum novit Polemonem. Non igitur

scripto peculiari Aristoteles egit *περὶ ἀκουστῶν* nec magis de ceteris quae sensibus percipiuntur praeter ea quae in psychologicis libris et physiologicis traduntur; neque enim de quo supra memoratum est *περὶ χυμῶν* libellus ad ipsum pertinet nec qui modo huic (cf. Mich. Ephes. Sch. in l. de vita et morte f. 175b) modo Theophrasto (ita recentiores quidam ut Schneider cf. Fabric. B. G. 3, 245 Harl.) iniuria tribuitur *περὶ χρωμάτων* (cf. Prantl Farbenlehre der alten p. 80—85) quo auctor anonymus in ipsa materia colligenda multus nec tam philosophus quam physicus omnem colorum physicorum et in plantis et in animalibus terrisque generationem (*τὴν περὶ τὰ χρώματα θεωρίαν* 799 b 19) in modum monobiblii a Theophrasto ceterisque discipulis dilectum enarrat, Aristotele ipso ubi de coloribus agit in libris de anima et sensu et de gener. an. (5, 1) restare aliquid nunquam significante. Quod vero dicit de gen. an. 5, 2. 781, 20 *οἱ γὰρ πόροι τῶν αἰσθητηρίων πάντων ὥσπερ εἴρηται ἐν τοῖς περὶ αἰσθήσεως τείνουσι πρὸς τὴν καρδίαν,* eo nihil aliud voluit quam quod de part. an. 2, 10. 656, 28 ita exprimit: *ὅτι μὲν οὖν ἀρχὴ τῶν αἰσθήσεών ἐστιν ὁ περὶ τὴν καρδίαν τόπος διώρισται πρότερον ἐν τοῖς περὶ αἰσθήσεως,* physiologice igitur dictum est pro eo quod omni libro de anima et l. de sensu (i. e. de sensu memoria et somno) explicatur et a quo omnis eius de anima doctrina pendet (cf. de an. 411, 26 sqq.), unam esse animam nec esse partes i. e. facultates diversas diversis corporis partibus tamquam instrumentis primariis divisas, id quod Platonis ferebat sententia, cordisque et sanguinis opera motuque et quatenus vegetans est et quatenus sensilis agere animam, ita ut cor utpote in quo sit et motus (cf. 456, 20) et sensuum omnium principium (de somno 2) ipsum sit illud *κοινὸν αἰσθητήριον* (de sensu 7, ubi logice idem dicit quod quum in l. de anima de corpore ipso et partibus eius non agendum fuerit disertius demum et physiologice in l. de somno c. 2 — cf. de vita 3 — explicat sensus communis organum cor esse atque hunc ipsum potissimum l. de somno locum spectat et illa citatio l. de gen. 5, 2 et similis altera de part. an. 2, 1. 647, 26), cum quo cetera sensuum organa partim manifestius (*φανερῶς* 656, 30. 469, 12. 20. quibus locis respicitur ad l. de sensu 2) partim obscurius venis sanguinem ducentibus (cf. hist. an. 3, 3. 514, 22) coniuncta sunt: nam visus quoque organi meatus (*πόροι*) et auditus et olfactus, propter quos cerebri potius sensus omnes esse quibusdam

visum est (de vita 3), sunt *περαίνοντες πρὸς τὰ φλέβια τὰ περὶ τὸν ἐγκέφαλον τείνοντα ἀπὸ τῆς καρδίας* (de gen. an. 2, 6. 744, 2. 9. cf. 656 b 17. venae enim in membranam cerebri finiuntur cf. de part. an. 2, 7. 652 b 26 sqq. 495, 8 etc. atque in hanc ipsam membranam non autem in ipsum cerebrum — cf. 652 b 3 — sanguine carens ducuntur *πόροι* illi velut oculorum cf. 744, 10) nec nisi refrigerantur cerebri propinquitate meliores quippe sensus et delicatiores (cf. de sensu 2. 438 b 25 sqq. de part. an. 2, 10. 656, 29 — b 7) et propter ipsam organorum naturam puriorisque sanguinis usum a reliquis situ quidem non principio diversi: *οἱ γὰρ πόροι τῶν αἰσθητηρίων πάντων τείνουσι πρὸς τὴν καρδίαν.* Nulla igitur causa est cur ex talibus citationibus (nam neque illa quae est Meteor. 1, 3 in hanc rem valet utpote quae de futuro tantum aliquo negotio sit, cuius rei consilium postea et mutari potuisse et revera mutatum esse patet: dixit enim de illa re in libro demum *περὶ αὐξήσεως,* cf. 776 b 6 et de vit. long. 5) contra eam quam ipse de sensu liber opinionem movet perdita nunc esse multa Idelerum secuti (ad Olympiodori in Meteor. comm. textus verba repetentis II, 217) concedamus Trendelenburgio.

Pervenimus iam ad ultimum opus Aristotelis de partibus animalium. Etenim sicut librum de animae natura per se considerata sequuntur tractatus de animalium animaeque in ipso corpore eiusque partibus actionibus ad sensum pertinentibus (436 b 3) ita hos libri de ipsius iam corporis partium actione et motu animaque quae nutrimentum auctumque regit et generationem. Quorum librorum utpote zoologici operis singularis proprium est prooemium in quo doctrinae de animalium natura universae rationem atque methodum disertius exponit: debere enim physicam scientiam quaerere causam finalem quae in natura maxime dominetur quamque iniuria sicut iam Plato in Phaedone vituperavit soliti sint omittere priores physici motus tantum causam necessariam, non vero rationalem animamque opificem et creatricem spectantes idemque rerum quidem et causarum unitatem nexumque statuentes et explorantes, non tamen veram legem i. e. legis causam; est enim *τὸ εἶδος ἡ κατὰ τὴν μορφὴν φύσις* (640 b 24. 28. 641, 27. 641 b 26. 642, 17), propter quam fit motus de quo physici est agere et de quo nunc docendum est motus membrorum et generatio (640, 15. cf. 640 b 18. 29 — 641, 17 et omnino de part. an. 1, 1). Nihil ergo primo prooemii capite nisi ut methodum teleologicam stabiliat nititur, non

vero psychologiam ut dicat zoicae scientiae partem esse quasi quae iam scribenda sit ita praeparetur: quum omnis potius zoologia ex eius mente sit psychologica. Nam generationis causa non est materialis illa priorum, sed est alia et vera rerum substantia et causa simul generationis et finis, ipsa sc. rei forma quae est anima: in hac motuum et principium et ad quem tendunt motus finis (641 b 4. 24), in hac partium animalium singularum forma formaeque causa (641, 14). De anima igitur dicendum est ei qui vere est physicus i. e. qui teleologicam animalium rationem indagat et de anima quidem quatenus est animalis (*περὶ ψυχῆς — κατ᾽ αὐτὸ τοῦτο καθ᾽ ὃ τοιοῦτο τὸ ζῶον* 641, 22 cf. 24) sive de ea quae *αὐξήσεως ἀλλοιώσεως φορᾶς* causa est et vegetans et sensibilis et *κινητική* (641 b 5). Neque tamen ex eo quod zoologicae doctrinae methodum non in historicis sed in philosophicorum demum de animalibus librorum principio describit post librum de partibus primum scriptam esse animalium historiam ullo iure efficitur, praesertim quum si separetur primus ille a sequentibus praeter morem Aristotelis prooemio quo scientiae rationem illustret omni careat physiologia insuperque in ipsa de partium causis disputatione valeat ratio illa ex qua praecedunt historiae libri, sc. ea ut non singula deinceps animalia describantur sed quae communia sint comprehendantur (639, 15. 640, 14. 645b 1. cf. hist. an. 491, 10) et primum quidem *τὰ φαινόμενα περὶ ἕκαστον γένος, τὰ κοινῇ συμβεβηκότα πᾶσι* recenseantur (id quód breviter repetendo fecit et in l. de partibus), deinde causae propter quas sunt membra (645 b 20) i. e. propter animae actiones velut *αὔξησιν ὀχείαν ἐγρήγορσιν ὕπνον πορείαν* (645 b 33. cf. 639, 19), de quibus ubi de usu partium earumque actionibus dicitur una exponitur (cf. de pulmonibus et respiratione 3, 6 etc.), ideoque de causis membrorum ad generationem pertinentibus tractare idem est ac de generatione ipsa. Ipsius igitur solius de partibus operis naturam et consilium spectant ea quae leguntur 645 b 20 sqq. De ceteris enim de quibus agendum esset velut de somno morte et vita respiratione quum non tam ad singulas partes (respiratio enim quae ad libros de usu partium proprie pertinet tamen quum vitae ipsi omni necessaria sit iam in libro de vita recte explicatur) quam ad totius corporis actionem i. e. ad animae historiam pertineant atque in illa iam sint absoluta, nunc eatenus modo dicendum est ut si ad partes simul singulas pertineant harum partium

usus et operatio sive quomodo partium natura velut oculorum linguae pulmonis ad hunc usum instituta sit doceatur, non ipsarum actionum natura et dignitas. Nec magis patet quomodo quum psychologicam zoologiae naturam explicans physicae doctrinae et psychologiae rationem mutuam tangat ex eo non antea de anima libros compositos fuisse verisimile sit (id quod statuit Spengel Reihenf. p. 163 vel ipso librorum de anima prooemio refutatum cf. 403, 27 sqq.). Postquam igitur partium animalium usus causaque finalis exposita est, iam transit (cf. 715, 11 *λοιπὸν* et 17 *ἐχομένην τούτων*) ad ipsam *γένεσιν* causamque generationis i. e. ad *αἰτίαν τὴν κινοῦσαν* (de gen. 1, 1. 715, 13) sive ad animam ipsam una cum partibus quibus propriis utitur describendam animalium quatenus sunt animalia atque ex qua partium ceterorum omnium generatio pendet et auctus ususque et ipsa vita animali propria, ita ut recte librorum de generatione et nutritione argumentum sit nuntiatum verbis illis librum de incessu qui de partibus est quintus finientibus: *ἐχόμενόν ἐστι θεωρῆσαι περὶ ψυχῆς — τὸ τρέφειν γὰρ καὶ κινεῖν ψυχῆς ἔργον ἐστί* (de part. 2, 7. 652b 11. sc. *ψυχῆς θρεπτικῆς* quae est *κοινοτάτη δύναμις ψυχῆς* cf. de an. 2, 4. 415, 25: *ἧς ἐστὶν ἔργα γεννῆσαι καὶ τροφῇ χρῆσθαι*). Recte autem libro de partibus primo ubi primum incipit ipsa de animalibus physica doctrina (nam Parva naturalia quae dicuntur de anima sunt non de animalibus), qua ut ipse dicit c. 5 prima de corporibus physicis Physicorum pars et disquisitio de divinis naturis continuatur (libri sc. de coelo et quae intermedia est Meteorologia), causae quoque primo traduntur methodi studio zoologico et philosophiae zoicae convenientis et in ipsa historia animalium ex hac methodo praemissa breviter tantum propositae (1, 6 fin.) et quae huic coniungitur divisionis animalium ratio, quae ita c. 2—3 diligenter definitur ut ad disciplinae zoologicae quae est de partibus rationem solam hoc prooemium spectare plane pateat, praesertim quum in historicis divisio illa cuius ratio nondum demonstrata est ex usu fere sermonis vulgari arripiatur (cf. 1, 6 in., 505b 26 et sim.). Quod vero ad librum de incessu qui ad doctrinam de usu partium necessario refertur, nulla causa est cur non credamus auctori ipsi hunc librum disertis verbis libris de partibus quatuor subiungenti tamquam ultimum et suo argumento separatum (714b 20. cf. 697b 29, etiam 645b 34 — et ante l. de gen. scriptum cf. 692, 16) nec impediunt quae reperiuntur

in hoc libro et in quarto de partibus citationes mutuae: nam ubi tempus accurate definitum est, sequi librum de incessu affirmatur scil. de inc. 5. 706b 2 *εἴρηται δὲ περὶ αὐτῶν πρότερον ἐν ἑτέροις* = de part. 4, 9 in.; nec repugnat quod in quarto liber de incessu citatur (4, 11. 690b 15 *ἡ δ' αἰτία τῆς ἀποδίας αὐτῶν* — sc. *τῶν ὄφεων* — *εἴρηται ἐν τοῖς περὶ τῆς πορείας τῶν ζώων διωρισμένοις* cf. 4, 13. 696, 12 de eadem re: *τὸ δ' αἴτιον ἐν τοῖς περὶ πορείας καὶ κινήσεως τῶν ζώων εἴρηται* = de inc. c. 8) quum nullum hic perfecti vestigium sit praeter ipsum perfectum (quod idem iam occurrit de coelo 2, 2. 284b 13 *διώρισται μὲν οὖν περὶ τούτων ἐν τοῖς περὶ τὰς τῶν ζώων κινήσεις*) atque uno quidem loco *πρότερον* quod additur 692, 17 (= de inc. c. 9), id auctoritate careat quia magna omnino in his paginis codicum varietate obtinente in quibusdam recte illud omittitur (sc. in cod. P Bekk.; codd. UY *πρόσθεν* habent pro *πρότερον* et cum cod. S ordinem verborum immutant) natum ex eo quod mox rursus sequitur *πρότερον* 692, 20 (= 689b 30). Ceterum ad librum de incessu sequentem ideo saepe in quarto reiicit lectores quia uberius in hoc explicata *ἀναίμων* tantum motione (de qua tamen l. de inc. 16 quaedam addit) *ἐναίμων* motum quia in his omnino maxime motus animalis cernitur theoria singulari complecti omnem instituerat, qua de causa non nisi de ipsis partibus eorum ad motum necessariis hoc loco egit (4, 10—13) atque si de avium motu et piscium (4, 12. 13) iam hic quaedam praecepit non tamen de ratione ipsa motus quicquam addidit. Apparet igitur ex ipso hoc quod modo significavi Aristotelis consilio pravam fuisse medelam illam quam ubi nullum erat vulnus excogitavit Prantl, ut sc. inter libri quarti caput nonum et decimum librum de incessu integrum intersereret, transpositione et temeraria et ut in plerisque omnibus huius generis virorum doctorum figmentis minime necessaria; licet enim in libris mss. quaedam hoc modo corrupta interdum legantur, ea tamen ex librariorum medii aevi errore et negligentia orta ipso codicum dissensu facile deteguntur, velut illa etiam mutatio ut exemplo utar Aristoteleo quam in fine historiarum libri noni adhibent codices quidam et ipsi qui inter servatos sunt antiquissimi Arabici (cf. Albert. de animal. lib. VIII, tr. 5, c. 3 et 4 p. 278 sq. Schneider ad Arist. hist. an. T. IV p. 244 sq. qui ipse in editione vulgarem sententiarum ordinem recte retinuit), c. 49 ex parte post c. 50 reiecto, quos male secutus est Bekker p. 631—33: agit enim

ut ipsa res postulat prius auctor de mutatione spontanea quae in avibus evenit vocis et coloris secundum certa anni tempora quam de ea quae propter castrationem animalibus quibusdam accidit, *οὐ μόνον κατὰ τὰς ἡλικίας καὶ τὰς ὥρας* (quibus verbis ad c. 49 b Bekk. respicit tamquam praecedens, cf. 632 b 14 et 631 b 20).

Jam vero scriptorum Aristoteleorum orbem a Topicis inde primo opere usque ad librum de animalium generatione in quo morte impeditus substitit (sunt enim quasi ultima verba Aristotelis verba ultima quinti de generatione) emenso apparuit et omnium librorum nexus perfectus certaque studiorum ratione a rhetoricis et politicis ad metaphysica et physica procedens et mira ingenii cum vigore ubertas tot tantaque tamque et variae et novae doctrinae opera brevissimo si ipsorum comparas amplitudinem temporis spatio fundentis, totius anteactae vitae studiis per annos vix viginti ultimos (c. Ol. 110—114, 3) litterarum aeternitati traditis; apparuit et ipsius doctrinae certa sibique semper similis et constans auctoritas diu iam antea quam scribere coepit mente finitae, ita ut quam nihili sit Gruppii (Kosm. syst. p. 16 sq.) opinio veram philosophiae Aristotelicae et Platonicae — etenim ne de Platone quidem valet — historiam nondum esse narratam censentis plane pateat; apparuit denique ratio Aristotelis immutata ea ut theoriae causa et rerum naturae indagandae scientiae cuiusque orbem exceptis quae non sunt rerum mathematicis emetiri emensamque unius libri orbe exponere voluerit, non singulas res per se solas undique colligere solius eruditionis quasi quidam polyhistor delectatione commotus atque curiositate, non singula rerum capita libellis peculiaribus et historicam rationem rerum particularium cura appropinquantibus explicare, ut igitur universam semper disciplinam comprehendere nitatur, polymathiae quae apud discipulos vigebat deficiente philosophia non rerum copia, eius ipsa studiorum et methodo et amplitudine auctor quidem non vero exemplum. Et demonstrata quidem haec sunt ordine librorum chronologico ex ipsis Aristotelis testimoniis declarato, qui ut sibi congruat neque interpolationum odqratione opus fuit neque lectionum codicum consensu tutarum ex opinione praecepta correctione, nisi quod solius Metaphysicorum libri locus disertis ipsius auctoris verbis non potuit confirmari. Praeterea autem hac eadem ratione atque hoc ipso Aristotelis quoque exemplo — spuria enim sunt quaecunque perdita creduntur, omnibus Aristotelis operibus (sicut Platonis etiam) praeter sola Pro-

blematica et quorundam librorum particulas paucas nobis nunc quoque servatis — ingentem fuisse intelligitur librorum copiam studiis Alexandrinis aut sine auctoris nomine aut alieno oblatorum et modo coniecturae errore modo dedita auctoris opera speciosum titulum captante falso titulo inscriptorum, quales sunt Socratici Hippocratici Democritici Pythagorici Aristotelici quibus omnibus iam augenda est litteraturae aetatis Theophrasteae atque inter Platonem et Aristotelem primosque musei Alexandrini bibliothecarios nascentemque ex philosophia philologiam intermediae historia.

Quo magis probatur eos quoque libros qui soli inter eos qui genuini habentur omni et cum ceteris nexu utqui prooemio plane destituti et citationum auctoritate carere videntur, dico libros celeberrimos quibus ipsum Organon Aristotelicum introducitur quique inscribuntur *κατηγορίαι* et *περὶ ἑρμηνείας*, hos igitur ipsi Aristoteli inveterato errore falso tribui. Veterum iam quidam velut Andronicus (cf. de Hermeneut. Sch. Br. 97, 19 et ibid. not. cf. 94, 21 sqq., de Categ. non tertia parte solum de qua cf. Sch. 81, 27 sed omni libro Sch. 33, 28—b25) num Aristotelis illi essent dubitabant, quae eo gravior dubitatio est quod ex duobus huius argumenti libris verbis tantum discrepantibus hunc quem legimus genuinum esse Aristotelis coniectura tantum critici veteres affirmaverant (Sch. 39, 25. 33b 32). Et liber quidem *περὶ ἑρμηνείας* (i. e. *περὶ ἀποφαντικοῦ λόγου*) ad multas alias doctrinae Aristotelicae partes lectorem saepe reiicit ita ut licet de tempore quo scriptus sit ex his citationibus (Brandis Org. 264 sq.) certi nihil plane efficiatur, videatur tamen omnem iam librorum Aristotelis ambitum cognovisse qui quae ipse Aristoteles *περὶ ἀποφάσεως καὶ καταφάσεως* passim tetigit (cf. Metaph. 5, 4. 9, 4. 5. de coelo 1, 12 etc.) monobiblio separato explicavit discipulus (ut categoriarum auctor *περὶ τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων* ita hic agens *περὶ τῶν κατὰ συμπλοκὴν λεγομ.* in quibus verum et falsum cernitur, cf. Cat. c. 4 et de interpret. 1, etiam Cat. 13b 10. 13. diversus tamen auctor ab illo cui alio sensu *πρώτη οὐσία* sumitur cf. Waitz Org. 1, 363. Ar. p. 23, 24. Sch. 33, 36 sqq.). Etenim post Aristotelis Metaphysica scripsisse auctorem ex eo sumas quod in argumentatione capituli 12 tamquam notissimo utitur eo quod in tertio Metaphysicorum demonstratur: *ἀλλὰ μὴν ἀδύνατον κατὰ τοῦ αὐτοῦ ἀληθεύεσθαι τὰς ἀντικειμένας φάσεις* (21b 17. cf. 22, 1. 24b 9. cf. etiam c. 13 fin. et Metaph. 8, 2). Nec

ita Andronicum refutavit Alexander (apud Boeth. Sch. Br. 97 not.) ut verba illa quibus in disciplina quae est de anima tractari ait *τὰ παθήματα τῆς ψυχῆς* quae sint *ὁμοιώματα τῶν πραγμάτων* (c. 1 in. cf. *σύμβολα τῶν ἐν τῇ ψυχῇ* 16, 3. 24b 2. similiter tamen Soph. 165, 8. Rhet. 1404, 21) — est enim idem quodammodo *ἡ αἴσθησις* et *ἡ νόησις* ac *τὰ αἰσθητὰ* et *νοητὰ* de an. 3, 8 etc. — non discipulum potius sapere suspiceris quam ipsius Aristotelis dicendi modum. Definitiones denique quibus auctor librum incipit ipsis verbis ex magistri Poetica utpote a schola receptas et iam immutabiles descripsit et *ὀνόματος* (c. 2 = Poet. 20. 1457, 10—12. cf. etiam 16, 23. 16b 32 et Poet. c. 21 in., 1457, 31. cf. 12) et *ῥήματος* (c. 3. cf. Poet. 1457, 14. *προσσημαῖνον χρόνον* cf. 1457, 17) et *λόγου* (c. 4. cf. 1457, 23); cf. etiam 17, 25 *ἔστι δὲ εἷς λόγος* etc. et 1457, 28, quamquam huiusmodi quidem distinctiones breves saepe ita iisdem fere verbis ut par erat repetat Aristoteles (cf. de hac ipsa Analyt. post. 2, 10. 93b 35. mira vero prorsus sunt illa Metaph. 8, 4. 1047b 12—14 quae eadem prorsus ut Bonitz Comm. p. 389 significavit, leguntur de Coelo 281b 8—10). Ex quorum locorum similitudine quum post Poetica scriptum esse librum de enuntiatione certum sit neque in ipsius Aristotelis librorum serie locus post Poetica concedatur libro logico, aequali cuidam Theophrasti eo facilius hunc librum tribuo quod auctor et huius ipsius de affirmatione et negatione fortasse libro et „iisdem aliquot verbis" (sec. Boethii Alex.) usus est (certe enim hoc consensu neque Aristotelis auctoritas tuta est ut voluit Brandis Org. 265, nec liber ipsius magistri qui utrique auctori fundamento fuerit aliqua verisimilitudinis specie efficitur ut Gumposch l. c. p. 91) et eiusdem Theophrasti vocis *ἐπιστήμη* etymologiam (*ὅτι ἵστησι τὴν ψυχὴν* cf. Theophrast. ap. Sch. Br. 252, 13 et longum illud ex Theophrasto sine ullo dubio excerptum in Probl. 30, 14; praeterea Pseudarist. Phys. 7, 3. 247b 10 — 248, 6) aperte respicit c. 3. 16b 20. Ceterum si quod ad ipsam doctrinam expositam plane et dignus est libellus auctore Aristotele — quod enim de enuntiatione hypothetica et disiunctiva agere neglexit in simplici et communi enuntiationis quasi typo contentus id laudi potius auctoris des quam reprehensioni — et in sententiis consentiens ita ut argumenta inde sententiam confirmantia peti non possint, tamen et in dispositione (cf. Brandis Org. 264, Aristot. I, 173 sq.) offendimus et in sermonis genere. Quo maxime argumento Categoriarum

quoque liber condemnatur quem longe alium ab Aristotele auctorem referre recte professus est Spengel (Münchner anzeigen Bd. XX. 1845. p. 41—44. 52), quamquam nibili facio ea quae is de ipso loquendi usu et formulis attulit (p. 43. cf. 42. similiter Prantl in Zeitschrift für altertumswiss. 1846. p. 646): in quo genere magis advertendus est utpote certior praepositionis *ὑπὲρ* usus Ethicis Eudemeis consentaneus et frequentissimus (sc. omnibus fere locis ubi fieri potuit, cf. 8b 21. 11, 20. 11b 8. 9. 10. 14. 15 nec nisi 11b 16 habetur *περί*. verbum *φυσιοῦσθαι* p. 9, 2 etsi nunquam apud Aristotelem occurrens nec nisi apud Plotinum demum et Neoplatonicos frequentius non tamen offendit et in fragmentis etiam Pythagoricis reperitur) nec minus *οὐσίαι* illae *πρῶται* et *δεύτεραι* ceterorum omnium librorum usui repugnant, qui si explicari facile potest (Waitz Org. 1, 284) eidem tamen auctori tribui nequit (cf. Spengel p. 44. nihil autem in hanc rem valent sex illa motus genera c. 14, quam loquendi diversitatem iniuria urget etiam Prantl p. 651). Ipsa autem nimia et argumentationum et exemplorum verbositas (cf. maxime Prantl p. 646 sq.), quae maxime in eo cernitur quod in ipsa demonstrationis clausula atque in exemplis explicandis omnibus omnia plerumque propositae sive argumenti sive definitionis sententiae verba repetuntur bis terve eadem (velut p. 2, 34 — b4: *τὰ δ' ἄλλα πάντα ἤτοι καθ' ὑποκειμένων λέγεται τῶν πρώτων οὐσιῶν ἢ ἐν ὑποκειμέναις αὐταῖς ἐστίν — ὥστε τὰ ἄλλα πάντα ἤτοι καθ' ὑποκειμένων λέγεται τῶν πρώτων οὐσιῶν ἢ ἐν ὑποκειμέναις αὐταῖς ἐστίν.* — p. 1b 2—6: *τὰ δὲ οὔτ' ἐν ὑποκειμένῳ ἐστὶν οὔτε καθ' ὑποκειμένου λέγεται, οἷον ὁ τὶς ἄνθρωπος καὶ ὁ τὶς ἵππος· οὐδὲν γὰρ τῶν τοιούτων οὔτε ἐν ὑποκειμένῳ ἐστὶν οὔτε καθ' ὑποκειμένου λέγεται.* similium locorum licet unius exempli instar sit totus liber tamen respicias haec exempla: c. 2. p. 3b 37 — 4, 8. 4b 13—16. 4b 35—37. 5, 2—14 ubi illud *τὰ μόρια συνάπτει* semper repetitur. 5, 33—36. 5b 15—29. 6, 26—30 sqq. 6, 37 — b1, ubi cf. etiam 6, 37 sqq. et novam exemplorum seriem 6b 8 sqq. 9, 16—24. 9, 36 — b4. 10, 13—16. 11, 15—19 etc. dissographiam illam Simplicii ad 2b 6 et alterum locum maiorem in quo eadem res verbis paullo mutatis bis repetitur p. 4, 28 sqq. = 4b 4 sqq. ex altera Categoriarum recensione interpolatos esse admodum verisimiliter statuit Spengel p. 52, male cum Simplicio defendente Waitzio 1, 291: unde tamen sequitur Simplicii aetate eorumque quibus utitur alterum

illud exemplar fuisse perditum), anxiaque illa cura ut etiam intellectu minus difficilia vel per se plane patentia amplius explicentur, argumenti denique et definitionum praeter narrandi docendique loquacitatem certa et accurata divisio qua singula membra similibus et verbis et enuntiatorum formis quasi dimensa deinceps aequabiliter recensentur (cf. c. 1. *ὁμώνυμα λέγεται ὧν —— οἷον —— τούτων γὰρ —— ἐὰν γάρ τις ἀποδιδῷ* et mox *συνώνυμα δὲ λέγεται ὧν —— οἷον —— ὁ γὰρ —— ἐὰν γὰρ ἀποδιδῷ τις* etc. eadem et amplitudo divisionis et aequabilitas etiam in l. de interpr. obtinet, maxime c. 2—3, cf. 16, 30. 32 et 16b 12. 14) quaque in singulis categoriis quae singularia habeant quae communia constanter quaerens auctor solennes illos disputationis locos dialecticos (cf. Top. IV. V) infert num sit *ἐναντίον,* num videantur *ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον,* num sint *δεκτικὰ τῶν ἐναντίων,* partim illos a Platonicis receptos (velut *ἐπιδέχ. τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον,* cf. 10b 32 *ἔνιοι γὰρ διαμφισβητοῦσιν* etc. cf. Top. 127 b18): haec igitur omnia vel si neglexeris ipsarum partium ex quibus tractatus componitur ineptam rationem, ab Aristotelis nervosa brevitate qua quaerit fere magis quam docet et in ipso inquirendo docet docendoque inquirit mirum quantum differant. Atque eadem haec est sermonis ratio in toto libro quippe qui unus sit et eiusdem auctoris omnis minimeque duobus vel tribus fragmentis male coniunctis constet, id quod veteres volebant interpretes (item Brandis Org. 268. Arist. 1, 405—8) ipsa de Aristotele praecipuae partis auctore opinione tradita coacti: — vix enim erit qui postpraedicamenta quae vocantur ab Aristotele scripta esse credat, quae eadem ab eodem aptius tractata fuerunt in Metaphysicis et Physicis. At non solum prooemium necessarium est (respicitur enim in sequentibus, cf. *τὰ ἐν ὑποκειμένῳ ἐλέγετο* 3, 32 = 1, 24. cf. 3b 4 = 1 b 11 sq. *συνώνυμα δέ γε ἦν* 3b 7 = 1, 6. praeterea c. 5 nititur iis quae determinat cap. 2 et *ὅσα ἐν ἀρχῇ ἐῤῥέθη* i. e. c. 4 citantur 11 b 12, et paronymorum i. e. 1, 11 passim usus ut 6b 13. 10, 28 sqq. 10b 10. 11b 9. 12, 37 ut synonymorum 3, 24. 3b 7, quorum quidem discrimine omne hoc dividendi studium explicatur proficiscens illud ab iis quae *λέγεται* quoque modo distinguendi sint varii qui dicuntur modi sive *τρόποι* etiam in singulis entium categoriis vel divisionibus quibus utitur oratio, *τὰ πλεοναχῶς λεγόμενα* cf. 8b 26 de qualitate et in postpr. c. 10. 12. 13. 14. 15, cf. *τῆς περὶ τὸ ποιὸν διαιρέσεως* 10, 19) sed etiam post

decem entis genera proposita suo sibi iure, licet more posteriorum paullo arbitrario, de quibusdam docet quae cum his cohaerere videntur in praecedente disputatione passim adhibita (a Theophrasto quidem in Topicis exposita cf. Sch. p. 89, 15 ad Ar. 14, 20) de contrariis (de qua re saepe in categoriis mentio. cf. etiam 5b 14 et Schol. 81 b 45), de eo quod dicitur *πρότερον* et *ἅμα τῇ φύσει* (cf. supra de relatis 7b 15 — 8, 12), de motuum generibus quae ex entium categoriis dividuntur et maxime de eo qui est *κατὰ τὸ ποιὸν* (cf. 15b 8 sqq. sive *κατὰ πάθος* 15, 21 sqq. et supra de motu et *πάσχειν* ubi de quali c. 8. adde quod de eo quod motui sit contrarium eodem plane modo agitur 14b 1 sqq. quam supra in categoriis), neque denique *τὸ ἔχειν* quid sit explicatur (id enim patet cf. 11b 12) sed quomodo secundum res quae habentur habere dicamus enarratur (cf. supra *ἕξεις* etc.): qua in re qui dicit p. 15b 31 *ἴσως δ' ἂν καὶ ἄλλοι τινὲς φανείησαν τοῦ ἔχειν τρόποι* etc. idem manifesto auctor post enarratos qualitatis modos eadem phrasi supra usus est p. 10, 25 (cf. etiam 14b 9) nec minus eiusdem scriptoris ratio ut in ceteris omnibus ita in contrariorum brevi cum exemplis recensione ipsique disputationi praemissa (c. 10 in. cf. c. 4). Eadem autem in disponendo et dividendo et in significandis partibus cura eademque prolixitas (cf. e. gr. 11b 24—31. 12b 35 — 13b 3. 13b 20—27. 15b 23—26 quae ipsa ascripsisse utile erit: *ἢ ὡς ἐν ἀγγείῳ, οἷον ὁ μέδιμνος τοὺς πυροὺς ἢ τὸ κεράμιον τὸν οἶνον· οἶνον γὰρ ἔχειν τὸ κεράμιον λέγεται καὶ ὁ μέδιμνος τοὺς πυρούς· ταῦτ' οὖν πάντα ἔχειν λέγεται ὡς ἐν ἀγγείῳ*), ita ut formulae illius verbis quibus ab altera ad alteram partem transit auctor (11b 15. ubi sicut dicitur *ὑπὲρ τῶν προτεθέντων γενῶν* ita iam 11, 21 *ὑπὲρ ποιότητος τὴν πρόθεσιν ποιησαμένους*) cur fidem negemus plane nulla sit causa. Jam vero manifestum est libri de categoriis scriptorem categorias illas tamquam notas iam et traditas recipere quippe qui neque de numeri ratione nec de ipsarum origine communi atque causa nec de ordine certo quaerat, immo singulas fere ordine plane arbitrario enumeret (est enim *ἀπαρίθμησις* tantum sec. Herminum Sch. 47b 1 cf. David Sch. 48b 28 *ψιλὴ ἀπαρίθμησις*) ita ut contra posteriorum omnium sententiam *τὸ πρός τι* medio inter quantum et quale loco inferat, quum tamen ipsi Aristoteli secundum dignitatem entitatisque ut ita dicam gradum priorum categoriarum ordinem obiter explicanti (Metaph. 13, 1. 1088, 22)

τὸ πρός τι πάντων ἥκιστα φύσις τις ἢ οὐσία τῶν κατηγοριῶν ἐστὶ καὶ ὑστέρα τοῦ ποιοῦ καὶ ποσοῦ consentiatque huic ordini et Pseudarchytas qui Peripatetica doctrina ordinis tamen ratione data usus est (cf. fr. 30 Hart. Sch. 66 b 17). Contra illius scriptoris quomodo singula genera ad substantiam referuntur (sunt enim *συμβάματα φυσικᾶς οὐσίας καὶ σωματικᾶς* Arch. fr. 46 i. e. *συμβεβηκότα* Arist. Anal. post. 1, 22. cf. Simpl. Sch. 47 b 28) quaestionem metaphysicam plane negligentis multo magis intererat ut categoriarum singularum ambitum speciesque describeret divideretque studio dialectico ea spectante quae *λέγεται* non quae sunt. Inventoris autem erat rationem ostendere et necessitudinem, id quod quum neque Aristoteles fecerit ubique et vel in Topicis (1, 9. 4, 1 etc.) divisas illas entis categorias (*τὰς διῃρημένας κατ.*) utpote in vulgus notas quibus in definiendo passim utatur (velut in motus generibus), ita adhibens ut neque numero dignitatem tribuat nisi quod certum quendam esse debere concedat (An. post. 1, 22) nec unquam diserte deditaque opera de illis loquatur (nisi forte in Metaphysicorum quarto perdito), licet de singulis ex sua ratione saepissime exponat (velut de quali Phys. 5, 1. de relato Met. 13, 1. ita in Physicis explicatur *τὸ ποιεῖν* et *πάσχειν* et cetera passim omnia quae in categorias illas cadunt), nedum scripsisse peculiari tractatu significet (cf. Spengel p. 39 contra Waitz. 1, 266), a prioribus philosophis i. e. Platonicis iam divisas eas simili fere ratione accepisse intelligitur qua in aliis quoque disputationibus saepissime a Platonicorum definitionibus tanquam a parata quadam suae aetati philosophiae materia exoterica profectus est: ita enim per omnia ubique fere Topica Platonicis definitionum quas examinare docet exemplis utitur (cf. e. gr. 4, 5. 6, 2 sqq.), ita hominis illa definitione per omnes libros frequentissima animaeque partium nominibus notissimis (cf. Top. 129, 11. 138, 33 etc.), ita aliis passim multis velut in Phys. 6, 2. 232, 27 *καθάπερ ὁρίζονταί τινες τὸ θᾶττον* (cf. Phys. 267, 16 etc.), ita denique in ipsis Categoriis Platonicos diserte respicit auctor: Platonicorum enim definitio est contrariorum haec: *τὰ γὰρ πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐναντία ὁρίζονται* (6, 13—18 cf. Sch. 83, 22), item relatorum definitio antiqua quam corrigit (8, 28—35 cf. Sch. 65 b 38. 66, 23), ubi discriminis quod Stoici explicabant inter *τὰ πρός τι* et *πρός τί πως ἔχοντα* quorum illa deinde inter qualia redeunt (*ἕξεις ἐπιστ. ἀρεταὶ* etc. 7 b 16. 22.

cf. 8b 29 etc. 11, 20 sqq. Petersen Chrysipp. 126 sq.) vestigium iam reperitur; cf. praeterea 10b 32 et τὸ ἀντιδιῃρῆσθαι illud (14b 34. Top. 136, 3. 143, 36 etc.) eaque omnia quae ad γένος et eius διαφορὰς pertinent (c. 5. cf. Top. IV). Et sane quod non Peripatetici solum sed Stoici etiam aequales et Platonici multi fuerunt in categoriis explicandis, pertinere hanc rem ad dialectica studia omnibus his sectis communia et aequa diligentia tractata indicio est, orta quidem illa et quasi condita a Platonicis quibus inde a Speusippo et Xenocrate (cf. Brandis Org. 271 sq.) categoriae iam a Platone praeparatae atque in Sophista et Parmenide quodammodo usurpatae pro vulgari dialecticae loco erant, ita ut vel ipsis Pythagoreis libro Archytae supposito decem illae vindicarentur consentientibus de hac re posterioribus qui de numeri decem dignitate dicerent Platonicis velut Philone Nicomacho etc. Nam numerum decem, qui est universi, omnium quae de ente praedicari possunt ambitum describentem ad Platonicos referendum esse certissimum est, praesertim quum sicut Speusippum quem secuti sunt Peripatetici constat de homonymis et synonymis ceterisque i. e. de categoriarum fundamento accurate statuisse (cf. Boethus ap. Simpl. Sch. 43b 19. cf. 41b 40) ita Xenocratem de categoriis decem a Peripateticis postea receptis egisse Andronici docet testimonium (Simpl. Sch. 47b 26) divisionem secuti eandem qua Xenocrates omnes categorias supremo eo ut sint aut καθ' αὑτὸ aut πρός τι discrimine complexus est, ea quidem ut credo ratione ut quantum et quale adnumeret τοῖς καθ' αὑτὸ, cetera relatis (quam divisionem studiose executus est David in Cat. 48b 28 sqq. Aristoteli iam notam ut videtur ex Anal. post. 1, 22. 83b 19 ubi categorias esse ait aut καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα aut καθ' ἕτερον τρόπον). Concludas adeo ex hac divisione simpliciori decem duabus subiungente ipsum iam Xenocratem maioris cuiusdam Platonici divisionem spectare decem illas iuxta proponentem; qua de re nunc quidem Platonicorum libris, quorum sane iactura litterarum philosophiaeque inter Platonem et Aristotelem lacuna magna orta est, diu et vel Neoplatonicorum aetate perditis decerni non potest, confirmari autem sententia vel ex Platonis Parmenide in quo omnes fere categoriae licet aliis nec ita certis nominibus usurpatae nec satis divisae, id quod Platonicorum subtile in talibus et saepe minutum ingenium addidit, certae iam dialecticae supellectilis speciem gerunt secundum quam unius natura quaeque et

ad ipsum sive sit sive non sit et ad aliud sit ratio consideratur (cf. Parm. 157. 159 in. 160 in. 165. 166. cf. 165 ἃ διελθεῖν εὐπετὲς ἤδη ἡμῖν sc. unius παθήματα): nam et οὐσία et quantum (ἕν — πολλά, ἴσον — ἄνισον, μεῖζον — ἔλαττον: ἀριθμός, μέγεθος) cernitur et quale (ταὐτόν — ἕτερον, ὅμοιον — ἀνόμοιον. εὐθὺ — περιφερές: σχῆμα) et in ipsis illis relatum, praeterea locus (ποῦ, ἁπτόμενον, χωρίς, ἐφεξῆς: χῶρα 138. 148 sq. cf. Ar. Phys. 5, 3) et tempus (ποτέ, νῦν, ἔπειτα: χρόνος 140 sq. 151—55. cf. τὸ ἐξαίφνης 156), motus et status (ἑστάναι — κινεῖσθαι 138 sq. 146 sq. γίγνεσθαι 156 = Arist. ποιεῖν et πάσχειν. motus duo genera Platoni sunt φορὰ et ἀλλοίωσις Theaet. 181. Parmen. 138. 162. quibus accedit τὸ αὐξάνεσθαι καὶ φθίνειν Parm. 156 quorum primum loco mutato definitur, alterum a tertio qualis et quanti discrimine separatur, unde Aristotelis triplex divisio nata est). Quibus si addas comparesque quae in Sophista τὰ μέγιστα τῶν γενῶν nuntiantur et omnibus communia sc. τὸ ὂν ταὐτόν θάτερον στάσις κίνησις a Plotino postea pro categoriarum fundamento sumta (cf. Trendelenburg Gesch. der kategorienlehre p. 236 sq.), facile ex Platonicorum doctrina rationem repetas eam qua manifesta categoriae dividuntur ut sint et ea quibus differt ens tanquam ens sui ipsius ratione et ea quibus differt alius motusque ratione habita sitque intermedia relationis notio. Ad primum genus pertinent quantum et quale, ad motum vero spectant cetera, primum tempus et locus quibus motus fines describuntur (ποῦ — ποτέ sive χρόνος — τόπος sicut legitur in categoria quanti p. 4 b 24. 5, 6. 6, 12: possunt enim ad plures categorias eadem pertinere cf. 11, 37, velut ἕξεις modo relata sunt modo qualia modo habendi categoriam efficiunt, θέσεις modo ad categoriam situs pertinent modo ad relata; nec licet invito Simplicio differt inter ποῦ et τόπον utro nomine categoriam hanc dicas, non magis quam inter ποιά et ποιότητας sive πάθη ipse distinguit), deinde ποιεῖν et πάσχειν (i. e. quivis motus et ἐνέργεια, velut currendi cf. 9, 21 et quodvis moveri, πάθος cf. Plotin. ap. Trendelenb. l. c. p. 233 et ipsum hunc p. 137), denique κεῖσθαι et ἔχειν quibus perfectus motus actusque finitur et absolvitur (ruhe als resultat der bewegung) respondentibus categoriae στάσεως quae vocatur Platoni, ita quidem ut κεῖσθαι (θέσις) rationem quae ex motione prodit totius spectet et partium (cf. Metaph. 4, 19. 4, 26 cf. ὅλον, μέρη in Parm. Categ. 10, 19 ubi

ipse qualitatem a situs categoria dividit), *ἔχειν* (*ἕξις*) vero rationem cuiusvis extrinsecus quasi comparati et substantiae additi quod velut singula quaedam pars toti opponitur (cf. Metaph. 4, 23. 4, 20. quam ipsam categoriam a Platonicis receptam esse docet quod illis tribuitur discrimen quoad *τὸ ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον* factum inter *ὑγιείαν* et *ἔχειν ὑγιείαν* Cat. p. 10b 35. cf. *ἐκτὰ* Academicorum Schol. 67b 25. 80b 4 etc.):

οὐσία

ποσόν — *ποιόν* *πρός τι*	*ταὐτόν* — *ἕτερον*
ποῦ — *ποτέ* *ποιεῖν* — *πάσχειν* *κεῖσθαι* — *ἔχειν*	*κίνησις* — *στάσις*

Platonicorum igitur categorias si recepit Aristoteles dialecticas quae de substantia sensibili praedicari possunt quibusque definitur — est enim fere omnis et usus et disquisitionis in Categoriarum libro factae causa dialectica, quae si recte dicitur a metaphysico fundamento procedere quia verbis res declarantur, rebus verba provocantur, metaphysica quidem est categoriarum disputatio at non alio nomine atque omnis dialectica (de qua re cf. nunc praeclaram de Aristotelis categoriis Bonitzii disputationem, Sitzungsber. der phil. hist. kl. der Wiener acad. 1853 Bd. X p.594—623. 641—45. cf. Brandis Arist. 1, 401) — ipse tamen dignitatem illis metaphysicam in disputatione de substantia nullam tribuit omnisque dividendi cura metaphysica quae principio quod dicunt contradictionis in Metaph. tertio proposito postulatur, in discrimine potestatis et actus atque substantiae sensibilis et intelligibilis materiaeque et formae versatur. Itaque iam cum ipso Aristotele auctore, id quod gravissimum est, evanescit et ipsarum categoriarum superstitiosa apud posteros et inutilis auctoritas.

Jam vero nihil restat nisi ut quae supra de Aristotelis librorum numero ordineque chronologico pluribus demonstrata sunt in unam quasi tabulam omnia concludamus:

Πίναξ τῶν Ἀριστοτέλους συγγραμμάτων.

1. *Τοπικῶν ι',*
2. *ἀναλυτικῶν δ',*
3. *περὶ ῥητορικῆς γ',*
4. *ἠθικῶν κ',*
   πολιτικῶν θ',
5. *περὶ ποιητικῆς β',*
6. *περὶ φιλοσοφίας ἢ μεταφυσικῶν κ',*
7. *προβληματικά,*
8. *φυσικῶν η',*
   περὶ οὐρανοῦ β',
   περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς δ',
   μετεωρολογικῶν δ',
9. *περὶ ζώων ἱστορίας ι',*
10. *περὶ ψυχῆς γ',*
    περὶ αἰσθήσεως καὶ μνήμης καὶ ὕπνου β',
    περὶ μακροβιότητος καὶ βραχυβιότητος α',
    περὶ ζωῆς καὶ θανάτου α',
11. *περὶ ζώων μορίων δ',*
    περὶ ζώων πορείας α',
    περὶ ζώων γενέσεως ε'.

Quibus adde libros quos quin scriberet morte fuit prohibitus hos:

περὶ τροφῆς καὶ αὐξήσεως,
περὶ νόσων,
περὶ φυτῶν.

Cetera omnia scripta quae recensent indices Diogenis Hesychii Ptolemaei Aristotelis nomini sive errore sive fraude supposita sunt falso. Quorum quae nobis falso Aristotelis nomine servata etiamnunc feruntur sunt haec:

1. *Κατηγορίαι,*
2. *περὶ ἑρμηνείας,*
3. *περὶ ῥητορικῆς πρὸς Ἀλέξανδρον,*
4. *ἠθικὰ Εὐδήμεια,*
5. *ἠθικὰ μεγάλα (Νικομάχεια),*
6. *περὶ ἀρετῶν καὶ κακιῶν,*
7. *οἰκονομικόν,*
8. *οἰκονομικὸν ἄλλο,*
9. *νόμοι ἀνδρὸς καὶ γαμετῆς* (vers. lat.),

10. διαιρέσεις Πλάτωνος,
11. περὶ Ξενοφάνους,
12. περὶ Μελίσσου,
13. περὶ Γοργίου,
14. περὶ ἀτόμων γραμμῶν,
15. μεταφυσικῶν τὸ α' ἔλαττον, δ', κ', λ', μ',
16. φυσικῶν τὸ η' (ἢ περὶ κινήσεως),
17. περὶ κόσμου πρὸς Ἀλέξανδρον,
18. περὶ τοῦ μὴ γεννᾷν,
19. περὶ χρωμάτων,
20. περὶ ἀκουστῶν ἢ περὶ φωνῆς,
21. περὶ ζώων κινήσεως,
22. περὶ πνεύματος,
23. φυσιογνωμονικά,
24. προβλήματα φυσικά,
25. μηχανικὰ προβλήματα,
26. περὶ θαυμασίων,
27. περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναβάσεως.

Appendix.

De vita Aristotelis latina a Nunnesio edita.

Anonymus ille de Ethicorum Nicom. titulo p. 88 extr. citatus quem ex cod. Coislin. 387 integrum post excerpta a Brandisio in scholiorum volumine exhibita edidit Cramer l. c. p. 389—433, Olympiodorus est cuius et aetati et doctrinae et omni adeo rationi apprime convenit: de quo quidem multa turbarunt Creuzer in praef. in Olymp. Alc. p. XIV sqq. et Ideler praef. in Arist. Meteor. p. XVIII cf. Fabric. B. G. X, 632 Harl. Fuit enim ille cum Simplicio et Joanne Ammonii discipulus Alexandrinus idemque pro Neoplatonicorum more et Platonis commentator et Aristotelis. In illius scripsit Alcib. primum, cui lectionem Platonicorum librorum secundum eius mentem praeparanti praemisit (cf. in Alc. p. 2) vitam Platonis servatam et praeterea in Gorgiam Phaedonem Philebum quos commentarios nunc quoque legimus post Damascium scriptos alterum illum Simplicii magistrum (cf. Simpl. in Phys. 150 extr. 150b. 188b. cf. 142b. 188b) optimumque cum Asclepiodoto Procli discipulum (ib. 188b) quo ille saepissime auctore usus est, — quod vero dicit in Alc. p. 141 tunc quoque servari Platonicis *τὰ διαδοχικά* eo non probatur haec ante a. 529 scripta esse (Creuzer p. XV): asserit enim hoc ipsum servatas esse post multas *δημεύσεις* Justiniano sc. regnante factas (Procop. Anecd. c. 26 p. 143 Dind.) et vel post emigrationem illam philosophorum et reditum (cf. Agath. p. 132 Bekk.) Platonicorum philosophorum successiones et legata (locum hunc praetermisit Zumpt über die philosoph. schulen in Athen p. 61 sqq. 88 sq.). Idem igitur Olympiodorus (postea ut videtur) scripsit commentarios in Aristotelis Meteorologica, in quibus

qui ipsius aetate (anno Diocletiani 281 i. e. post Christ. 565 Olymp. ap. Id. I p. 186. qua eadem aera utitur Philoponus: scripsit enim comm. in Phys. — si ita recte legas falsum numerum 333 — anno Diocl. 233 = p. Chr. 517, libros contra Procl. post a. D. 245 = 529, postea demum sex illos quos Simplicius aequalis in comm. ad primum de Coelo et denuo postea in comm. ad Phys. octavum praeclare refutans castigavit — cf. Sch. Br. 472, 32 — de aeternitate mundi contra Aristotelem libros profusos: quas omnes πραγματείας de eadem quaestione senioris iam sequuntur septem περὶ κοσμοποιΐας λόγοι cf. praef. p. 473 ed. Gallandi; mortuus esse videtur c. a. 560: scripsit enim iam maxime senex epistolam theologicam pro Monophysitarum sententia ad Justinianum imp. quae exstat Syriace, cf. Mai Spicileg. Rom. III, 739 sq. et Assemani Bibl. orient. I, 465) apparuerat cometae meminit, in libros de gener. et corr. et in libros de anima, quos omnes in sermonem Arabicum conversos et sub (Al-)Macidori nomine a librariis male lecto latentes Olympiodoro bene restituit Roeper Lectiones Abulpharag. Gedani 1844 p. 24. Huius igitur Prolegomena de philosophia Porphyrio praemissa in suis ipsius Prolegg. philos. omni argumento simillimis exscripsit David Armenus qui Olympiodorum citat Sch. 16, 40. 14 b 33 (cf. 16, 10 sqq. = 9, 7 sqq.) et max. 13b 43 epigramma quoddam de Platonis Phaedone Callimacho oppositum Olympiodoro tribuens quod idem Anonymus ille sibi ipsi (Olympiodoro igitur) vindicat, cf. Sch. 7b 20 ἐγὼ δὲ τἀναντία ἐκείνῳ (Callimacho sc.) φημί etc., omnino illud in Phaedonis commentatorem bene quadrans (Sch. 7, 33 auctor librum suum sive disputationem citat περὶ αἱρέσεων); cf. etiam 6 b 30. Plane simili modo is qui Davidi in Categ. (30b 10) dicitur ὁ ἡμέτερος διδάσκαλος (i. e. Olympiodorus) Syriani de Phaedone epigrammati quasi parodia opposuit proprium de Ar. Categoriis: cuius loci sententiam miro modo corrupit Neumann Syriani discipulum sese dicere Davidem fingens (Mém. sur David p. 62. cf. p. 19. 37. 82. 87). Eiusdem Olympiodori dictum citat Philoponus aequalis in Porph. Is. Sch. 11, 43. Sequitur una id quod vel ipsa ratio et historia postulat Davidem non quinti seculi fuisse Procli aequalem et discipulum, id quod certe ex Procli mentione Sch. in Categ. 22, 23 minime sequitur (cf. Brandis Ausleger d. Org. p. 295 de Philopone Proclum sec. Ammonium citante Sch. 14 b 33), praesertim quum ipse David huius discipulum citet Ammonium (in Cat. 24 b 6) nec prius fere

in linguam Armenam translatam esse philosophiam Aristotelis quam in Syriacam, sed aequalem fuisse sexto demum seculo Joanni Philopono qui cuius in codice quodam Vaticano discipulus David appellatur (Brandis Ausl. d. Org. p. 285) Eliae, huius et ipse citat in quinque voces commentarium (Sch. 11b 37 cf. Bandini Codd. gr. III, 7. 25). Nec obstat Samuelis Aniensis sec. XII vergente scribentis auctoritas qui in Chronicis usque ad a. 1179 ductis (ed. Zohrab et Mai p. 48) ad annum 490 haec adnotat: „David philosophus orbi inclaruit oriundus Harchia provincia atque urbe Hertha". Quo uno testimonio nititur vulgaris de Davidis aetate Mechitaristarum sententia a Neumanno propagata (Mém. sur David p. 19—21) hausto illo ex Nersetis Claiensis († 1176) praefatione commentarii in orationem Davidis de sancta cruce, qui praeter alias de „invicto" illo philosopho et mox fabuloso fabulas in veteribus codicibus se reperisse dicit fuisse eum magni Mosis Chorenensis discipulum „ex provincia Harch ex villa Hertn" (Nersetis opp. lat. ed. Cappelletti T. II. p. 243). Moses autem Chorenensis magnus ille historicus posteaque episcopus Bagravantinus (cf. Samuel. ad a. 531 de discipulo eius Esdra hoc anno inclarescente et not. ed. p. 50) sec. Samuelem florens a. 489 (non vero mortuus ut ait Neumann Gesch. der Armen. litter. Leipz. 1836 p. 46. cf. etiam ipsum Mos. Ch. 3, 67) sexti demum seculi initio videtur defunctus esse vita quam secundum Thomam Arzeruniensem noni sec. scriptorem usque ad annum aetatis centesimum vigesimum protraxerat. Ceterum ad Davidem philos. nihil pertinet neque ille cuius mentionem facit Mos. Choren. 1, 6 (cf. 2, 74) neque cui Elisaeus dedicavit historiam belli Persici: philosophum autem sexti sec. esse eo magis consentaneum est quod libros lingua Armeniaca scriptos ante sec. V i. e. Isaaci et Mesropi aevum omnino non extitisse falsaque esse intelligas omnia quae profert Neumann l. c. p. 9—28: antiquiores enim Armenorum libri aut Graeci erant aut Syriaci. Jam vero utrique et Olympiodoro et Davidi et insuper Joanni communis est praeter alia de numero politiarum Aristotelis error ille quo centum fere numero eas augerent (circa 250 pro c. 150), de quibus David ipsa Anonymi non iam anonymi verba (p. 9b 27) repetit 24, 34; idem vero error quum sit auctoris vitae Aristotelis quam latine versam legit descripsitque Joannes Walensis in „Compendiloquio de vita et moribus illustrium philosophorum" (3, 5, c. 1—7) cum aliis quibusdam eius operibus ter edito sec. Fabric. bibl. lat. med. et inf.

act. III, 319 sive sec. Sbaraleam Suppl. ad Wadding. p. 429 quater sc. Ven. 1498, Lugd. 1511, Paris. 1516, Argent. 1550, quibus accedit quinta qua ego utor ed. Argent. 1518 (cf. Fabr. 318—20. IV, 219. similes historiae philosophorum libri medio aevo multis tribuuntur, cf. Fabr. ib. I, 325. 838—40. II, 504. III, 482 sq., digni certe in quos et in universam medii aevi historiae philosophae notitiam accuratius inquiratur; Hüllemann qui primus Joannis notitiam nobis renovavit usus est, si modo usus est, edit. Lugduni 1511 cf. Statsrecht des altertums Bonn 1820 p. 122 sq.) quamque versionem eandem ut iam docent verba ab Hüllemanno citata ex f. 165a. 166a (non tamen Hüllemannum docuerunt), ex unico exemplari et quidem eo „aliquot locis satis depravato et aliquando mutilo", id quod comprobat vel unus locus apud Hüllem. de Aristotelis libro δικαιωμάτων „quibus Philippus lites Graecorum determinabat", ubi Philippi nomen quod habet J. Wal. ap. Nunnesium omissum est (p. 25. Wal. Comp. 3, 5, 6. cf. Nunn. p. 26 et Wal. 3, 5, 3 extr. „Et Antipater suscipiens Alexandri regnum" etc.) edidit P. Jo. Nunnesius Valentinus Barcinone 1594 sec. Fabr. B. Gr. 3, 196 ed. H. (cf. p. 29 ed. Lugd. Bat. 1621 sive p. 18 ed. alter. Helmstadii 1666), hanc ego vitam ubique verbotenus cum breviori quae aut Ammonio aut Joanni tribuitur inde excerpta consentientem (Joannis autem, non Ammonii vel sec. cod. Marc. 202 Olympiodori est de quo eadem inscriptionis incertitudo reperitur Comm. in Categ. cf. Brandis Ausleg. des Org. 283 sq. 290. 294. Fabric. bibl. Gr. IX, 363 H. Ammonii solus est comm. in l. de interpr. cf. p. 95b 25, licet etiam Arabes qui ignorabant Philoponi scholia illi et in Categ. et in Top. — cf. Wenrich 289. 305 — commentarios darent; Averroes quidem in Logica commentatus praeter Themistium et Alexandrum non nisi uno quod sciam loco Ammonium nominat in Quaesitis logicis Opp. Vol. I P. I p. 82k) eidem Olympiodoro tribuo. Nam et hac Aristotelis vita sicut ceteris Olympiodori libris usus esse reperitur David in Categ. Sch. 26b 26—30, quae verbotenus fere extant et in vita latina et in ea quae falso dicitur Philoponi: — haec enim ex ipsa vita Nunnesiana excerpta ita est ut multa quidem omissa sint, quaedam tamen etiam quae propria habet pauca et brevia addi possint illi quippe a librariis male habitae et passim corruptae, id quod textus a Walensi exhibiti comparatio docet: potest enim et Nunnesii textus ex Walensi et hic ex illo suppleri. Quod si fortasse putes in vita excerpta —

excerptam enim esse ut eam intelligas non vero alterius quasi fundamentum sufficit ipsa lectio et comparatio — veri auctoris nomen ex integro exemplari servari potuisse, eo facile refutaris quod auctor illorum probat (p. 22) sententiam qui aeternum secundum Platonis mentem mundum esse assererent: ceterum et doctior fere hic auctor est pluresque citat veteres scriptores (licet sane ipsis non usus sit) quam pro Philopono quamvis philoponi doctrinae modulo. Jam quum de Ammonio antiquiori vix cogitandum sit, vel si incertum sit argumentum ex vitae ipsius clausula petitum ubi (p. 26) post lacunam quam notavit Nunnesius p. 162 sq. citatur Simplicius eius discipulus — fieri enim potuit ut notam hanc ex ipso Simplicii ad l. de coelo commentario suntam lector aliquis adscriberet ad vitae auctorem non pertinentem, praesertim quum et a Walensi negligatur qui ita finit: „Proprium autem fuit philosophiae Aristotelis non discedere a manifestis. Post demonstrationes eius esset multorum testimonia ferre" et huic consentiat codex Florentinus (des. „et multorum testimonia ferre")* — unus fere relinquitur Olympiodorus, quem magistrum in Prolegomenis etiam David qui hanc ipsam vitam exscripsit suae expositionis fontem fecit et fundamentum; nisi forte quendam paullo recentiorem Olympiodori vitam exscripsisse praeferas: sane enim eo quod quae in quaque disciplina ipse Aristoteles nova „invenerit" ostendere studiose conatur, similis quodammodo est scriptori et ipsi anonymo ex cuius Prolegomenis in Platonis philosophiam undecim capitula continentibus (cf. Lambec. de bibl. Caes. Vindobon.

* Sane vix credendum est de libro quodam Aristotelico quem bene noverat Simplicius huius solius testimonio uti potuisse vitae auctorem illo certe non multo posteriorem. Suspicionem auget lacuna: habuit enim ita codex Nunnesii „Proprium autem fuit philosophiae Aristotelis non discedere . . . . autem Aristoteles librum de oratione, unde Simplicius: quod enim intelligat et super intellectum et super substantiam Aristoteles, manifestum est apud finem libri de Oratione plane dicens: quod deus aut intellectus est aut aliquid ultra intellectum." Nunnesius supplevit verba „ab evidentia. Composuit" (ad vit. p. 162. 163) plura etiam ut sententia staret deesse suspicatus, at cf. quae supra apposui. Ipsa autem verba illa ex Simplicii comm. ad Ar. de Coelo sunt interpretis eius latini Guilelmi de Moerbeke (ed. Ven. 1555 ap. Hieron. Scotum, quae editio licet „noviter fere de integro interpretata ac cum fidissimis codd. Graecis recens collata" in titulo dicatur, nihil tamen nisi veterem illam sec. XIII versionem ferre titulo ut saepius hac aetate factum est mendaci commendatam intelligitur ex verbis libro tertio et quarto suprascriptis „Guilielmo Morbeto doctore interprete") qui ita f. 74 a: „Quod enim in-

t. VII p. 277 sqq. de cod. phil. gr. 77, Hardt Catalogus codd. Graec. bibl. Bavar. T. II Monachii 1806 p. 30, cf. etiam de cod. Vind. ph. gr. 29 Lambec. l. c. p. 144) Platonis vitam graecam edidit Heeren (cf. ed. Westermann. in Biogr. min. 393, 58 — 359, 10): hic enim Olympiodori vita Platonis usus esse reperitur et in argumentatione et in ipsis verbis saepe consentiens (cf. 382, 6—8 = 388, 15—17. 383, 28—35 = 388, 19 — 389, 2. 385, 82—86 = 389, 26—31. 387, 65—74 = 389, 34—44 etc.). Hanc igitur Olympiodori vitam sine nomine auctoris servatam seculo tertio decimo Joannes Walensis (scribitur etiam Galensis Guallensis etc. i. e. le Waleys) ordinis Minorum socius et doctor Parisiensis suo tempore illustris (cf. Wadding Annales Minorum ed. sec. Romae 1732 ad annum 1270 T. IV p. 325. cf. 321 et eiusdem Scriptor. Minorum ed. alt. Romae 1806 p. 143 sq. mortuus est a. 1285 sec. Baleum apud Tanner. Biblioth. Britann. Hibern. Lond. 1748 p. 435. Thomas Hibernicus de quo cf. Wadding. Ann. ll. cc. et Suppl. p. 679, a. 1316 sec. cod. Berol. lat. theol. fol. 241 edidit tractatum „de tribus punctis nostrae religionis"; eiusdem autem celeber fuit olim „Manipulus florum" excerptas auctorum variorum et gentilium et christianorum sententias continens de rebus moralibus ordine singulorum titulorum alphabetico digestas ita ut primum de abstinentia agatur, deinde de adulatione etc. quam collectionem sicut codices testantur inceperat Walensis, cf. e. gr. cod. Berol. theol. lat. quart. 17 membr. optime scriptum f. 287: „Explicit manipulus florum compilatus a magistro thoma de hybernia quondam socio de serbona. et incepit frater ioannes galensis ordinis fratrum minorum doctor in theoloya istam tabulam et magister thomas finivit"; de fontibus cf. fol. 2b. 290)

---

telligat aliquid et supra intellectum et supra substantiam Aristo. manifestans est in calce libri de Oratore (sic legitur) plane dicens quod deus aut intellectus est aut et aliquid ultra intellectum." Haec autem doctus ille Graecus qui sec. XIV vel XV versionem veterem latinam ut recte monstravit Peyron in Graecam rursus linguam transtulit (ed. Ald. Ven. 1526), ita dedit (f. 118b): *ὅτι μὲν γὰρ νοεῖ τι καὶ ὑπὲρ τὸν νοῦν ὁ Ἀριστοτέλης καὶ ὑπὲρ τὴν οὐσίαν, δῆλός ἐστι παρὰ τοῖς ἐσχάτοις τοῦ βιβλίου περὶ προσευχῆς διαῤῥήδην λέγων· ὅτι ὁ θεὸς ἢ νοῦς ἐστὶν ἤ τι καὶ ὑπὲρ νοῦν.* Qualis igitur libri illius titulus fuerit, utrum recte Graecus orationem sensu medio aevo vulgari intellexerit *προσευχὴν* (Simplicius autem scripsisset *περὶ εὐχῆς* ut D. L.) nec ne, is tantum dixerit cui genuinus Simplicii textus praesto sit. Brandisii enim excerptum in ipsis verbis hunc locum praecedentibus finitur Sch. 498, 22.

multorumque librorum (de quibus post alios multos aut eiusdem saepe libri varios titulos aut Thomae Walensis libros confundentes accuratius egit Hyacinth. Sbaralea Supplem. ad Wadding. scriptor. Franciscan. Rom. 1806 p. 427—31. cf. Tanner p. 434 sq. 749 sq. et Bostonum ibid. praef. p. 33) auctor theologus de Graeco ut ipse ait translatam in Latinum (cf. vitam Arati eadem aetate versam apud Iriarte Bibl. Matrit. codd. Gr. I p. 241) Compendiloquio suo de vitis illustrium philosophorum utpote quam videret a multis ignorari integram inseruit. Nihilo tamen minus et sola per se scripta haec versio a librariis et seculo XIII et postea etiam ferebatur, sicut et ipsa probat editio Nunnesii et illud quod non solum eodem seculo Joannis aequalis merito clarissimus Rogerus Baco eandem legit saepiusque citat vitam Aristotelis (cf. Opus maius ed. Jebb. p. 11, 36 et 477, sc. de veritatis amore sec. dictum Platonis praeceptoris amicitia maiore, de Aristotele per tres annos Socratis discipulo vitaeque eius annis et mille libris deque itinere Asiatico „sicut in vita Aristotelis legitur" — „ut in eius vita legitur" etc.), sed etiam quarto decimo Joannis Duns Scoti discipulus (cf. Wadding Ann. min. T. VI p. 137. Tanner p. 141 sq.) Waltherus Burley, qui non primus ut volunt auctor historiae philosophorum sed aevi praecedentis auctores Guilelmum et Joannem Anglicos secutus tertius quod sciam, si quidem non solum brevem illum neglexeris de historia philosophiae conspectum qui et apud Joannem Saresberiensem legitur in Polycratico (7, 4—6 ed. Giles Oxon. 1848 Vol. IV p. 91—101. cf. etiam Entheticum eiusdem) et in Rogeri Baconis Opere maiore (p. 34—37) sed etiam Vincentium Bellovacensem qui in Speculo historiali reliquae historiae studiose admiscuit poetarum et philosophorum vitas et sententias eodem plane modo collectas, — hic igitur Aristotelis operum fere omnium commentator (cf. Leland Collectanea de rebus Britannicis T. III p. 17. 22. 24. 64. 65. Fabric. I, 839), florens autem sub rege Angliae Edwardo tertio amicusque Richardi de Buri episcopi Dunelmensis Philobibli auctoris et bibliothecae Oxoniensis conditoris clarissimi Graecarumque litterarum fautoris (cf. Philobibl. c. 10 edit. post Goldasti Philolog. epistol. centuriam ed. alt. Lips. 1674 p. 458. cf. de libris eius aulae Oxon. donatis c. 19 p. 484—86 deque librorum amore „ecstatico" prolog. p. 406. mortuus hic est a. 1345, Burlaeus autem vita decessisse videtur vel aliquot annis post, cf. Tanner p. 142: scripsit enim comm. in l. Perihermenias ut ipse

ait a. 1337 aetatis 62, postea autem et maxime senex comm. in Ethica in cuius operis Richardo dedicati prologo aetatem ipse excusat scriptor „Gualterus de Burleo sacre pagine inter ceteros floride universitatis doctores minimus professor", cf. Expos. Gualt. Burlei super decem libros Ethic. Arist. Venet. 1500 f. 1, in quo comm. praeter Eustratium maxime sequitur „Lincolniensem" i. e. Robertum, rarius Albertum. comm. Burlei „super octo libros Physicorum" prologo caret in editione quam inspexi Venet. 1491), in opere „de vita et moribus philosophorum et poetarum" in quo et ceteros auctores latinos medio aevo lectitatos et ab omnibus repetitos sive christianos velut Hieronymum Augustinum etc. sive profanos velut Valerium Gellium etc. exscripsit et quod magis advertas tamquam fonte primario (licet quod mireris non fere nisi in principio libri: citatur enim „Laercius de vita philosophorum" in capp. 1—7, 10—13, 31, 32, 53) usus est Diogenis Laertii antiqua longe ante Ambrosium Camaldulensem († 1439) versione latina (de cuius ad textum Diogenis Graecum restituendum et supplendum usu licet sane sit aliquis paullo tamen honorificentius pronuntiavit et vehementius J. G. Schneider in Wolf. Litterar. analect. II p.227—255), idem ubi de Aristotele agitur (c. 53) quaedam quae et in vita Nunnesii et in Graeca epitome de vitae eius annis leguntur (nisi quod apud Burl. errore LXII anni dicuntur pro LXIII) affert ita: „ut patet in libro de vita eius", ex qua ipsa vita iam antea quaedam quae apud Nunnesium (neque ea omnia in Graeco textu) habentur ipsis verbis servatis, fonte tamen non indicato excerpserat (cf. capituli 53 versus 1—12 et 18—21 et quae postea de politiis et librorum numero addit in fine indicis operum Aristotelis omnium ex Laertio et ipsius seculi de scriptis eius servatis notitia conflati, item paullo ante ipsam illam vitae citationem verba haec „Transcendit autem Ar. philosophia" etc. usque ad verba quae statim sequuntur: „Tractabit autem omnes etc. verbotenus sumta sunt ut alia per totum librum plurima ex Polycratico summopere illo omni huic aevo nec sine iure dilecto, cf. 7, 6 p. 99). Utor ego libri illius editione sine auctoris nomine impressa Nurinberg. 1479 (Frid. Creussneri industria) quae constat capitibus 119: desunt enim capp. decem inter cap. 110 et 111 sive inter Xistum et Apollonium (qui tamen Ap. bis recensetur in edd. plenioribus et ante capp. in quibusdam omissa et post, ita ut forte non omissa illa credas sed in aliis interpolata quod tamen non ita est), item unum post

c. 112 et unum post c. 114, id quod disco comparata versione theotisca ed. Augsburg. 1490 (durch Anthoni Sorgen) quae capita 131 continentem integram editionem sequitur, ceterum satis accurate cum textu latino consentiens nisi quod hic illic aut verba quaedam notae instar adduntur aut inepte addita omittuntur aut peccata corriguntur velut de Ptolemaeo f. 163 (cf. lat. cap. 75. adde tamen vers. f. 117), indices vero librorum quos habet latina valde memorabiles Hippocratis c. 45, Aristotelis c. 53, Tullii c. 94 (in quo recensetur liber de gloria humana, cf. Vinc. Bell. Sp. hist. 6, 30), Galeni c. 113 (cf. Vinc. Bell. 10, 92), Senecae c. 119 (cf. Vinc. Bell. 8, 102) semper omittuntur utpote „laicis inutiles" (cf. f. 68b, 92, 124b, 150, 154). Ab utraque recensione eo recedit codex Berolinensis (lat. theol. qu. 10 chart. sec. XV, in quo continetur „pulcer tractatus de genealogia vita et moribus antiquorum philosophorum etc. etc. collectus ex diversis libris doctorum per venerabilem doctorem walterum burley anglicum". cf. Heumann in Act. philosoph. Halle 1723. XIV p. 298) quod vita Senecae quae in editione Nurinbergensi paginas 28 occupat omnino omissa est, ceterum duo tantum capita (de Tauro ante Galenum, de Justino post Trogum) iis quae in editione breviori extant adduntur (cf. quod etiam in ed. Antonii de Sala Casali 1603 excisa quaedam erant in fine libelli, v. Tanner p. 142). Integrum autem Waltheri opus sine dubio exhibent illi codices qui habent capp. 131, varie postea in fine decurtati nec nisi coniectura ductus Chr. Daum (ed. Caton. Distich. Cygneae 1672, ubi in praef. testim. variorum) de Catone illo secundum librum istum de vitis philos. (c. 95) in medii aevi scholis vulgati Guilelmum Ramesiensem auctorem nominat poetam sec. XII latinum (de quo cf. Tanner p. 363. Fabric. 3, 482 sq. Leyser hist. poet. med. aevi Halae 1721 p. 438 sq. Th. Wright Biogr. Britann. literaria Lond. 1842 T. II p. 424 sq.), eiusdem esse tractatum credens qui secundum Lelandum (Collect. 3, 48) inscribitur „Gulielmi Deflorationes de vita et moribus philosophorum ad Guthlacum", carmine tamen sec. Ramesiensis sane morem scriptus erat si quidem eiusdem libri hoc posuit initium Tanner l. c. „Stupet caro, stupet mundus, stupet spiritus immundus" (titulo solo diversus videtur liber qui dicitur de legendis ethnicorum scriptis Gulielmi ad Guthlacum, cf. Tanner ibid.). Attamen extitisse iam ante Burlaeum et Walensem librum quendam prosa oratione scriptum de dictis philosophorum (qui num idem fuerit cum eo

quod posuit Leland Collect. 3, 16 „Compendium de dictis et factis memorabilibus incerto auctore, inc. Sapientiam antiquorum", non nisi inspectis codicibus Anglicis discerni potest) ex eo patet quod Waltherus qui a Thalete usque ad Senecam poetas et philosophos exposita vitae aetatis scriptorum notitia eosdem fere omnes quos ex iisdem fontibus Vincentius apposuit deinceps ordine satis confuso enumerat — multo meliori enim et veriori Walensis utitur qui post partem primam introductoriam a philosophorum Graecorum in Italicum genus et Jonicum secundum Augustinum auctorem divisione (cf. 3, 1, 1) sumto principio finivit in translatione studii usque Parisius (10, 6) et Oxonas (10, 9) — quorundam philosophorum quae passim in fine addit „dicta elegantia" ex eodem fonte sumsisse deprehenditur quem iam Walensis sine nomine auctoris citavit „tractatum de dictis philosophorum" (Compendil. 3, 2, 12 de Diogene cf. Burl. c. 50, de Socrate 3, 3, 13 cf. Burl. c. 30, de Aristotele 3, 5, 18, de Xenocrate 3, 5, 22 cf. Burl. c. 61, de Zenone 4, 7 cf. Burl. c. 25; cf. praeterea apud Burl. dicta elegantia Platonis c. 52, Aristotelis c. 53, Epicuri c. 64 etc.), ex quo eodem hausit etiam Vincentius Bellovac. qui quum plerumque ex ipsis auctorum libris flores sententiasque proprio studio selectas excerpserit, interdum tamen ceteris addit sententias neglecto plane ut apud Burlaeum unde sumserit auctoris nomine seorsum positas ex tali quidem fonte petitas ubi sententiae breves sine scriptorum ex quibus excerptae fuerant nominibus collectae exhiberentur (cf. de Socrate Spec. hist. 3, 58 „Huius quoque sententiae laudabiles inveniuntur tales". 3, 79 „Platonis quoque dicta sunt haec". 3, 82 de Aristotele „Huius quoque sententiae sunt istae". 5, 2 „Huius Theophrasti dicitur esse illa sententia" etc.): nam hunc quidem fontem istum esse tractatum de dictis philosophorum docet Walensis Compendiloq. 3, 15, 18 „In tractatu enim de dictis philosophorum legitur eum (sc. Aristotelem) dixisse quod id solum habet paupertas incommodi quod alios iuvare non potest" = Vincent. Bellov. Sp. hist. 3, 82 „Dicebat etiam Aristoteles ut legitur solum se incommodum paupertatis pati quod non posset egentibus subvenire"; cf. etiam Walens. Comp. 3, 3, 13 ubi una Vincentius citatur: „E dictis notabilibus eius et proverbiis recitatur in tractatu de speculo ——— haec fuerunt dicta Socratis prout dicit compilator illius tractatus. Et de quibusdam horum in tractatu de dictis philosophorum, ubi et alia recitantur" etc. (f. 120b — 121a, multo

plura apud Burl. c. 30). Nam Vincentium, quo et Waltherus licet neque nomen eius nec librum citaverit saepissime usus est (cf. e. gr. quae habet de Julio Celso historiographo qui scripsit de bello Caesaris libros quinque deque eius dictis moralibus Burl. c. 104 quae sumta sunt ex Spec. hist. 6, 5; de Celso autem auctore pseudonymo qui Julii Caesaris dicitur comes cuiusque ut dicta illa probant revera extitisse videtur historia Caesaris e Caesaris commentariis ipsis eius verbis compilata — nam ut hoc utar dictum quoddam quod ex libro V refertur, legitur in hist. belli Africani c. 73 — cf. Petrarcae Vitam Caesaris ed. Schneider Lips. 1827 p. 14 et 110 et Blanc apud Ersch u. Gruber Encyclop. s. Petrarca p. 215 sq.), Walensis quoque hic illic citat, cf. praeter locum modo citatum Comp. 3, 5, 19 et 3, 5, 25 ubi de Aristotelis sententiis et Theophrasti, praeterea 10, 6 ubi „de translatione studii usque Parisius" = Spec. hist. 23, 173, ceterum ne ipse quidem Vincentii auctoris nomen utpote notissimum umquam commemorans sicut neque Saresberiensis cuius tamen Polycraticum in quavis fere citat pagina („ut dicitur in policrato" sive „ut ait policratus" etc.) nisi uno in editis quidem libris loco nomen ponit (Communiloq. 1, 8, 7). Quid vero quod vel Joannes Saresber. tractatu illo usus esse videtur antiquiori, dictis philosophorum passim exscriptis, cf. Polycr. 3, 14 T. III p. 210: „Quid Xenophon? Tu, inquit cuidam, maledicere didicisti et ego conscientia teste didici maledicta contemnere" (cf. idem 8, 5 T. IV p. 305) = Vinc. Sp. hist. 3, 67: „Huius (Xenophontis) dicitur esse illa sententia quam sibi maledicenti respondit, Tu inquit maledixisti, ego conscientia teste didici maledicta contemnere; atque eodem loco Saresb. ita: „Quid Plato? totius philosophiae robur patientia est" cf. Vinc. 3, 79: „Platonis quoque dicta sunt haec" ——— quorum ultima exhibetur eadem illa: „Totius philosophiae robur patientia est"; cf. etiam de Platonis dictis quibusdam aliis Polycr. 5, 7 T. III p. 286 etc., ita ut fere cogites (licet ut credo iniuria) de Flaviano illo ceterum plane ignoto (cf. Fabric. 2, 504. G. Voss. de hist. Latin. p. 703 cf. 744. ego quidem, si meram promere coniecturam liceat, eundem fuisse Flavianum crediderim qui sec. VII florens Pauli Diaconi praeceptor fuit sec. ipsum Paulum de gest. Lang. VI, 7; nam de illo quem in Saturnalibus loquentem induxit Macrobius cf. 1, 1, 4. 1, 5, 13 cogitanti ne quis credat L. Janio in Prolegg. ad Macrob. p. 27) cuius librum „de vestigiis philosophorum" locis nonnullis infert

Saresberiensis et antiquum temporis Romanorum scriptorem habuisse videtur (cf. Polycr. 8, 12. IV p. 276: „quum teste Quintiliano Valerio Flaviano Socrates etiam in senectute didicerit musicam credens" etc.); ex quo quae de Homeri morte et nautarum quaestione narrantur in Platonem translata referuntur Polycr. 2, 26. III p. 133. cf. 7, 6. IV p. 98 sq. quae eadem ex eodem Flaviano refert Helinandus (qui sec. XII florens Chronica scripsit universalia nunc maximam partem sive deperdita sive adhuc latentia libris 49 ab ortu mundi ad annum usque 1204 perducta in quibus praeter fabulosa et mirabilia quorum maxime amator fuit, de philosophis quoque et poetis multa addidit, cf. Vinc. Bellov. Spec. hist. 29, 108. Bertr. Tissier Biblioth. patrum Cisterciens. tom. VII 1669 in praefatione librorum qui hic editi sunt ultimorum 44—49) apud Vinc. Spec. hist. 2, 87; idem Flavianus de matrona Ephesia narravit (Polycr. 8, 8. IV p. 271) et de speculo Platonis (8, 12. IV p. 281, quae cum Flaviani „historiographi" nomine exscripsit Burley c. 52) nec fortasse erraveris ex eodem scriptore satis iam fabulis indulgente fluxisse statuens narrationem illam de rupe Parmenidis in qua sedens ille dialecticam excogitaverit (cf. Hugon. Didascalic. 3, 2. Jo. Saresber. Metalog. 2, 2 atque ex Hugone Walensis Compend. 5, 7. Burley c. 49). Sed haec hactenus de historiae philosophorum medii aevi scriptoribus. Vita autem illa Aristotelis quam Joanni Saresberiensi ignotam atque ideo sec. XII recentiorem fuisse opera eius perlustranti patet (maxime si Polycr. 7, 6 ubi de Aristotele agitur comparas cum iis quae de Platonis vita diligenter congessit 7, 5) paullo ante Jo. Walensis et Rogeri Baconis aetatem de Graeco videtur fuisse conversa et in ipsa quidem ut credo Anglia, si non philosophiae at eruditionis tunc et Graecorum studiorum sede florentissima — Angli enim fere sunt qui hoc seculo praeter Brabantinos Wilhelmum et Henricum Graecae linguae peritia inclaruere velut Joannes Basingestokes († 1252 sec. Matth. Par. hist. mai. Anglor. Lond. 1684. p. 720), Robertus Lincolniensis episcopus (cognom. Grosseteste † 1253 cf. Matth. Paris p. 754. Annal. Lanercost. ap. Wharton Anglia sacra T. II p. 341) Rogerus Baco (et fortasse qui ab hoc laudantur Thomas antistes Scti David et Adam de Marisco Roberti amicus, v. Bacon. Op. m. p. 48. cf. 64 et ap. Wharton l. c. p. 344. de Angli cuiusdam itinere Graeco et tractatu quodam quem ibi vidit Gregorii Nazianzeni Jo. Walens. Compendil. 3, 4, 16. 3, 5, 12) et complures hoc ipso tempore in

Anglia libri Graeci transferebantur Lincolniensis maxime opera hominis ut ait Bostonus Buriensis (ap. Tanner praef. p. 37. floruit is sub Henrico IV) „in triplici lingua eruditi Latina Hebraica et Graeca" atque Baconis natu minoris nec minus docti (cf. Jebb in praef.) amicus qui ut idem ait Bostonus „de Graeco multa transferri fecit" (cf. l. c. p. 37 atque iisdem verbis Jo. Tinmuthensis ap. Wharton p. 347. Baco Op. m. p. 45 et 46. Ann. Lanerc. l. c.), in quibus quod satis videtur memorabile et ad vitae illius Aristotelicae argumentum proxime spectans fuit Suidas: cf. Boston. l. c. „Item transtulit de Graeco in Latinum librum qui dicitur Suda quem composuerunt viri sapientes sc. Eudemius rhetor Elladius qui fuit tempore Theodosii iuvenis" etc. qua quidem versione „libri qui dicitur Suda" et ipse Jo. Walensis passim utitur de Platone agens (Compendil. 3, 4, 2. 3, 4, 6 et 3, 4, 13 = Suid. s. v. Plato). Integrum tamen Suidae lexicon quum vix concedas seculi doctrinae fuisse conversum, ego quidem putaverim biographica maxime et historica excerpta fuisse ab interprete Latino inde sententiam confirmans quod in Catalogis libror. mss. Angliae et Hib. in unum collectis (Oxon. 1697) I, 3, cod. 429 post „Testamentum XII patriarcharum a Lincolniensi translatum" habetur „Narratio e Suida translata ab eodem", ubi haec addunt editores: „Pitsaeus dicit eum transtulisse Suidam; narrationem hanc vide in voce *Ιησοῦς*", cf. ibid. I, 3, cod. 1383 „De Sibyllis et aliis rebus variae narrationes ex libro qui Graece vocatur Suidas, quem tempore Theodosii iuvenis composuerunt quidam viri sapientes". Videtur autem Lincolniensis, non solum physica scientia clarus et mathematica sed commentariis etiam in Aristotelis libros (cf. Leland Coll. 3, 51. 53. 59 etc. de comm. in Dionys. Areop. cf. Baco, Wharton, Boston etc. ll. cc. de ceteris eius libris Wharton p. 345—47) scriptis multis, non ita ipse vertisse quam potius Graecos libros clericis Graece doctis vertendos dedisse, id quod uti factum est quodammodo in testamentis illis duodecim patriarcharum apocryphis tunc temporis Roberti cura e Graecia allatis, quae a. 1242 transtulit ille „coadiuvante magistro Nicolao Graeco clerico abbatis sti. Albani" (sec. Matthaei Paris Angli qui mortuus est a. 1259 hist. p. 528. cf. 721) sive ut legitur in nota ms. quam exhibet Wharton (Angl. sacra II p. 345 cf. Denis Codd. theol. lat. Vind. I, 218) „assistente ei clerico Elichero (leg. Eucherio?) ab ecclesia b. Albani beneficiato natione et conversatione Graeco" (cf. etiam Vinc. Sp. hist. 1, 125 qui testamenta

illa „quae nuper transtulit magister Robertus grossum caput Linconiensis episc. de Graeco in Latinum" libro suo inseruit 1, 125—129), ita verisimile est de Ethicis Aristotelis et Eustratio (cf. Hermann. ap. Jourdain p. 60): vertit enim ea secundum prologum a Leonardo Aretino lectum (Epistol. 4, 22 ed. Mehus T. I p. 140) Anglus quidam ordinis fratrum Praedicatorum. Nec non veri simile est vitam quoque Aristotelis istam, quae in Anglia primum innotuit sec. XIII et XIV, ab eodem Roberto aut eius certe iussu fuisse translatam. Attamen iam seculo XII Otto Frisingensis si non ipsam eiusdem vitae versionem, at certe argumentum eius novisse deprehenditur; ait enim ita in Chronicis (II, 8 ubi de philosophis): „Socrates qui — educavit Platonem et Aristotelem" et deinde: „Sed Platonem qui praefati Aristotelis non solum apud Socratem condiscipulus sed et post mortem Socratis praeceptor fuit" etc. de qua re in sola vita illa et in Graeca eius epitome nunc legitur. Suspicetur igitur quis translationem hanc ad Italos potius seculi XII interpretes referendos esse, praesertim quum et Walensis verba nomen aetatemque translatoris ignorantis quin de Anglo quodam cogitemus vetare videantur cf. Compendil. 3, 5, 5: „Sed antequam colligantur quae de eo dicta sunt in diversis libris, scribatur tractatus de vita eius translatus de Graeco in Latinum ut dicitur maxime quia non habetur a multis communiter". Accedit quod praeter Jacobum Venetum (Jourdain p. 58. hunc spectare videtur Saresber. Epist. 211) etiam Burgundionem Pisanum, qui patrum maxime Graecorum libros transtulisse scitur (Jourdain p. 72. mortuus est a. 1194 v. Denis I, 668. 772. cf. de eo et similium scriptorum interprete antiquo Aniano primi ante sec. IX et XII translatorum aevi qui tulit Hieronymum Rufinum Boethium aliosque multos socio — Fabric. 1, 109 M., Bandini Codd. lat. IV, 439 — Poggii iudicium in Epistol. I, 6 p. 30 sq. ed. Thomas de Tonnellis Vol. I. Florent. 1832) Aristoteli operam dedisse ipse qui illum noverat (in Italicis sc. itineribus de quibus narrat in Metalog. l. 3 prolog. cf. 4, 7. 1, 15. Polycr. t. III p. 257. numerum 1290 quo anno Galeni liber sextus de regim. san. a Burgundione translatus esse legitur in subscriptione codicis Vratisl. ab Henschelio in Catal. codd. medii aevi medicorum et phys. Vratisl. 1847 Part. I p. 25 cf. 27, falsum esse patet; ipsa codicis scriptura incerta et corrupta videtur quippe ab aliis aliter intellecta cf. Henschel Part. II p. 6 et 15. Chr. Schneider Descr. duor. codd. Galeni lat. p. 5) testatur Joannes Seresberiensis

(hunc autem primis tantum labris Graecam linguam gustasse libri eius docent et epistolae conceditque ipse disertis verbis in Epist. 169 ad Joannem Sarracenum scripta qui Dionysii Areopagitae libros annis 1166 et 1167 altera post J. Scotum Erigenam versione de Graeco transtulerat, cf. ep. 147 et 229 et ipsius ad Saresb. Sarraceni litteras ep. 230 et max. 149 ubi de methodo quam in vertendo secutus sit multis loquitur); nam explicans ille quare Aristoteles nomen philosophi prae ceteris (sive ut ait alibi „antonomatice" i. e. excellenter Polycr. 7, 6. IV p. 100. Roger. Bacon. Op. m. p. 36) meruerit, sc. quod demonstrativam tradiderat disciplinam (id quod etiam in vita latina urgetur in qua nihil tamen de appellatione illa. apud Hugonem in Didascalicis 3, 2 f. 7b ed. Opp. Ven. 1588 T. III Aristoteles dicitur „logicam rationalem" a Platone inventam „redegisse in artem"; similiter Saresb. l. c. p. 99 „rationalem redegit in ius suum"), illius testimonio utitur in Metalogico (7, 7 p. 163): „Ideo enim ut aiunt in ipso nomen philosophi sedit. Si mihi non creditur audiatur vel Burgundio Pisanus a quo istud accepi". Sed utut haec sunt sive duodecimi seculi fuit vitae Olympiodori Nunnesianae translatio sive decimi tertii, id certe constat Jo. Walensis eam et Rogeri Baconis aetate satis fuisse „sapientibus" notam, eandem constat sec. XIV legisse Waltherum, eandem seculo XV in Germaniae bibliothecis invenit Poggius ille Florentinus: scripsit enim amico Leonardo quum vitam Aristotelis ab illo scriptam (cf. Mehus praef. ad Aret. epist. p. 58 sq. cf. 122) legisset (Aret. epist. 10, 17), de quibusdam quae in Latina illa continentur (non enim credo eum Graecam epitomam spectasse) velut de Aristotele Socratis per tres annos discipulo, de Platonis statua et epigrammate aliisque, quae quum inepta essent satis superbe ille omnem illam Poggii notitiam reiecit (Leon. Ar. epist. 6, 3) nec magis illo Guarinus Veronensis aequalis cuius vita Aristotelis satis exilis edita est in Arist. opp. gr. Basil. 1531, versionis illius fuit gnarus. De Bessarione autem utrum latinam hanc an utqui Graecus excerptam Graecam respexerit dubium est: citat enim ea quae in utraque occurrunt (adv. calumn. Platonis 1, 3 f. 5a Opp. ed. Ven. 1516). Tandem illam seculo XVI extremo Nunnez in Hispania edidit Hispanus. Ex eo vero tempore exemplaria mss. delitescunt nec ullam usquam codicis alicuius mentionem in librorum mss. vel Anglicorum catalogis reperire mihi contigit nisi unius Florentini: habetur enim ut scribit

Bandini in Catalog. codd. latin. bibl. Med. Laur. Flor. 1776 t. III in Plutei 84 cod. 3 (membr. sec. XIII) inter Aristotelis ex antiqua versione latina opera multa „Anonymi vita Aristotelis" quae inc. „Aristoteles philosophus de gente fuit quidem Macedo", desinit autem ita: „et multorum testimonia ferre" (cf. de vita quadam gr. Aristotelis inedita cuius initium *Ἀρ. ὁ φιλόσοφος* etc. in cod. Marc. 257 sec. XV Zanetti p. 128). —

Ceterum et haec vita et falsi Aristotelis libellus de officiis mariti et uxoris, quae scripta ex veteribus illis libris sec. XV impressis repetita una cum Arist. Phisionomia ad Alexandrum e cod. Berol. quem et cum editione Bononiensi (a. 1501) et cum theotisca Joannis Lorchneri versione (ed. Augsburg 1530) comparavi descripta et Opticorum fragmentis ex Bartholomaeo Anglico et Joanne Peckam collectis huic libello quasi quandam documentorum appendicem adiicere statueram, haec ubi et codicis Florentini copia mihi facta et ad liquidum quaestio illa perducta fuerit de necessitudine quae inter Optica Aristotelis intercedat et Ptolemaei ab Eugenio translata in eodem eiusdem fere argumenti ambitu versantia (diversa enim revera scripta esse docuit licet obiter inspectum Ptolemaei ex cod. Parisino apographum a. 1820 Imm. Bekkeri iussu factum quod cum eiusdem operis codice sec. XV meliore quidem at imperfecto in bibl. Berolin. asservatur) cum aliis quae ad huius libelli materiam faciant separatim postea edentur.

Finitum Berolini die 28 m. Maii a. 1854.

Tabula.